9/4/10

✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 319.

GRAECIA

SIVE

HISTORIAE VRBIVM

ET POPVLORVM GRAECIAE

EX ANTIQVIS NVMISMATIBVS

RESTITVTAE

LIBRI QVATVOR

HVBERTO GOLTZIO

HERBIPOLITA VENLO-

NIANO CIVI ROMANO

AVCTORE ET SCVLPTORE.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

BRVGIS FLANDRORVM

ANNO A CHRISTO NATO

M. D. LXXVI.

3.10

QVATVOR LIBRORVM HVIVS HISTORIAE TITVLI.

LIB. I. SICILIA ET MAGNA GRAECIA.
II. EPIRVS, PELOPONESVS, THESSALIA, MACEDONIA ET THRACIA.
III. INSVLAE GRAECIAE.
IIII. ASIA, SYRIA, AEGYPTVS ET AFRICA.

Vniuersi autem operis rationem singulorumque librorum argumentum tam præfationes quàm elenchi singulis præfixi declarabunt.

IN HISTORIAE SICILIAE ET MAGNAE GRAECIAE, AB HVBERTO Goltzio Herbipolita Venloniano ciui Romano Antiquario celeberrimo reſtitutæ, frontiſpicium FRANCISCI MODII BRVGENSIS.

NIL æui poterit longinqua abolere vetuſtas,
HVBERTI hubertas cum volet ingenij.
Hæc ROMAM ROMAE, Romanis artibus olim
Reddidit, & LATIVM reſtituit LATIO:
Condentemque caput, fœdè inter nubila IVLVM,
Lucidulum templis cæli iterum appoſuit:
AVGVSTVMQVE PATREM, PATRIAE, quo læta triumphat
Pacis alumna fides, eruit e tenebris.
Nunc eadem, mage quod viſu mirabile, terras
Coniungit, fluctus quas maris abſciderant:
Et facit, vt rurſum, ſicut multo ante ſolebat,
Pars ſit firma nouæ SICILIA ITALIAE.
TRINACRIA en iterum, triquetræ ſub imagine formæ,
Propter aquas trino nixa genu reſidet.
Infernique auſus cælum incæſtare quadrigis,
Raptam fert cupido PERSEPHONEN gremio
REX EREBI, fruſtra pugnantem & nomine caſſum
Sæpè appellantem in ſubſidium CERERE M.
Adſpice, currentes SCEPTRO vt premat vſque IVGALES
Improbus, & parui temporis impatiens.
At parte ex alia, mærens ſua pignora MATER
Quærit, & aſsiduis ora rigat lacrumis;
Flamiferaſque AEtnæ quatiens de vertice PINVS,
Quis noctem potis eſt diſcutere & tenebras,
Tortilibus vehitur per inane DRACONIBVS, omnes
Explorans terrarum & pelagi latebras.
Nequiquam tamen. illis namque eſt abdita in oris
Nata, vbi nulla dies occidit aut oritur.
Sed quæ eſt illa procul canibus ſuccincta marinis
Femina, pube tenus corpore virgineo?
Quæ manibus multa vi abſtracta a naue GVBERNA
Aſsiduè nubes vibrat in aërias.
Agnoſco monſtrum; Siculi hæc eſt illa profundi
Phorci & Cratheidis filia pernicies.
Nauifragum SCYLACAEVM hoc eſt; quo ſæpè carinas
Abſumi ſolidas pagina anus loquitur.
A virgo infelix quod eras formoſa nocebat,
Forma tibi virgo cauſſa perire fuit.
Diuo Anthedonio deformis viſa fuiſſes:
Sicanijs nullum crimen ineſſet aquis.
Et tu crudelis Circe; num nam hæc tibi Glaucus
Mandarat, ſuccis credulus & numeris?
Infidum Solis genus, haut lætabere tali
Fraude diu. ponè pœna ſcelus ſequitur.
Horret & æternum horrebit, teque, & tua Glaucus
Connubia, exoſus artificem, & facinus.

Semimarina canum ora propè allatrantia, CANCRVM
Serpere retrogradum, & CENTIPEDES video,
MONSTRAQVE, equi facies quibus eſt formoſa ſuperne,
Sed fœde in pinnas deſinit vndifidas.
Inde adſtat PELAGI RECTOR, cui dextra TRIDENTEM,
Quo, cum vult, Syrtes & ſcopulos aperit;
Læua tenet caudam DELPHINIS. quæ Dei in ore
Maieſtas ſedet, & quantus honos oculis!
Quæ porrò eſt propter quæ ſtat reuerentia Diuæ!
Qui decor in vultu, qui decor inq. habitu!
Hæc nempè eſt bis cincta DIANA illa, illa DIANA,
Quam numquam vacuo pectore vidit Amor.
En neglectus vt ex humeris dependet amictus.
Sic neglecta tamen forma placere poteſt.
Læua ARCVM gerit auratum, plenamque ſagittis
Suſpenſam dextro fert PHARETRAM ex humero.
Hæc patruo Siculæ exæquat telluris amorem
Atque illi paribus præſidet auſpicijs.
Inferius ſunt THERMAE, quas, qua reſpicit oras
Sicanias, princeps ora habet Heſperiæ.
Inque his, indiſcreta natantum turba, ſalubrem
Admiratur aquam, & ſordibus abluitur.
AEternúmque æternis AETNA infeſta fauillis,
Vicinos circum terret & vrit agros;
Oppidàque ingenti ſonitu quatit; igne perenni
Torrens latè vrbes, & pecora, & populos.
In medio ALPHAEVS pelago ſe immergit, & vndas
Sicanij ſubter labitur Oceani
Fonte ARETHVSA tuo donec ſe miſceat. heic ſe
Et deſueta ſuum tollit ad aſtra caput;
Dilectæque amnis fruitur complexibus, æſtum
Curarum releuans dulcibus alloquijs.
O diuina animæ diuinæ ſemina GOLTZI,
Diuinum ô laudati ingenij genium,
Obruta diu tam multa, in lucida tela diei
Proferre, & Solis qui radios potis es!
Te ROMA, atque vrbi Romanæ vrbs æmula BRVGAE,
Te ciui & VENLO gaudet, & HERBIPOLIS.
Tu quoque gaude ergo. tibi enim ſoli aſtra tuenti,
Quod nulli a ſeris contigit exſequijs.
Septem vrbes certaſſe ferunt de patria Homeri;
De patria lis eſt non minor orta tua.
Quin maior. nam vrbes illæ regio vna fuêre;
Et quamuis ſeptem, nil niſi Græcia erant
De te, & ſtirpe tua, bellum ingens cernitur; orbis,
Qua patet Eous, qua patet Heſperius.
Ante omnes te iactat ouans ſe FLANDRIA alumno,
Clamat te eſſe ſuum fertilis AVSONIA.
Terra viris armiſque potens GERMANIA, primùm
Te reptaſſe ſuo deierat in gremio.
Iure igitur magno diceris maior Homero
HVBERTE, & fies nobilis hiſtoria. DE

DE EODEM GOLTZII OPERIS FRONTISPITIO MELIORIS BARLAEI ANTVERPIANI EXPLICATIO.

QVAS mihi prima noui cælatas pagina libri
Continet hiſtorias, varijs operoſa figuris?
Agnoſco artificem, quo non præſtantior alter
AEre referre viros, & vultus ducere cælo
GOLTZIONillum, illum, nobis qui prima reportat
Seda, vel egeſto tenebris vberrimus auro.
Aſt operis de principio, portuque ſub ipſo
Si tantum mihi creſcit opus, quo cetera metro
Perſequar? heu finis mihi deſperata laborum eſt.
Quis modò crediderat ſuperari tempora poſſe
Non modò, ſed claris iamdudum lapſa reduci
Ingenijs? non te Iouis ira ò inclyta Roma
Perdidit? Italiam non Barbarus eruit ignis?
Non fato cecidêre viri? claróſne triumphos
Obruit, & rerum faciem inuidioſa vetuſtas?
Pridem antiqua tamen nos reddita tempora nobis,
Vidimus, & ſolito rediuiuam culmine Romam
Conſpicuam: priſcóſque datum ſpectare triumphos
Italiæ; veteréſque viros, queîs ſupplicat orbis,
Et ſua purpurei proſternunt ſceptra Tyranni.
Ilicet & fati fera vis, & Martis, & æui
Ingenio cedunt. SICVLOS hoc denique GRAIIS,
(Quamuis ſæua maris rabies interſtrepat ambos)
Et pote diuulſos ITALIS miſcere SICANOS.
Auribus haud mirum ſi res hæc dura fuiſſet,
Ni manifeſta fides oculis ſubiecta pateret.
Nónne vides TRIPEDIS manifeſta ænigmata monſtri?
Hæc ſunt Trinacrij tria promontoria regni,
Cautibus infida, & pelago proiecta ſonanti.
Nónne vides tumidas, queîs protinus arſerat, iras
INFERNI IOVIS optata poſuiſſe rapina?
Quas non ille minas? quæ non immania magnis
Intentans Superis, concuſſo Acheronte mouebat?
Ni ſibi coniugio detur pulcerrima virgo,
Cogaturque chaos traducere cælibe lecto?
Non aliter ſuperat Libyæ campeſtria ſæuus
Ore leo, pulcra ſuffultus terga iuuenca,
Qualis & hic, miſeræ genitricis ab vbere raptis,
Raptor ouat ſpolijs, quid enim, prò, perdita clamat,
Quodnam aliud vocat auxilium, quàm futile matris?
Auferor, ô Mater, rapiórque miſerrima DITI
Victima. Diffugiunt pariles ætate puellæ,
Quas illi comites dederat redolentibus Ennam
Floribus exuere, heu, nimium ſecura Deorum.
Hæ, poſtquam ſubita horrentem caligine campum,
Et picea circum virgulta liqueſcere tabe.
Fumantéſque rotas, & flantes naribus ignem
Quadrupedes, REGEMQVE EREBI ſuper axe rotarum

Procliuem læuam iam te, PROSERPINA, rapta
Heu ſcelerare manum (SCEPTRVM nam dextra gubernat)
Conſpexere, graui gemitu per ſingula queſtæ,
In diuerſa procul calathis fugêre relictis.
Ille furit, Siculóque ſatis iam gramine paſtos
Cogit equos, celerique ruens per deuia curru
Infrenes rapit ille feros; & Nictea toruum,
Mordacemque rudi caſtigat Alaſtora ſceptro:
Ipſi ad inaſſuetum malè caligantia cælum
Lumina detorquent; ſua tum veſtigia retro
Facta legunt, furuumque auidi præſepe repoſcunt:
Subſidunt valles, vaſto diſſultat hiatu,
Et dominum, partita ſinus vtrinque reductos,
Terra ſuum recipit, redditque pauentibus Vmbris.
Nec mora, cùm MATER rumore excita ſiniſtro
Amens, &, quantum pietas inſana monebat,
Vociferans, gemina lumen rapiebat ab AEtna
Arbore, tum picea luſtrans veſtigia PINV,
Si qua forent, natæ, binique DRACONIBVS omnes
Circumuecta polos; poſtquam cælóque, ſaloque
Ambages fruſtrà eſt longas emenſa viarum,
Nec niſi agente dolus patuit Ioue, fœdere tandem
Conciliat generum; ſed, quod nec & ipſa, iugales
Poſtquam experta toros, adeò Proſerpina curat.
At quænam illa virago? illa, illa eſt SCYLLA biformis:
SCYLLA puellari pubem tenus improba forma,
Inguina cui ſcelerata minax latratibus agmen
Parturiunt immane canum: vox faucibus imis
Oceani, crebris feriens horroribus aures
Redditur: obiectis immania ſaxa repugnant
Rupibus, at querulo reſponſant littora planctu:
Littora, quæ quondam terris vnita (vetuſtas
Si modò vera refert) medijs, vrgente ruina,
Diſſiluêre vadis; tum protinus imáque ſummis
Miſceri, & merſis immugire æſtus arenis.
Hæc Scyllæ domus, & domus implacata CHARYBDIS:
Iſta flagellatis ſpumanti vortice ſæuit
Syderibus, proditque ſuos ſine fraude furores:
Scylla ſui ſed parte latens potiore, adituſque
Fronte ferens placidos, deceptas illice forma
In vada cæca rates, & ſaxa latentia raptat;
Non niſi præſentem ſubitò intentantia mortem:
Hinc quod & è celſa circum ſua tempora raptam
Puppe rotat, nautis virgo malefida GVBERNAM,
Circumſeſſa latus rapidis vtrumque Moloſsis.
Quæ tamen hæc? aut vnde? mali quis primitùs auctor?
Siue eſt ipſa ſui, ſeu virga venefica Circes,
Quæ monſtris mutare potens pulcerrima rerum
Corpora, ſunt alijs ſatis hæc excuſſa poëtis.
Quæ verò hîc aliæ penitùs cornice reducta
Luxuriant vario tum res, tum ſydera motu?
Nónne hîc HIPPOTAMI? atque vtrumque animalia forma

Informi

Informi caudata latus? & ab Hercule preſſus
Interſertus hiat geminato forcipe CANCER?
Quis porrò ille, tenet ſcenæ quem dextera baſis
Auerſum Pario ſuffultum marmore tergus?
Olli dextra manus ſceptro ſubnixa TRIDENTI,
Læua ſed æquoreum cauda DELPHINA coercet:
Hic celer, ille tridens animalia figere certus:
Vtraque ſigna maris, dominumque ænigmate produnt
RECTOREM PELAGI, tempeſtatumque potentem.
Olli quantus honos, & quæ reuerentia vultu
Emicat, æquorei quo vaſta volumina campi
Sedat, & expulſo pelagus Aquilone ſerenat.
Quæ porrò claudit latus illi fœmina læuum?
An Dea? diuinum ſpirat decus & (niſi fallor)
Virginis os, habitumque noto, tum virginis arma
DELIGENAE, facilémne tenet ſtridoribus arcum,
Bis collecta ſinus, humeros ſuccincta pharetra.
Qualis in arboreis volat imperterrita campis,
Siue trucem pernix iaculum contorquet in hoſtem,
Siue cruentatum longè ſpeculata leonem.
Illa pari ſtudio tutamen Trinacris oræ
Cum patruo partita, pares altaribus altis
Accipit, acceptos populis Dea penſat honores.
At mihi quàm penitus dotes natura recludit
Ipſa ſuas, ſpargens æterno fonte ſalubres
Corporibus lymphas, quibus aut medicamina longas
Fecerunt externa moras, aut perdita vitæ
Spes, & deplorata ſalus; hos deſerit omnis
Quippe dolor, ſimul ereptis Plutonis auari
Faucibus, amiſſæ redeunt in priſtina vires.
Nec niſi terrigenis debetur denique THERMIS
Parta ſalus, foto genuina corpore lympha.
Et parte ex alia, Siculis notiſsima regnis;
AETHNA Gygantæos (ſi vera eſt fama) furores
Spirat adhuc; ſeu ſulphureus (quod verius) ignis
Cauſſa locus; quique abſtruſis Aquilone cauernis
Materiam ruit expulſus. quos illa tumultus,
Quos fremitus ciet? è venis illa omnibus iras
Eruit indomitas, & ineuitabile flamis
Diluuium latè vicinis ingerit agris:
Illa vrbes quatit, & ſummas gliſcente minatur
Deiecturam arces flamma, excidióque daturam.
Sed vatis fuit illa labor, quem æquare canendo
Non noſtrum, ille iter inſolitum Phœbo duce fecit.
Subiectam tamen agnoſco radicibus vrbem
MESSANAM, ratium fida ſtatione potentem:
Atque agnoſco virum ſumma de rupe cadentem,
Quem ceruice tenus ponti demerſit hiatus.
Doridis ille ſinum, veniens ex Elide, ſalſæ
Subterlapſus init vagus vrinator; at vnam,
Vnam tete, ARETHVSA, petens: non detinet illum
Longum iter, atque ſonans ſupra caput horrida ponti

Tempeſtas, ſaliſue viæ deterret amaror,
Miſceri dum fonte tuo, ſperátque Sicanis
Reſpirare vadis: tu, non ingrata laboris
Emeriti, ALPHEVM grato dignare cubili,
Mî ſimul extremum hunc claudas, ARETHVSA, laborem.
Tu verò hiſtorijs exſtructum pegma vetuſtis
Taliter exornans, Arethuſæ fonte receptos
Limpidulo, Elæi iuuenis dum fingis amores,
Quid, niſi diuini ſunt hæc ænigmata, GOLTZI
Ingenij manifeſta tui? queîs MAGNA SICANIS
GRAECIA per veteris diuerſa numiſmata ſêdi
Conciliata coit, & quæ monumenta vel ipſa
Noluit, aut potuit minùs explorare vetuſtas,
Ante oculos, interque manus hæc omnia noſtras,
Vt lubeat, verſanda refers. At quid tibi tantis
Pro meritis referet, hoc qui tibi nomine debet,
Quantuſcumque patet terrarum, maximus orbis?
Quid genere HERBIPOLIS? vitali munere VENLO?
Quid ſibi ROMA tua tribuit virtute? colono
Quid plaudit te BRVGA ſuo? dum ſuggerit ille.
O vrbes ſtolidæ, maioráque viribus auſæ,
Reſpicite Eoi ſpatium quò diſtat Ibero.
Non illud laudiſue viri, vel nominis ampli
Omne capax; & neſcio quid fama illius aſtrs
Affectet: vos circuitu cohibere ſtudetis
Vallorum exiguo, totus quem non capit Orbis.

IN HVBERTI GOLTZII SICILIAM ET MAGNAM GRAECIAM ODE ANDREAE PAPII GANDENSIS.

ROmana priſcis tempora Conſulum
Signata faſtis, regnáque Cæſarum,
Omnémque deformi ſepultam
Hiſtoriam dominantis vrbis
Errore, pulchrum verius in diem
Dudum extuliſti: nunc populos libet
Adire vicinos; & ipſa
Longius Auſonia vagaris,
Voluentis æui præcipuum decus,
HVBERTE. per quem nos bona SECVLI
Reuiſit HVBERTAS: & vſu,
Quem ſapiens probet ipſe, fulget
AVRVM repertum, & ſic melius ſitum
Quàm terra cælet: materies dolis
Et crimini olim; nunc notandis
Temporibus, veterumque rebus.
Iam te ſecundis littore ab Italo,
Qua Magna ſeſe Græcia porrigit,
Soluiſſe ventis: iam Sicanos
Aſpicio penetraſſe portus.

Iam

Iam, peruagata, tergeminum in latus
Quacunque vasto prominet æquore,
Telluris antiquæ docentem
Attonitus monumenta miror.
Vt mî tyrannorum imperia, & viceis
Audire gratum est; gestaque prœlia:
Vt gentium priscos parenteis,
Fluminaque, & fluuios fugaceis,
Vt scisscitari sæpe auido subit,
Queis Aetna flammis arserit: aut vbi
Emergat vrinator amnis,
Fontem Arethusa tuum requirens
Abusque ludis Elide nobili:
Quáue Enna, raptu Persephones, caput
Infame, tollat. mox, latenteis
Naufragæ scopulos Charybdis,
Scyllæque vultus præter amabileis,
Sonante raucis turpi vtero lupis,
Ductore te, tutus reuerti
Hesperias videor sub oras.
Hîc, quicquid olim condidit vrbium
Troiæ domitrix Graiugenûm manus,
Aquásque Baiarum salubreis
Finitima regione, nosco.
Hîc &, celebri sueta silentio,
Dîs haud minorum corda virûm colo:
Vnde Italis doctrina primum,
Et, posita feritate, mores.
Sed quin per amplos, Musa, sine ordine
Errare campos desinis impudens?
Cum GOLTZIO per cuncta in orbem
I potius: paritérque eodem
Quiesce portu, dum Macedûm procul
Graiûmque terras, æquor & Atticum,
Atque Asias lustrare gazas
Lene fauens Aquilo mouebit.

IACOBI MARCHANTII AD HVBERTVM GOLTZIVM EPIGRAM.

ERuta qui priscis tenebris Heroïca GOLTZI
Imprimis æternis ora voluminibus:
Alma Ceres tedasque gerens, & spicea serta,
Præposuit cunctis quæ Sicula arua locis,
Horrea multiplicet semper tua, semper honori
Aclucem ingenio præferat illa tuo
Et quem Triptolemo, verum tibi præstet amorem,
Te simul in curru gaudeat esse suo.
Nam latebras facibus dum lustrat mæsta Sicanas,
Ipsius adiungis lumina luminibus.

AEGIDII VVIITSII I. C. BRVGENSIS AD HVBERTVM GOLTZIVM HERBIPOLITAM VENLONIANVM CIVEM ROMANVM ANTIQVARIVM.

QVò pedibus multi magno molimine tendunt,
Vt cernant oculis vaſti miracula mundi,
Illuc tu cultor Muſarum magnus in æde
Muſarum, Muſas inter, ſine puluere, GOLTZI
Vectus es arte noua, numeroſa numiſmata cernens:
Nam cùm quæque ſua ſerie diſperſa reponis
Fronte, genis, oculis, naſo, mentóque, labróque,
Et quid ſigna notent variè doctéque recludis;
Haud aliter quàm qui procul & peregrè omnia coràm
Conſpexêre oculis, Muſis recitantibus offers.
Sunt tibi pro pedibus digiti, calamóque recludis
Quæ pedibus multi. Sed in hoc tua gloria maior
Haud etenim natura homini præſtantius vllum
Membrum, quàm manuum dedit: hæ teſtantur apertè
Participem rationis eum mentiſque ſupernæ,
Vnde etiam manuum maior iactura probatur,
Non eadem pedibus debetur gloria, teſtis
Democritus cheragram veritus podagra magis ipſa.
Quod tibi cura fuit quondam peregrè proficiſci,
Vt quæ ſigna procul claudebant ſcrinia, ferres,
Hoc tibi commune eſt GOLTZI cum pluribus, illud
Eſt tibi cum paucis proprium, multiſque negatum:
Laus tua magna, tuæ fidei hæc ſunt ſymbola GOLTZI,
Vt te omnes credant de Græcis multa loquentem
Nil Græcè, veróque alienum affingere dictis,
Vt faciunt patriæ repetentes limina multi.
Ergo poſt Faſtos, Iuli Auguſtique recluſa
Signa, age nunc memorãda numiſmata Græca ſequantur.

IN HISTORIAM VRBIVM ET POPVLORVM GRAECIAE EX ANTIQVIS NVMISMATIBVS AB HVBERTO GOLTZIO HERBIPOLITA VENLONIANO CIVI ROMANO RESTITVTAM IVSTI VVIITSII AEGIDII F.

GRAECIA, continuis bellorum oppreſſa ruinis,
Nil præter liquit nomina conſpicuum.
Atque ex tot claris paſsim nihil vrbibus exſtat,
Quàm quod de libris promitur Hiſtoricis.
Hanc ſolus, GOLTZI, potuiſti auertere cladem
Prodens è tenebris omnia Cymmerijs.
Cecropi quantum igitur veteres debetis Athenæ,
Quantum etiam Cadmo, Sparta vetuſta, tuo
Et quantum debet Cereri Trinacria tellus;
Tantum promeruit GOLTZIVS inde decus.

ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ ΒΡΙΓΚΤΙΟΥ
ΑΜΟΡΦΟΡΤΙΕΩΣ
ἐς τὰ τῦ Οὐβέρτι Γολτζίου νομίσματα ἑλληνικὰ ἐπίγραμμα.

ΕΠταλοφος ῥώμη πολλοῖς γλαφυροῖσί τε σκύλοις
Τῆς ἀσίης, λιβύης τε ἠ εὐρώπης μαχίμοιο,
Τὰς πολέμοις τε μάχαις τε πάλαι νίκησε πονήραις,
Κοσμεῖτ' ἱερεῖα θεῶν, παλλάντιον αὐτῆς,
Δώματα, ἠ ἀγορὰς μεγαλοφρονέεσκε πλατείας.
Θησαυρύς τ' οἰκεμενικὰς, ἠ χρήματα πάντων
Ἐν τῷ κόλπῳ ἐθνῶν κρατέειν ἀπεκόμπασε μένην.
Ταῦτα δὲ οὐχ ἑνὸς ἐργασίη τε πόνῳ τε βιαίῳ
Εἶχε στρατηγῦ ἀριστεύσαντος κάλλιον ἄλλων,
Αλλ' ἀρετῇ πολλῶν τεινάντων τέρματα ῥώμης.
Πολὺ δικαιότερον βέλγαι καυχᾶσθαι ἔχουσιν,
Οττι ἐκεῖνα τὰ κάλ' ἐξαρπασθέντα ἠ αὐτοῖς
ῥωμαίοις, ἐν κόλπῳ ἔχειν σφῶν πάντα ὁρῶντι
Αργαλέῳ τε πόνῳ, ἀρετῇ θ' ἑνὸς ἀνδρὸς, ἁπάντων
Οσσις γαῖα φέφει πολυμοχθοτέροιο πλατεῖα,
Οὔνομα ΟΥΒΕΡΤΟΥ πολυχρύσε, βελγικὴ αὐτὸν
ΓΟΛΤΖΟΝ κικλήσκει διαλέκτῳ γαῖα, δικαίως.
Εκ γὰρ ὅδ' ἀμφιλαφῆς θησαυρῆ, ἠ πολυτίμε,
Ωσπερ ἀμαλθείας κέρατος, ἡμιλία πάντα,
Ωσ' ἐξ εὐρώπης βασιλειῶν παντοδαπάων,
Οσσα τε ἐκ κελτῶν, γερμανῶν, ἑσπεριῶν τε,
Αὐσονίων τε σωῆγε, ἠ ὅσσα ἡ ἑλλάδος ἔσχεν
Χρήματα χθῶν, σικελῶν, δαυνῶν, καλαβρῶν τε μακάρτων·
Οσσα τε ἰλλυριοὶ, μακεδῶν τε νομίσματα ἠ θρῆξ
Κτήσατο, δαψιλέως ἐς κόλπον πρύχεε βελγῶν.
Μήτε τέλεια ἄλις δόμεναι, μήθ' ἱκανὰ δῶρα,
Μήτ' εὐεργεσίην ὑποδείξασθαι ἐνόμιζεν,
Εἰ μὴ κ'εἰς ἀσίην περάσας, νειμήλια πασῶν
Ελλαδικῶν πόλεων ἐπισωρεύσαι τ' ἂν, ὅλην τε
Ολβιάσαι χθόνα βελγάων, ἀρχαῖα ὀρύξας
Μνήματα ἑλλήνων πολλοῖσι λαθόντα ἔτεσσιν.
Ω' γῆς εὐτυχέος βελγάων, ἡ ὑπὲρ ἄλλα
Χωρία τ' ἐν κόσμῳ βαθυλήϊα ὄλβον ἁπάντων
Τῶν ἐθνῶν ὁλοχρύσον ἔχεις! εὐφήμεε τοίνυν
Οὐβέρτῳ ἀγαθῶν τοσσήτων αἰτίῳ· ἐκ ἂν
Αφθον' ἔχοις τὰ τάλαντα, ἄτερ δωτῆρος ἐάων
Τοσσατίων. τὰ δὲ δωσόμενος, πολυπρήγμονι κῆρι
Μηδενὸς ἡ καμάτοιο ἐφείσατο, ἠὲ πορείης.

IDEM LATINO CARMINE

AB EODEM CORNELIO BRINCTIO AMORFORTIO REDDITVM.

ROMA ſupercilium, criſtáſque erexerat olim
Europæ ſpolijs Libyæque, Aſiæque ſubactæ
Ornari delubra Deûm, ſua roſtra, forúmque,
Priuatáſque domos, atque alta palatia patrum:
Inque ſuum congeſta ſinum cimelia, gazas,
Theſauróſque ſuo quæ viſcere condidit orbis.
Nec verò vnius bona tanta accepta ferebat
Virtuti, factiſque viri, ſed fortibus auſis
Multorum auſpicijſque ducum, qui fortiter haſta
Extendêre ſui pomœria publica regni.
AEquiùs at quantò ſe Belgica terra beatam
Prædicet, oſtentétque ſuis turgentia gazis
Scrinia, quas (mirum) ſpoliatis poſsidet ipſis
Romanis rerum dominis: ſollerte labore,
Vniuſque viri virtute, induſtria cuius
Exſuperat cunctos quotquot terra educat alma;
Nomine quem HVBERTVM GOLTZVM cognomine vero
Teutones appellant: ex hubere namque coruſci
Auri non ſecus ac é cornu copiæ aceruo,
Omnia quæ Europæ clariſsima regna Latini
Nominis, Heſperia ac Germania, Gallia tota,
Auſoniæque vrbes cimelia pulcra tenebant:
Omnia quæ ex auro pretioſa numiſmata ſuluo
GRAECIA dives opum priſcis procuderat annis,
Erepta Illyrijs, Siculis, Calabriſque beatis,
Thracibus, ac Macedûm populis bellacibus, imum
Belgarum in gremium profudit diuite dextra.
Nec ſolidum ſatis officium, domúmue putauit
Se dare, ni penetrans Aſiam, populatus Ionas,
Vt Belgas ornet, numis ſpoliaret auitis,
Effoſsis gazis. Otérque quatérque beatam
Belgarum gentem, veterum monumenta virorum
Aurea quæ in gremio felici condita ſeruas!
Ergo agedum auctori tantorum grata bonorum,
Quem nullus terrere labos, terrere periclum
A ſtudio potuit, quin téque tuóſque bearet,
Præmia pro meritis ſi non perſoluere ſummis
Digna potes, ſaltem bona cuncta ac fauſta precare.

REGI

REGI CATHOLICO PHILIPPO AVSTRIO II. HISPANIARVM, VTRIVSQ. SICILIAE ET NOVI ORBIS REGI POTENTISSIMO.

HVBERTVS GOLTZIVS HERBIPOLITA VENLONIANVS CIVIS ROMANVS. DEDICAT CONSECRATQ.



VPERIORIBVS annis REGVM POTENTISSIME omnem operam atque curam contuli, vt populi Romani res gestas, leges & instituta, non a silentio hominum, a quo quidem ipse sua se virtute, rerumq. gestarum magnitudine pridem vindicauit, sed ab obscuritate quæ amissis plerisque veterum monumentis mirabiliter iam omnium mentes inuoluerat, educerem: quoad subsidio numismatum & antiquitatis memoria studio meo ac diligentia consequi poteram. Atque vt nullum spiritum satis tranquillum ducebã, quò, aliquid ex antiqua litterarũ laude ad cõmunem hominũ fructum sub Tuæ quoque Maiestatis auspicijs cõferre possem, ita tam egregiã huius meæ sollicitudinis voluntatem ante annos XVIII, quum VIVAE OMNIVM IMPERATORVM IMAGINES addita a nobis perquam breui actorum gestorumque a singulis Imperatoribus historia, sub Tuæ Maiestatis nomine adparuerunt, satis testatam fuisse non despero. At nunc proximum esse iudicabam animũ & cogitationem eò conuertere, vt obsoletam prope Græcorum antiquitatem (a Sicilia & Græcia Magna quæ tuo felicissimè reguntur imperio auspicaturus) ex numismatum symbolis & nobilissimis annalium monumentis, tum Chorographica & Geographica descriptione in lucem & memoriam omnium reuocaremus. Licebit REGVM MAXIME in his commentarijs nostris magno ad omnẽ posteritatem documento, animaduertere; rebus humanis

magnã ineſſe varietatem, incredibilem incõſtantiam. Mortalium enim omnia vt caduca, vt fragilia ſunt, ita vel vi exſtincta vel vetuſtate conſumta aboleri, interire vrbes, reſpublicas, regna, imperia. nihilque conſtantius quàm virtutis ex hiſtoriarum commendatione memoriam, nec ipſas quoque hiſtorias, niſi generis humani interitus antecedat, vnquam interituras. Atque vt corpora noſtra cernimus, alia externa ferri impulſione, ictúque peruerti, alia inteſtina humorum diſſenſione diſſolui, pauca quædam naturali cõfecta ſenio cõtabeſcere: ſic ciuitates partim hoſtilibus armis afflictas, partim domeſtico ſeditionis morbo, quaſi occulto quodã veneno, ante ſenectutis maturitatẽ conſumtas licebit intueri: & certos a Deo rerum publicarum ambitus & cõuerſionum limites eſſe conſtitutos. Adhæc incolas, alios hoſtium viribus expulſos, alios abundante multitudine, vel ob agrorum inopiam, vel cæli intemperiem alienas ſedes ſponte quæſiuiſſe: aſsiduum eſſe humani generis diſcurſũ, noua quotidie vrbium fundamenta iaci, noua gentium nomina prioribus exſtinctis, aut in interitum conuerſis ſuboriri; vix vllam inueniri terram quæ ab indigenis ſuis incolatur. In Siciliam quidem & Italiam omnium iam tum rerum copijs affluentem, plærique ex Græcia creduntur traieciſſe. Verum vt eorum quiſque venerit; vt bella pacemque cum finitimis fecerit, ſuis quibuſque locis ſumma cura a nobis adſcriptum eſt, tum eorum temporum (ſi quæ haberi poterat) memoria ſatis explorata. Ceterûm nulla exſtant antiquitatis de Siciliæ colonis monumenta quã Sicanorum vetuſtiora, nam Thucydides idoneus in primis auctor teſtatum reliquit, Siciliam antiquiſsimo nomine a tribus promontoriis Trinacriam, mox a Sicanis populis Sicaniam dici cæptam. at Sicanos ex Hiſpania citeriore ſiue

Tarra-

Tarraconenſi in Siciliam traieciſſe idem memoriæ prodidit, ex quo cõficitur Hiſpaniam primos Siciliæ colonos dediſſe, nec longè nobis quærendæ ſunt antiquæ Sicanorũ ſedes, nam ad Sicorim flumen eos habitaſſe ſcribitur: at Sicoris per eam Hiſpaniæ partem quæ nunc Arragonia dicitur, vt ex Geographo manifeſtum eſt, delabitur. Quo exemplo mirabilem quoque temporum & populorum in migrationibus & imperijs viciſsitudinẽ & ſtatus ſui cõuerſionẽ ex aliqua maiorum neceſsitudine animaduertemus. Argumento ſit quod ſicuti ex Arragonia primi in Siciliã coloni nauigarunt, ita longo inde ſæculorum tractu, ab Arragoniæ regibus Sicilia in poteſtatem redacta, & a Gallorum dominatione vindicata eſt: quarum nunc vtraque ſub Tuæ Maieſtatis auſpiciis gubernatur. Atque vt Siciliæ & regni Neapolitani origo, eorumdemque imperiũ & conuerſiones commodiùs in æqualium noſtrorum ac poſteritatis cognitionem veniant, iſtam noſtræ hiſtoriæ ſeriẽ quam ab omni antiquitatis memoria vſque ad Regiæ poteſtatis tuæ principium repetiuimus, in Maieſtatis Tuæ nomine vt adparere patiaris ſupplico. Etiamſi Maieſtas Tua diuini numinis beneficio imperium prouinciarum multitudine & locorum interuallis ampliſsimum poſsideat, nulliuſque tam latè pateat ex omnibus quæ vnius poteſtate reguntur, veniam dabit tamen vti confido benignitas tua, ſi nos ex eiſdem duas nunc tantùm partes attigimus. Nam vt Imperium Tuæ Maieſtati maximum, partim vi & armis a maioribus tuis propagatum, partim legitima ſucceſsione in ampliſsimam potentiã auctum eſt: Ita nunc ſũma cum vtriuſq; diſciplinæ gloria ſub tuis auſpicijs floret: hòc etiam glorioſius, quòd & in Africam atque Americã non ſine vberrima & quæſtuoſiſsima mercatura Chri-

ſtianæque religionis amplificandæ ſtudio prolatũ ſit. Tuum itaque illud tam latè vel in alterum vſque orbem patens Imperium huic noſtro tam exiguo Commentario adſtringere ineptum cenſebamus; quo dlaxiorem multò & ſplendidiorem quàm noſtra patiatur imbecillitas apparatum exigit. Ceterùm vt ante biennium Maieſtatis Tuæ ſocero, Imperatori Cæſari MAXIMILIANO Auguſto, AVGVSTVM noſtrum, vt Auguſti in Imperium ſucceſſori, ex argumenti neceſsitudine dedicauimus, ita nunc REGI PHILIPPO Regum potentiſsimo, eiuſdemque SACRAE MAIESTATIS genero, antiquitatis in regnis duobus eidem parentibus reſtitutæ memoriam, & diligentiæ ac laboris mei fructum conſecramus. Brugis Flandrorum. XVII. Kal. April.
M. D. LXXVI.

HVBERTI GOLTZII HERBIPOLITAE
VENLONIANI CIVIS ROMANI,
IN HISTORIAM ET NVMISMATA VRBIVM
ET POPVLORVM GRAECIAE
AD MARCVM LAVRINVM WATERVLETI DOMINVM
PRAEFATIO.


ADparebunt tandem ex tua potiſsimùm Mæcenas benignitate & liberalitate Græcorum numiſmata: voti itaque tui quod ſolennibus olim quum ante annos quattuordecim ex Italia redijſſem verbis conceperas, reum te facimus. Quemadmodum enim non alia tibi res pridem tam cordi fuit, quàm aliquid ſemper ex priuatis opibus tuis in commune conſulere: ita quo locupletiorem antiquitatis cognitionem ad poſteritatis vtilitatem propagares, me ante annos ſexdecim, vt Germaniam, Galliam & Italiam omnium regionum antiquitatis theſauro ditiſsimam per biennium obirem, delegaſti: inde ad te reuerſus memini magno tibi oblectamento fuiſſe, varia numiſmatum omnigenûm exemplaria, exquiſitiſsimè per me delineata, & quàm fieri potuit exactiſsimè fideliſsiméque expreſſa. Adhæc præter Imperatorum, Magiſtratuumq; Romanorum, maximæ tibi fuiſſe voluptati Græciæ Regum & Principum, tum etiam populorum, vrbium ac rerumpublicarum numiſmata: atque tunc magno cum animi tui deſiderio nuncupatis etiam votis exoptaſſe, vt eiuſdem Græciæ theſauros, æqualibus noſtris & poſteritati proxima quaque opportunitate recludere, & in lucem producere poſſes. Ceterum quia ob diuerſitatem numiſmatum ſpatio deliberandi & iudicij ampliatione opus fuit; ſimul vt aliorum etiam conſilia, qua via & methodo eadem ad antiquitatis hiſtoriam & regionum ſitum commodius digererentur prius intelligere: quo lectoris interea vtilitati conſuleremus, & eiuſdem exſpectationem acueremus, placuit primùm IVLII CAESARIS numiſmata (quod ante annos xiij. præſtitimus) publicanda eſſe, mox vt triennio inde proximo Faſtorum ſeriem Magiſtratuum Romanorum numiſmata prouulgaremus, proximis deinde annis dum de Græcorum ordine & ſerie editionem ampliamus, AVGVSTI numiſmata eiuſdemque res geſtæ in publicum prodiêre. Atque ſicuti hactenus nihil quod conſilij aut voluntatis tuæ fuit obmiſimus, ita nunc quoque, quod iamdiu de Græcorum numiſmatibus, à nobis conceptum eſt parturimus, poſtea quàm tibi placuit eadem ſecundum regionum tractũ, ſitumque, terrarum ex ordine Geographico eſſe digerenda, Antiqua-

riorum verò aliquot nobiliſsimorum, quos olim in Italia cõſulueram, quíque cenſebant Diuorum, Diuarumque & Nympharum tum Heroum & Heroinarum facies & ſimulachra, quot in numiſmatibus apud me exſtabant ſecundum epitheta ſingulis attributa in unam ſeriem cõponenda eſſe, in hac re conſilium ſequuti non ſumus, quod hac ratione vtentibus, multarum regionum, & vrbium numiſmata, quæ neque ſymbola neque facies Diuorum aut Diuarum exprimebant, nobis omittenda fuiſſent: ſunt enim pleraque aliqua fertilitatis nota, cuicumque regioni aut territorio peculiari, ſignata; vtpote tritici, vini, herbarũ, arborum, itidem piſcium, fluminum, aut fontium. Probauerunt autem tuum hoc de ordine Geographico in hac numiſmatum Græcorũ publicatione obſeruando conſilium, & alij quàm plurimi ſuper hoc cõſulti in omni diſciplinarum genere verſatiſsimi, ornatiſsimique: inter ceteros nulli Mathematicorum noſtri ſæculi ſecundus Ioannes Stadius & Abrahamus Ortelius noſter, Regiæ Maieſtatis Geographus: qui & ipſi omnes poſt te nobis auctores erant, vt eam formulam proſequeremur, qua Lectori ſimul & Geographiæ antiquæ compendium, & Dij tutelares ſingularum regionum, aut vrbium proprij, magna cum hiſtoriarum luce, proponerentur. Exorſi itaque à Sicilia, vtpote quæ (ſi quid veterum auctoritati credendum eſt) Italiæ olim vt continens eſt, cerui-ce quadam ſiue Iſthmo ad Rhegium adhæſerit; huic Magnam Græciã vno eodemque & primo libro adiunximus, Geographiæ leges & in hoc ſequuti, quibus ab occidente in orientem longitudinum dimenſio ſiue meridianorum diſtantia enumeratur. Proximo inde libro tranſmarinas Græciæ regiones quæ in continente erant, vtpote Epirum, Achaiam, Peloponeſum, ab his in Septentrionem tranſeuntes Theſſaliam, Macedoniam, Thraciam cum ipſarum vrbium numiſmatibus complexi ſumus, quibus breui vti ſpero ſummam manum impoſituri ſumus. Tertius deinde liber ſubiungetur, cui inſulas Græciæ ab Hadriatico & Ionio mari exorſi, tum quæ deinceps in mari Libyco, Cretico, Myrtoo, & AEgeo, vtpote Sporades & Cyclades occurrebant; Ponti quoque Euxini nonnullas, & has quæ Aſiæ minoris litoribus oppoſitæ erant, incluſimus: quarum Catalogum ſuo indice & opportunè exhibebimus. Quartus verò & vltimus liber continebit aliquot Aſiæ minoris regiones, Cappadociam nimirum Galatiam, Pontum, Bithyniam, Myſiam, Phrygiam, Mæoniam; AEolidem, Lydiam, Ioniam, Cariam, Doridem, Lyciam, Pamphyliam, Ciliciam, & in Aſia maiore Suriam, hinc in AEgyptum deflectentes aliquot Africæ vrbes addemus

mus & in eiſdem regionibus ſingularum (quæ quidem apud nos exſtãt) vrbium numiſmata expreſſuri ſumus, ſinguliſque iterum quantum ex antiquitatis monumentis nobis in comperto erit, hiſtorias ſuas adiungemus. Quo conſilio & inſtituto noſtro tum lucubrationibus aſsiduis ex tua in rempublicam litterariam liberalitate, congiarium æqualibus noſtris & poſteritati ſempiternũ, ex antiquis Theſauris nos ſub tuis auſpicijs repræſentaturos, ſperamus: ſimul tot vrbes vti olim nobiliſsimas, ita nunc proprijs in ruderibus ſiue temporum iniuria, ſiue hominum incuria in ijsdem quaſi ſepultas, in lucem & vitam reuocaturos: adhæc tot populorum, tot Heroum & Principum res geſtas beneficio hiſtoriarum inſtauraturos. Age igitur benigniſsime Mæcenas, has noſtras hoc in argumento primitias, hilari & promto animo excipito: ita enim & nos ad reliquorum quæ partim in promtu habemus, partim etiamnum meditamur, euulgationem animaueris.

AVCTOR LECTORI.

Characteres Græci quos in tabellis numiſmatibus ſubiectis videbis; vtpote α. β. γ. δ. ε. ζ. θ. amplitudinem ſiue exilitatem ipſius nmumi oſtendunt. ita vt intelligas numiſma cui talis character adſcriptus ſit, tanta eſſe magnitudine quantũ eſt interuallũ in figura hîc ad calcem quæ ex circulis alijs alio maioribus conſtat, intra ſupremã omnium lineam circularem & alteram cui idem ille character, quem nummo additũ cõſpicis ſupraſcriptus eſt. Alij verô characteres qui in ijſdem tabellis nummo ſubiunctis adparent, metallum ex quo quiſque nummus cuſus ſit indicant; ita vt Au auro, Ar argento, Æ ære nummum ſignatum demonſtret. Et hoc obſeruabis eaſdem tabellas, auerſam & aduerſam numiſmatum partem coniungere. Vale.



EXEMPLAR SENATVSCONSVLTI
QVO HVBERTVS GOLTZIVS CIVITATE ROMANA DONATVS EST.

STEPHANVS PAPARONIVS, HIERONYMVS GROSSVS, HIERON. BVBALVS ALMAE VRB. COSS. AD POSTERITATIS MONVMENTVM, HIS LITTERIS SCIRE OMNES VOLVMVS INTER PRAECLARA MAIORVM ROMANORVM INSTITVTA ILLVD FVISSE PRAECLARISSIMVM, INSIGNES SCILICET VIRTVTE ET PROBITATE VIROS AVGENDAE REIPVB. GRATIA, CIVITATE DONARE, VT PRAESTANTISS. CIVIBVS AVCTA, DOMI FORISQVE OMNIVM NATIONVM RES GESTAS SVPERARET. QVORVM NOS IMITATIONE ATQVE EXEMPLO PYRRHO TARIO I. V. D. HECTORE MVTTINIO, VINCENTIO RVBEO TRIBVS EX QVATTVORVIRIS CIVITATIS DONANDAE FREQVENTIQVE SENATV ASSISTENTIBVS, HVBERTVM GOLTZIVM HERBIPOLITAM VENLONIANVM, BENE DE ROMANA REPVBL. MERITVM, CVIVSQVE VIRTVS SINGVLARISQVE ERGA ROMANVM NOMEN OBSERVANTIA CVM PRAECLARISSIMORVM CIVIVM TESTIMONIO, TVM EDITIS NVPER SCRIPTIS SENATVI PLANE CLARVIT, CIVEM ROMANVM EX S. C. CREAVIMVS, CREATVM IN SENATVM VENIRE, MAGISTRATVS GERERE, IVS FERENDI SVFFRAGII HABERE, SACERDOTIA OBTINERE, BONA EIVS LIBERA ATQVE IMMVNIA ESSE CETERISQVE ROMANORVM CIVIVM HONORIBVS ATQVE PRIVILEGIIS HONESTARI QVIBVS ILLI FRVVNTVR QVI CIVES ROMANI NATI AVT IVRE OPTIMO FACTI SVNT, DECREVIMVS ET CENSVIMVS. EA TAMEN LEGE VT VRBEM ROMAM, SICVT OPTIMVM QVEMQVE CIVEM DECET, SVA VIRTVTE ATTOLLAT, FIDELITER A QVOCVNQVE VEXANTE TVEATVR, IVRA PONTIFICIA ROMANIS CONCESSA, ATQVE SENATVS CONSVLTA OBSERVET, ROMANOSQVE OMNI DILECTIONE PROSEQVATVR. DANTES SCRIBIS SENATVS P. Q. R. AVCTORITATEM, FIDEI ERGO ATQVE AD PERPETVAM POSTERITATIS MEMORIAM, ACTA HAEC ATQVE DECRETA IN PVBLICAS TABVLAS SVBSCRIPTIONE REFERRE CVM SIGILLI S. P. Q. R. APPENDICE, DATVM IN PALATIO CAPITOLINO VII. IDVS MAII. M. D. LXVII.

IVLIVS HOROLOGIVS SCRIBA S. P. Q. R.
HORATIVS FVSCVS SACRIS. P. Q. R. SCRIBA.

CLARISSIMO VIRO HVBERTO GOLTZIO HERBIPOLITÆ VENLONIANO CIVI ROMANO, HISTORICO, ANTIQVARIO, AC PRISCI SAECVLI INSTAVRATORI DILIGENTISSIMO, AMICO SVO VETERI,

ABRAHAMVS ORTELIVS ANTVERPIANVS PHILIPPI II. HISPANIARVM REGIS GEOGRAPHVS

S. P.

BEneficia plura recipere, qui ſcit reddere, docet verſiculus, Ornatiſſime Goltzi; itaque remitto tibi, Græciæ tuæ numiſmatum delineationes perquam elegantes; mecum, quæ tua erga me, & omnes viros bonos eſt beneuolentia, priuſquam lucem accepiſſent, communicatas. pro quibus gratias quàm poſſum maximas habeo. Non parum certè mihi in Synonymia Geographica quam iampridem molior, poſtque paucos menſes abſoluere cogito, adiumento, vt ingenuè, dicam fuére. Eò enim litterarum ſtudia hoc ſæculo noſtro eruditiſsimo in ſtatu eſſe videntur; vt nihil fere in diſciplinis, maximè quæ hiſtoriam attingunt, (in qua locorum ſitum & temporum ſeriem, ſine qua eam nequaquam conſtare poſſe, nemo mediocriter in ea verſatus, non intelligit, complector,) niſi numiſmatum, marmorumque antiquorum lectiones adhibeantur, perfectum aut abſolutum reddi poſſe videatur. Ea re, tu Goltzi, magnam apud omnes ſtudioſos gratiam inis; benéque de republica litteraria mereris; tuumque iſtud inſtitutum ſatis laudare non poſſum; qui huiuſmodi cimelia, quæ per totam hactenus ferè Europam in principum priuatorumque virorum muſæis diſperſa quodãmodo diliteſcebant, maximo ſtudioſorum cõmodo & vtilitati, in faſciculos congeris, & publica facis. idque verè & citra omnem fraudẽ, contrà quã maligni quidam inuidia tumentes blaterant: qui cum ipſi ſunt ignaui, alijſq; diligentiã inuident; nihil quod non ab ipſis fit, rectè factũ putant. Ne te autem horum ſycophantarum morſus ab incepto opere deterreant, quæſo, obſecróque; ſed in præclaro tuo inſtituto, bene de poſteritate mereri pergas. Habuére enim ſuos Homerus, Virgiliusque, maſtigas, &, paſcitur in viuis, vt ille inquit, liuor; poſt fata quieſcit

eſcit. THESAVRVM tuum, ita namque hoc operis quod modò præ manibus habes, indigitas; in quo reconditorum vocabulorum, dicendique generum myriades, ex omni antiquarum inſcriptionum ſupellectile per locos communes digeris, eum, inquam, auidè exſpectamus. Vale vir optime. Marcum & Guidonem Laurinos, Franciſcum Nanſium, Adolphum Mekerchum, & Victorem Giſelinum, viros doctos & communes amicos meo nomine ſalutabis.

Antuerpiæ Aduaticorum, VII. Idus Octobr.

CIↃ. IↃ. LXXV.

AD HVBERTVM GOLTZIVM HERBIPOLITAM VENLONIANVM CIVEM ROMANVM.

DANIELIS ROGERII ANGLI EPIGRAMMA.

CViatem te HVBERTE putem? vin Tuſcona dicam?
Parte Sicambrorum vel rear eſſe ſatum?
Nam dedit HERBIPOLIS proauos Germana genuſque,
Alma ſed eſt partus conſcia VENLO tui.
Aſſerit at ciuem te BRVGA ſuamque profeſſa
Contendit reliquis de patria illa tuâ.
Tres igitur de te certant vrbeſque plagæque,
Quid tres? ROMA negat, téque ait eſſe ſuum.
Virtutiſque ergò donatos ciuis honores,
Romanum ingenio, te ſuum arte probat
Dum moror hîc, dubiamque trahit ſententia mentem,
Nec ſatis expedio litibus hiſce caput,
Inclyta Romanis repetit te ciuibus Hellas,
Vendicat & ciuem Græcia magna ſuum.
Quare tot preſſus dubijs dum conſulo Phœbum,
Ille aurem vellens, reddidit iſta mihi,
Incaſſum quæris, qua GOLTZIVS vrbe ſit ortus,
Ducitur à ſuperis cuius origo plagis.

ELENCHVS

VRBIVM, POPVLORVM ET REGVM

quorum numiſmata & hiſtoriæ hoc libro exhibentur.

Siciliæ.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ.
ΛΕΟΝΤΙΝΩΝ.
ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ.
ΑΔΡΑΝΙΩΝ.
ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ.
ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ.
ΥΝΔΑΡΙΕΩΝ.
ΑΓΥΡΙΝΑΙΩΝ.
ΘΕΡΜΙΤΑΝ.
ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ.
ΔΡΕΠΑΝΩΝ.
ΛΙΛΥΒΑΙΙΤΑΝ.
ΣΕΛΙΝΩΝΤΙΩΝ.
ΦΙΝΤΙΑΣ.
ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ.
ΑΚΡΑΓΑΝΤΟΣ.
ΙΜΕΡΑΙΩΝ.
ΓΕΛΑΣ.
ΕΜΠΟΡΙΤΩΝ.
ΜΗΝΑΝΙΝΩΝ.
ΣΕΓΕΣΤΑΙΩΝ.

Regum Syracuſanorum & Siciliæ.

ΓΕΛΩΝΟΣ ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ.
ΙΕΡΩΝΟΣ.
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.
ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.
ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.


Ciuitatum Magnæ Græciæ et Italiæ.

ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ.
ΠΥΤΕΟΛΙΤΩΝ.
ΚΥΜΑΙΩΝ.
ΣΙΝΥΕΣΣΑΝΩΝ.
MINTVRNENSIVM.
AXYRITANORVM.
ΑΝΤΙΑΤVM.
ROMANORVM.
SVESANORVM.
ΤΙΑΝΕΩΝ.
ΚΑΛΕΝΙΤΩΝ.
ΚΑΠΥΑΝΩΝ.
ΑΤΕΛΛΑΝΩΝ.
ΝΩΛΑΙΩΝ.
ΠΙΚΕΝΤΙΕΩΝ.
ΝΟΥΚΕΡΙΝΩΝ.
ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑΤΑΝ.
ΥΕΛΗΤΩΝ.
ΥΕΡΙΝΑΙΩΝ.
ΠΑΝΔΩΣΙΕΩΝ.
ΒΡΕΤΤΙΩΝ.
ΑΧΕΡΩΝΤΑΝ.
ΙΠΠΩΝΙΕΩΝ.
ΡΗΓΙΝΩΝ.
ΣΕΦΥΡΙΕΩΝ.
ΛΟΚΡΩΝ.
ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ.
ΚΑΤΑΩΝΙΑΤΑΝ.
ΚΑΡΚΙΝΙΩΝ.
ΣΚΥΛΛΑΤΙΩΝ.
ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ.
ΘΟΥΡΙΩΝ.
ΜΕΤΑΠΟΝΤΙΩΝ.
ΣΑΛΑΝΤΙΝΩΝ.
ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ.
ΥΔΡΩΝΤΙΝΩΝ.
ΒΡΕΝΔΗΣΙΝΩΝ.
ΑΡΠΑΝΩΝ
ΑΓΚΩΝΙΤΩΝ.
ΠΙΣΑΥΡΙΕΩΝ.
ΣΥΒΑΡΙΤΩΝ *των και* ΘΟΥΡΙΩΝ *και* ΚΟΠΙΑΤΑΝ.
VALENTIA quę & ΙΠΠΩΝΙΟΝ.
ΦΑΛΕΙΩΝ.
ΚΟΣΩΝ.
ΑΝΤΙΠΟΛΙΤΩΝ.
ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ.

SICILIA.



ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
Æ I ζ
Æ II θ
Æ III ν
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
Æ III ε
Æ VI ζ
EYΘ.
EYΘ
TABVLA PRIMA


ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
Æ I ε
Æ II ε
ΣΥΡΑ
ΚΟΣΙ
ΩΝ
Æ III γ
Æ IIII β
ΣΥ
ΡΑ
Æ V δ
Æ VI δ
Æ VII β
Æ VIII γ
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
Æ IX γ
ΕΠΗΚΕΤΑ
Æ X Nγ
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
TABVL·SECVNDA



TABVLA TERTIA



ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
Æ I
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
Æ II
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
Æ III
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
Æ IIII
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
Æ V
Æ VI
ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ
Æ VII
Æ VIII
Æ IX
Æ X
TABVLA QVARTA




TABVLA QVINTA



TABVLA SEXTA



TABVLA SEPTIMA


ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ
ΔΡΕΠΑΝΩΝ
ΛΙΛΥΒΑΙΙΤΑΝ
ΣΕΛΙΝΩΝΤΙΩΝ
TABVLA OCTAVA.


ΦΙΝΤΙΑΣ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΦΙΝΤΙΑ
Æ I γ
II
ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ
ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ
R III δ
R IIII γ
ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ
ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ
ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ
ΦΙΛΩ
R V δ
R VI γ
ΗΡΑ
ΗΡΑ
R VII β
N VIII β
ΗΡΑΚΛΗ
ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ
N IX δ
N X γ
TABVLA NONA


ΗΡΑΚΛΗΙΩΝ
ΑΚΡΑΓΑΝΤΟΣ
TABVL·DECIMA



IMEPAIΩN
ΓΕΛΑΣ
Æ I
Æ II
Æ III
Æ IIII
Æ V
Æ VI
Æ VII
Æ VIII
Æ IX
Æ X
TABVLA XI


ΕΜΠΟΡΙΤΩΝ
ΕΜΠΟΡΙΤΩΝ
Ar I γ
Ar II β
ΜΗΝΑΝΙΝΩΝ
ΜΗΝΑ ΝΙΝΩΝ
ΚΟΡΑΣ
Ar III γ
Ar IIII γ
Ar V γ
Ar VI γ
Ar VII ε
VIII
ΣΕΓΕΣΤΑΙΩΝ
ΣΕΓΕΣΤΑΙΩΝ
Ar IX
ΨΟΦΟΔ

TABVLA XII


ΓΕΛΩΝΟΣ
ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ
ΓΕΛΩΝΟΣ
Æ I
Æ II
Æ III
IIII
ΙΕΡΩΝΟΣ
Æ V
Æ VI
Æ VII
Æ VIII
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
Æ IX
Æ X

TABVLA XIII


ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
Æ I ε
Æ II γ
ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ
ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ
ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΣΩΤΕΙΡΑ
Æ III ε
Æ IIII δ
ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΚΟΡΑΣ
ΚΟΡΑΣ
ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ
Æ V γ
Æ VI δ
ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ
Æ VII δ
VIII
IX
TABVLA XIIII

XVI.


MAGNA GRAECIA.



TABVLA XV.

C


ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΘΕ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
Κ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΑΡΤ
ΑΡΤΕΜΙΣ
ΓΑΛ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ
ΙΣ
ΑΡΤ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ
ΙΣ
ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ
ΝΙΝΟ
ΠΥΤΕΟΛΙΤΩΝ
ΑΡ
ΠΥΤΕΟΛΙΤΩΝ
ΠΥΤΕΟΛΙΤΗΣ
ΞΕ
ΠΥΤΕΟΛΙΤΗΣ
ΚΥΜΑΙΩΝ
ΚΥΜΑΙΩΝ
Æ I
Æ II
Æ III
Æ IIII
Æ V
Æ VI
Æ VII
Æ VIII
Æ IX
Æ X
TABVLA XVI


KYMAIΩN
ΣINYEΣΣANΩN
MINTVRNENS.
AXYRITAN.
ANTIATVM
TABVLA XVII



TABVLA XVIII


TIANESΩN
TIANΩ
Æ I
TIANO
Æ II
KAΛENITΩN
KAΛENITΩN
Æ III
KAΛENΩ
Æ IIII
KALENITΩN
Æ V
CALENO
Æ VI
CALENO
Æ VII
CALENΩ
Æ VIII
CALENΩ
Æ IX
CALENΩ
Æ X

TABVLA XIX


ΚΑΛΕΝΙΤΩΝ
ΚΑΛΕΝΙΤΩΝ
Æ I γ
Æ II γ
CALENO
ΚΑΠΥΑΝΩΝ
ΚΑΠΥ
ΝΩΝ
Æ III γ
Æ IIII γ
ΝΩΝ
ΚΑΠΥΑ
ΑΤΕΛΛΑΝΩΝ
ΑΤΕΛΛΑΝΩΝ
Æ V γ
VI
ΝΩΛΑΙΩΝ
ΝΩΛΑΙΩΝ
Æ
Æ VII γ
Æ VIII γ
ΝΩΛΑΙ
ΩΝ
ΠΙΚΕΝΤΙΕΩΝ
ΠΙΚΕΝΤΙΕ
ΝΩΝ
Æ IX β
Æ X γ
ΠΙΚΕΝΤΙΕΩΝ


TABVLA XX


ΠΙΚΕΝΤΙΕΩΝ
ΝΟΥΚΕΡΙΝΩΝ
ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑΤΑΝ
TABVLA XXI


ΥΕΛΗΤΩΝ
ΥΕΛΗΤΩΝ
ΑR I
ΑR II
ΥΕΛΗΤΩΝ
ΑR III
ΑR IIII
ΥΕΛΗΤΩΝ
ΥΕΛΗΤΩΝ
ΑR V
ΑR VI
ΥΕΛΗΤΩΝ
ΥΕΛΗΤΩΝ
ΑR VII
ΑR VIII
ΥΕΛΗΤΩΝ
ΥΕΛΗΤΩΝ
ΑR IX
ΑR X
TABVLA XXII




TABVLA XXIII



TABVLA XXIIII


BPETTIΩN
BPETTIΩN
Æ I ε
Æ II ε
BPETTIΩN
BPET
TIΩN
Æ III ∫
III
AXEPΩNTAN
AXE
PΩNTAN
NIKIAε
AXE
PΩNTAN
AXEPΩNTAN
Æ V ∫
Æ VI γ
IΠΠΩNIEΩN
VIII
PHΓINΩN
PHΓINΩN
Æ IX ε
Æ X ∫

TABVLA XXV


ΡΗΓΙΝΩΝ
ΡΗΓΙ ΝΩΝ
Æ I γ
ΡΗ
Æ II γ
ΡΗΓΙ
ΝΩΝ
ΡΗ
Æ III δ
ΡΗΓ
Æ IIII ſ
ΡΗΓΙΝΩΝ
ΖΕΦΥΡΙΕΩΝ
ΖΕΦΥΡΙ ΕΩΝ
Æ V γ
VI
ΛΟΚΡΩΝ
ΛΟΚΡΩΝ
Æ VII γ
Æ VIII γ
ΛΟΚΡΩΝ
Æ IX ſ
ΛΟΚΡΩΝ
Æ X ſ
TABVLA XXVI



TABVLA XXVII


ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ
ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ
ΚΑΥ
ΚΑΥΛ
ΚΑΥΛ
ΑΡ I γ
ΑΡ II γ
ΚΑΡΚΙΝΙΩΝ
ΚΑΡΚΙΝΙ
ΩΝ
ΚΑΡΚΙΝΙΩ
Ν
ΑΡ III δ
ΑΡ IIII β
ΣΚΥΛΛΑΤΙΩΝ
ΣΚΥΛΛΑΤΙΩΝ
Φ
Æ V ε
VI
ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ
ΩΝΙΑΤΑΝ
ΚΡΟΤ
ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ
ΑΡVII ε
ΑΡVIII ε
ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ
ΑΡ IX γ
ΑΡ X ε
TABVLA XXVIII


KPOTΩNIATAN
KPO
ΘOYPIΩN
TABVLA XXIX


ΘΟΥΡΙΩΝ
ΘΟΥΡΙΩΝ ΕΥΦΑ
ΘΟΥΡΙΩΝ ΣΩ
Σ Ε
ΑR I ε
ΑR II δ
ΜΕΤΑΠΟΝΤΙΩΝ
ΜΕΤΑΠ·
ΑR III γ
ΣΤ
ΑR IIII γ
ΜΕΤΑ·
ΜΕΤΑΠ·
ΜΑΝ·
ΑR V γ
ΑR VI γ
ΜΕΤΑ
ΗΚΙ
ΜΕΤΑΠ·
ΑR VII γ
ΗΡΑΚΛΕΙΑΣΝ
ΑR VIII γ
ΜΕΤΑ·
ΑΝ
ΜΕΤΑ·
ΑR IX β
ΗΡΑΚΛΕΙΑΣΝ
ΑR X γ
ΜΕΤΑ·

TABVLA XXX



ΜΕΤΑΠΟΝΤΙΩΝ
ΜΕΤΑ
Æ I γ
Ar II β
ΣΑΛΑΝΤΙΝΩΝ
Æ III γ
Ar IIII β
ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ
Ar V β
Ar VI γ
Ar VII γ
Ar VIII γ
Ar IX γ
Ar X γ

TABVLA XXXI


TAPANTINΩN
ΔR I
ΔR II
ΔR III
ΔR IIII
ΔR V
ΔR VI
ΔR VII
ΔR VIII
ΔR IX
ΔR X
TABVLA XXXII



TABVLA XXXIIII




TABVLÆ XXXIIII


ΣΥΒΑΡΙΤΩΝ ϗων ϗοϗ ΘΟΥΡΙΩΝ ϗοϗ ΚΟΠΙΑΤΑΝ
ΣΥΒΑ
ÆR I
ÆR II
COΠIA
VALENTIAE quæ et ΙΠΠΩΝΙΟΝ
VALENTIA
ÆR III
ÆR IIII
VALENTIA
VALENTIA
ÆR V
ÆR VI
VALENTIA
FAΛEIΩN
F A
ÆR VII
ÆR VIII
F A
F A
ÆR IX
ÆR X
A F

TABVLA XXXV


ΦΑΛΕΙΩΝ
Æ I γ
Æ II γ
Æ III γ
Æ IIII γ
Æ V γ
Æ VI γ
ΚΟΣΩΝ
ΚΟΣΩΝ
Æ γ VII Νβ
VIII
ΑΝΤΙΠΟΛΙΤΩΝ
ΜΑΣΣΑΛΗΤΩΝ
ΑΝΤΙΠΟΛΙΤΩΝ
Æ IX δ
Æ X β
TABVLA XXXVI



TABVL. XXXVII

XL.


HVBERTVS GOLTZIVS
LECTORI S.

NON tantum vt ordinem, quem in diſponendis, ex lege Geographiæ, Siciliæ & Magnæ Græciæ numiſmatibus ſequuti ſumus, rectiùs, Lector, intelligeres; verùm etiam in hiſtoriæ noſtræ lectione, modò oram maritimam legens, modò fluuios tranſmittens, inde porro nũc in hanc, nunc in aliam ciuitatem excurrẽs, maiore cum voluptate verſareris: earundem regionum tabulas Geographicas numiſmatibus continuò ſubiecimus. in quibus vrbes & flumina, quorum numiſmata exhibemus, litteris maioribus deſcripſimus: opida verò, mõtes, flumina, promontoria, inſulas, aliaq; loca, quorum ſingillatim in hiſtoria noſtra meminimus, minoribus characteribus expreſsimus. Neque tamen vlterius in Italia, quàm, ſecundùm mare Hadriaticum, Ariminum, ſecundũ Tyrrhenum, quod etiam Etruſcum appellamus, Coſam & Faliſcos vſq; proceſsimus. minimè enim neceſſarium eſſe videbatur, duarum duntaxat vrbium Maſsiliæ & Antipolis gratia, quæ in noſtris etiam numiſmatibus viſuntur, Italiæ tabulam in Narbonenſem vſque Galliam extendere. Illud etiam monendus es; nos in noſtris tabulis eas vrbes, flumina, montes, alia loca, quæ idem nomẽ habent, ſemel tantùm nominaſſe; neque eadem nomina ſæpius repetere voluiſſe. veluti, cum AEtna mons ſit, & ei eodem nomine ciuitas adiaceat, vti etiã de Eruce mõte & ciuitate poſſumus dicere; nec nõ de Eloro, quod & fluminis, & vrbis, & arcis nomen in Pachyno erat. nos huiuſmodi nomẽ ſemel poſuiſſe cõtenti, iterũ delineare abſtinuimus. quod etiam de Thuſa ciuitate, flumine, & emporio, vti & Vulturno flumine & opido. Truẽto flumine & ciuitate, Ariminoque vrbe & fluuio, eique ſimilibus intelligi volumus. Ceterùm quia in Sybari vrbe, fluuioque Sybari contrarium fecimus, vtpote quorũ nomina in Magnæ Græciæ tabula ſeorſim expreſſerimus: id eo cõſilio a nobis factum, vt faciliùs error animaduerteretur, qui in Ptolemæi geographia obrepſit; vbi Thurium (quæ prius Sybaris dicta fuerat) inter Crotonem & Metapontum ponitur. quod & nos in numiſmatum ordine obſeruauimus. In tabula tamen noſtra geographica, & in Sybaris, Thurijque deſcriptione, Strabonem ſequuti ſumus, qui Thurium inter Sybarim Crathimque amnes collocat. Et hæc quidem differentia inter duos tam probatos auctores, (ſimul & quia erant, qui dubitabant vtrum Thurium in ipſis Sybaris ruinis, exſtructum eſſet) me mouit, vt Sybaris numiſmata, extra ordinem in xxxv. tabulam, reijcerem. Vale & faue benigne lector.

SICILIA.


OCCIDENS
SEPTENTRIO
MERIDIES
ORIENS
MARIS TYRRHENI PARS
MARIS MEDITERRANEI PARS
MARE SICVLVM
ΛΙΛΥΒΑΙΟΝ
ΕΜΠΟΡΙΟΝ
ΣΕΓΕΣΤΑ
ΗΥΚΑ
ΣΕΛΙΝΟΥΣ
ΦΙΝΤΙΑ
ΠΑΝΟΡΜΟΣ
ΗΡΑΚΛΕΙΑ
ΑΚΡΑΓΑΣ
ΘΕΡΜΑ ΙΜΕΡΑΙ
ΙΜΕΡΑ
ΓΕΛΑ
ΑΓΥΡΗΝΑ
ΜΗΝΗ
ΛΕΟΝΤΙΟΝ
ΣΥΡΑΚΟΣΑΙ
ΚΑΤΑΝΗ
ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΟΝ
ΜΕΣΣΑΝΑ
ΤΥΝΔΑΡΙΟΝ
ΑΔΡΑΝΟΝ
MILLIARIA ITALICA M. P.
25
50
75
100

MAGNA GRAECIA ET ITALIAE PARS.



F. 2

IN HISTORIAM VRBIVM ET POPVlorum Siciliæ & Magnæ Græciæ ab Huberto Goltzio illuſtratam, Giſleni Gerardij Medici Brugenſis,

AD PHILIPPVM HISPANIARVM ET VTRIVSQVE SICILIAE REGEM EPIGRAMMA.

GOLTZIVS Hubertas ipſa eſt; deque hubere cenſu,
Huberis omnigenas fundit opes animi.
SICILIAM illuſtrat magnis conatibus, inde
Illuſtrat totam mox vagus ITALIAM.
Parthenopenque tuam celebrat REX MAGNE PHILIPPE:
Ergo tua meritò viuere dignus ope.

FRANCISCI NANSII FRANCISC. F. AD D. PHILIPPVM REGEM.

GOLTZIVS ingenio toto celeberrimus orbe,
Ecce etiam cælo eſt nobilis artifice.
GRAECIA teſtatur MAGNA, eius maior ab arte,
Notaque iam cunctis SICELIS ora plagis.
Fas igitur creſcat per te REX MAXIME; cuius
Auſpicijs creſcunt maxima regna tua.

FRANCISCI MODI BRVGENSIS, AD HVBERTVM GOLTZIVM.

Vtramque, æternum manſuro condere in ære
Hellada; cuiuſuis non erat artis opus.
Nam quis tot maria ac terras, tot flumina & vrbes,
Exiguis ſperet fingere poſſe notis?
Vnicus hoc GOLTZI tu, qui potes omnia, poſſe
Diceris; & faciunt hæc monumenta fidem.
Quæ deberi igitur tali pro munere dicta eſt
Olim, ſolius, laus, ea iure tua eſt.
Verùm ego pro nummis nummos malo inquis; inani
Se nemo & natos paſcere laude poteſt
Credo equidem, REGI ſed quin canis ergo PHILIPPO
Tale aliquid? forſan quod petis, ille dabit.

HISTORIAE

HISTORIAE VRBIVM ET POPVLORVM SICILIAE

HVBERTI GOLTZII HERBIPOLITAE
VENLONIANI CIVIS ROMANI.



SICILIA, quæ olim tenui admodum ceruice paſsibus mille quingentis Italiæ adhærebat, ab eadem terræmotu vel maris æſtuoſi violentia circa Rhegium (quo nomine Græci abrupta vocant) auulſa, Inſulaque facta, tribus in mare Mediterraneum promõtorijs extenditur; quod trium femorum ſymbolo, quæ in numiſmatibus uno veluti vertice connectuntur, ab antiquitate expreſſum eſt. Ab ea ſitus ſpecie Græcis quondã Trinacria, à tribus nimirũ promontorijs dicta eſt: vti & ab Latinis à tribus, ſed inæqualibus lateribus Triquetra appellata fuit. TRINACRIA. Vertex trianguli qui contra Cænim Calabriæ promontorium in Boream excurrit, Pelorus dicitur: ſiue quod eo vocabulo, montis magnitudinem Græcia antiquitus ſignificaret: aut vti multorum auctoritate confirmatũ eſt, à Peloro nauis Annibalis gubernatore. PELORVS. Annibal namque Romanos victores ex Petilia fugiens eò delatus, aut quod alij produnt, ex Africa profugus, per ea loca Suriam petens, quia procul intuenti continua videbantur littora, neque peruium eſſe pelagus; ſeſeq; gubernatoris perfidia proditum arbitratus, illũ interfeciſſe traditur: ſed cauſſa erroris ſui cognita, & fidei teſtimonium mortuo ſtatuam poſuiſſe, & promontorio Pelori nomen indidiſſe. Ceterùm à Peloro, ſinuoſo quidem & cõcauo littore Ortum Auſtrumq; verſus per CLX. M. paſſuum uſque in Pachynum alterum Siciliæ promontorium à craſſo caliginoſoque aëre ſic dictum, quod contra Peloponeſum extenditur, Inſulæ latus terminatur. PACHYNVS. Inde Sicilia in Auſtrum conuerſa, ſecundum littora Africi maris per CLXXXIII. M. paſſuũ ſenſim in tertiũ verticem extenuatur, qui Lilybæũ contra Africani promontorij quod Mercurij dicitur angulum extendit. LILYBAEVM. Hinc Siciliæ littora ſecundũ mare Tyrrhenum ab Auſtro in Septentrionem latere ceteris duobus longiore per CCLXXXI. M. paſſuum in Pelorũ extenduntur: vt hac ratione totius inſulæ ambitus DCXXIIII. M. paſſuũ includatur. Quibus curæ fuit cæli ſpacia ſuis limitibus cõprehenſa terræ ſitui tractibuſque maris comparare, Siciliam quarto Climati, parallelis decimo, & illi qui per Rhodum deſcribitur vndecimo: diem verò maximum horarum XIIII. S. putant. At Lilybæum ab Inſulis Fortunatis, (quæ extremos eo ſæculo terræ cognitæ

limites terminabant)xxxvii.temporibus ſecundum longitudinem verſus Ortum ; Ennam verò vrbem, vt inſulæ eiuſdē vmbilicum . xxxiix; Meſſanam, vt in freto extremam ,xxxix s, menſurantur. Latitudinis quidem ſiue ab AEquinoctio verſus polum diſtantiā, Lilybæo xxxvi. partes; Syracuſis xxxvii. Meſſanæ xxxiixs. attribuunt: vſqueadeo vt hic cæli tractus Siciliam definiat, aëre temperato , ſoloq; fertili & omni prouentuū genere,frumenti,olei,vini,feliciſsimo ſitam. A continente commodo vndique interuallo, & commercijs opportuno diſtat: & primum Euripo quidem breuiſsimo , ceterū ancipiti & vorticibus inter ſe colliſis, ſcopulorumque aſperitate, & monſtroſis Scyllæ, Charybdiſque nominibus infami , ab Italia per mille quingentos paſſus , quaſi ab corpore ſuo diuellitur: vbi ab eadem longiſsimè , vtpote ab Drepano ad Neapolim CCC.M. paſſuum ſeiūgitur; à Sardinia verſus Occaſum CCXXX.M. Paſſuum recedit. Ceterum ad meridiem mare inter Lilybæum & Mercurij promontorium C.M.paſsuum patet; etiamſi priſcorum auctoritas,(niſi forte librariorum imperitia aut negligētia corrupta ſint exemplaria) LXXX. M. paſſuum adijcere videatur. Siciliam verò primo incoluiſſe velut indigenas, Cyclopas & Leſtrygonas , genus hominum tum corporum proceritate horrendum, tum feritate & latrocinijs infame, ab antiquitate proditum eſt. Priſcorum traditionem etiam recentiorum experientia confirmat; qui cadauera immani proceritate ad viginti cubitos intra proximum ſæculum aut effoſſa, aut in ſpecubus deprehenſa teſtimonijs etiam nuncupatis aſſeuerare non dubitent. Exſtinctis Cyclopibus AEolus regnū inſulæ occupauit : poſt quē ſingulæ ciuitates in Tyrannorum imperia conceſſere , eorum namque nulla vnquā terra feracior fuit. Siciliæ nomen Trinacria quod ab initio ab ſitus forma ipſi (vti diximus) attributum fuit , variaſſe ſemel atque iterum obſeruo. Nam quemadmodum mare mediterraneum varijs vndique nauigationibus ex Aſia, Africa & Europa patebat ; ita hæc inſula quæ tribus promontorijs tres illas terræ tunc potiſsimum habitatæ partes proſpectabat, varia ob fertilitatem , portuumque commoditatē negociatoribus commerciorum genera , paratā adhæc nouis qui ſubinde appellebant colonis ſedem , colendi habitandique opportunitatem olim præbuiſſe veriſimile eſt. Hinc Sicani Tarraconenſis Hiſpaniæ ad Sicorim fluuium populi ſuis ſedibus ab Ligyenſibus expulſi, atque huc appulſi, inſulæ nomen, præcipuè ea qua in Occidentem flectitur parte, Sicaniā fecerunt: quamuis non deſint auctores,qui indigenas fuiſſe Sicanos tradere malint. Multis poſtea ſæculis Siculi Ligurū genus (habitauerat ea vicatim inter flumen Tiberim , & montem Circæum) Aboriginum armis profligati, traiecto freto inſulam inuaſerunt: debellatiſque

A B C D

SICANIA.

A bellatisque Sicanis, partem quæ in meridiem & occasum exstenditur occupantes, Sicaniam hactenus dictã, mutato nomine quia armis plus poterant, Siciliam ab se vocarunt. Mox & Troiani ab duce Elymo, Elymi cognominati, deleta Troia profugi iuxta Sicanorum fines considentes, Erycem (ab Eryce Veneris & Butæ filio dictam) & Segestam aliasque vrbes quarum obscura nunc memoria est condidêre. Cœperat antea quoque hæc insula Coloniarum frequentia celebrari: atque vt non longius abiëro, Phænices qui nauigationis peritia & opum affluentia inter primos mortalium celebrantur, Panormum, Motyam, Soloëntẽ annis propè trecentis ante illata Græcorum in eam insulã arma, condiderunt: B sicuti alijs deinde atque alijs temporibus, ab Afris ad Pachynum altera Motya; à Cretensibus & Rhodiis Gela & Minoa; à Corinthiis Syracusæ; Messana, quæ antea Zancla ab Messeniis; Leontium, Naxos Megara à Chalcidensibus conditæ sunt & colonis frequentatæ. Ceterum vt peculiaria singularum vrbium & coloniarum, fata & conuersiones ad singula, vt sese ex descriptione geographica offerent, numismata prosequuturi sumus: ita etiam quomodo Sicilia Græcorum armis & Pyrrhi quoque regis quum Romanos bello lacessëret ambitione, tentata fuerit, suo loco & ordine referemus. Pyrrhus autem spe sua frustratus, ita ad suos locutus fertur; qualem nos ô amici Pœnis & Romanis palæC stram relinquimus? nec eum fefellit præsagium: siquidem quod is diuinatione sua præsenserat, id haud multò post ita euenisse constat. Id quomodo euenerit, & quanto cum discrimine inter Romanos Pœnosque per sexaginta annos de Siciliæ imperio certatum sit deinceps referemus.

SICILIA.

Insulam verò quondã varièac diu ab tyrannis possessam, postremò, partim Syracusani reges vetusto imperii iure, iam inde ab Gelone Dinomenis filio, qui regnauit Olympiadis septuagesimæ secundæ anno secundo (erat is annus ab Vrbe condita CCLX.) tenebãt: partim Carthaginienses multis in Sicilia bellis ab Gelonis vsque temporibus gestis occupabant: his tertii postmodum Mamertini Siciliæ ad ruinæ quasi D cumulum accessêre. Romani itaque qui eius insulæ dominationem affectabant, maxima duo bella pro eius imperio gessêre: vnum quo Pœnorum; alterum quo Syracusanorum regionẽ in potestatem suam redegerunt. Flagrabat iampridẽ inter se odio Romanus & Pœnus: Romanũ impulerat, quod Pœnus Tarentinos cõtra vetusti federis leges contra classem suam auxilio iuuisset: Pœnum quod Romanus cum Hierone Syracusanorum rege societatẽ iniisset. Quum itaque vterque occasioni quò sese vlciscereturincũberet, Mamertini eandẽ peropportunè præbuerũt. Campani nãque qui in Sicilia sub Agathocle meruerant, intra Messanæ mænia admissi, violata fide ciuitatẽ occupauerãt. Itaque

quum ſupplicium ſumtum de Campana legione quæ idem in Rhegi- A
nos auſa fuerat,per Genucium Conſulem Romanũ intellexiſſent, in ſi-
mili crimine,parem pœnã veriti, quũ ſuperhæc etiã prælio ab Hierone
Syracuſanorum rege profligati fuiſſent,partim Pœnorum, partim Ro-
manorum auxilium petierunt. Romani veriti ne Carthaginiẽſes ea op-
portunitate vſi totam Siciliã occuparent,Mamertinis ſtatim ferendum
BELLVM PVNICVM. auxilium decernunt. Ita Romanus varijs vtrinque acceptis & illatis cla-
dibus,ancipiti Marte per annos viginti tres bellum cõtra Pœnos geſsit;
vicitque tãdem fortitudine & virtute: victis Pœnis pacis leges impoſuit.
SICILIA PRIMA RO. PROVINCIA. Ea victoria Sicilia excepto Hieronis regno, omniũ prima in Prouinciã,
Olympiadis octauæ & Centeſimæ anno quarto (qui erat ab v.c. quin- B
genteſimus nonus) redacta eſt: ita vt Prætor quotannis cum vno Quæ-
BELLVM PVNICVM SECVNDVM. ſtore in eandẽ mitteretur primúſque C.Flaminius eã ſortitus eſt. Annis
abhinc vigintiſeptẽ quum ſecundo bello Punico vexaretur Italia, Hie-
rone fidiſsimo ſocio P.R.vita functo,Hieronymus eiuſdẽ ex filio nepos
rem Syracuſanam ad Pœnos traducere conatus,paullopoſt à coniuratis
Leontini occiditur. M. Marcellus in Siciliã Hieronymi morte tumul-
tuantem,& ad Pœnorum amicitiam inclinatam miſſus,Syracuſas à Ro
mana ſocietate abalienatas, omnemque eius impetũ per trienniũ ferè,
SYRACVSAE CAPTAE. Archimedis induſtria fruſtratas,tandẽ vi expugnat. Mox ab Marcelli
ſucceſſore M.Læuino Conſule, qui belli reliquias ſuſtulit, Pœnosque C
prorſus ex inſula eiecit,hæc quoque pars in Prouinciæ formam redacta
eſt. Atque ab eo tempore vtraque Prouincia,vetus nimirum, & ea qua
Hieronis regnum fuerat Syracuſæ,vni Prætori, & duobus Quæſtoribus
BELLA SERVILIA. Lilybætano & Syracuſano commiſſa eſt. Inde duobus rurſum ſeruili-
bus bellis concuſſa eſt Sicilia:quorum alterum ab Cleone quodam Sy-
ro & Euno ſeruis conflatum, à P.Rupilio Conſule anno v. c. d cxxxvi.
confectum,& Prouincia tertium ex decem legatorum ſententia conſti-
tuta eſt. Alterum ab Athenione ſeruo commotum,à M'. Aquillio Con-
ſule anno v. c. d cli. oppreſſum: & Prouincia quartum ordinata eſt.
Quum igitur quater in Sicilia bellatum ſit, bis cum Pœnis,bis cum ſer- D
uis, quatuor itidem victores, totidem eiuſdem Prouinciæ confectores
apud veteres celebrantur: Q. Catulus; M.Læuinus; P. Rupilius & M'.
Aquillius: qui alij alijs temporibus Prouinciam conſtituentes leges de
vectigalibus exigendis;& de iure dicendo dedêre:niſi ſi quæ ciuitates fœ-
SICILIAE CONVENTVS IIII. deratæ,aut immunes,aut liberæ ob fidem ſeruatã relictæ fuerant. Con-
uentus quoque in Prouincia quattuor fuiſſe conſtitutos, in ijſque Præ-
tores iuris dicendi cauſſa verſatos,vtpote Syracuſanum, Lilybætanum,
Panormitanum & Mamertinum conſtat. Atq; quum Cn.Pompeio
primùm M.Craſſo Coss.Prætor C. Verres Quæſtura perfunctus, ſuc-
ceſsiſſet

A ceſsiſſet in Siciliam C. Sacerdoti Prætori; & in ea non ſuccedente ſibi Arrio, per triennium libidinosè, auarè, crudeliterque verſatus eſſet, ſuccedente tandem in eius locum L. Metello, repetundarum reus ab Siculis poſtulatus eſt, qui omnes præter Syracuſanos & Mamertinos M. Tullium Ciceronem illo tempore defenſionibus amicorũ florentem, ad accuſandum Verrem compulerunt: iampridem illis neceſsitudine copulatum, quod Quæſtor in Sicilia fuiſſet Prætore Sex. Peduceo, & quod quum decederet, in illa oratione quam Lilybæi habuit multa Siculis de ſe benignè promiſiſſet. Accedit adhæc quod Verres Prouinciã Pop. Ro. cellam penuariam; & plebis R. nutricem tot rapinis exhauſe-

SICILIA ROMANORVM CELLA PENVARIA.

B rat, tot iniurijs vexarat, vt Seſtertium millies ex lege Cicero ab eo repeteret. Ceterũ Verres Tullii arte eluſus eſt, & Hortenſius qui eius patrocinium ſuſceperat, quum interrogandos ipſi teſtes Cicero dediſſet, ita fatigatus eſt, vt nihil quod contra diceret inueniret. Itaque Verres deſperato patrocinio, clam in exſilium diſceſsit, & abſens quadringenties Seſtertium, quum octingenties ex lege deberet, repetundarum eſt condemnatus. Atque hic quidem Siciliæ vſque ad Cæſarem Dictatorem ſtatus fuit. Siculos inde ab Cæſare Latinitate, & poſt mortem Cę-

SICVLI AB M. ANTONIO CIVITATE RO. DONATI.

ſaris ab Antonio ciuitatis iure donatos queritur, cum Attico Cicero. Quarum tamen legum neutram poſt obſeruatam eſſe, tum multa alia

C documento ſunt, tum quod Plinius qui Veſpaſianorum fuit æqualis, Mamertinos ſolos ciues Romanos adpellat, Centuripinos autem, Nepinos & Segeſtanos Latinæ condicionis. Ceterum antequam ſingularum vrbium per partes deſcriptionem agrediamur; operæprecium me Lectori facturum putaui, & lucem aliquam præteritarũ rerum memoriæ aperiturum: ſi prius veluti per itinerarium obeamus primùm Siciliam ſecundum Littora & oram maritimam, inde eius mediterranea enumeremus: vtrumque eo conſilio facturi vt veteres vrbium, fluminum & promontoriorum nomenclaturas, recentibus ſi quæ exſtent, comparemus: adhæc interualla & locorum diſtantias aliquot præcipui nomi-

D nis vrbibus & fluminũ oſtijs promontorijsq; adſcribemus, ea ratione vt ſi quæ intermedia loca à nobis interſerantur, intelligendũ ſit; ab vltimo quem adſcripſimus paſſuum numero, ad proximi numeri diſtantiam menſurandum, intermedia nobis non ſatis explorata fuiſſe, atque propterea numeris à nobis non eſſe diſtincta. Siciliam itaq; vt inſulam ambit ab Occaſu & Septentrione Tyrrhenũ mare: à Meridie Africum: ab Ortu Hadriaticum: & tribus promõtoriis in Triangulum vti memorauimus deſinit. Ora verò maritima qua cingitur hanc habet deſcriptionem.

ITINERARIVM SICILIAE.

A Peloro ad Lilybæum promontoriũ numerantur M.P. CCLXXXII.

Ab extremitate Pelori, vbi nunc Pharus ad Phalacrium promontorium nunc Raſiculmum M. P. XII. A

Inde Diuetum oppidulum; oſtia fluminũ, Malpertuti, Nucithii, Frundonis, Oliueti, ſequuntur.

Mylæ oppidum nunc Mylazzo M. P. XIIX.

Cherſoneſus, nunc promontorium Mylazzi, interpreti Apollonij S. Baſilij fluminis oſtium & ædicula.

Caſtri Regalis fluminis oſtium & oppidulum.

Furnaris oppidulum, huic Tripis in edito & prærupto colle ad imminet. P.M.V.

Heliconis fluminis oſtium Ptolemæo, nunc Oliuerij. B

Tyndarium, Τύνδαριον, nunc L'otyndaro. M.P. XIIX.

Pactæ nouum oppidum. M.P.V.

Promontorium Calauæ, naufragijs infame M. P. VI.

Brolus arx & promontorium. M.P.VI.

Naſi fluminis oſtium.

Promontorium Rolandi, colle in mare prominente. M.P.XII.
& in eo Agathyrium vrbs olim, nunc ſuis ruderibus obruta, Ptolemæus, Strabo, Diodorus & Plinius.

Calata Ciceroni, Diodoro Calatina. Ptolemæo Καλάκτα vrbs; nunc S. Marcus vt eſt coniectura. C

Chydæ fluminis oſtium, nunc Roſmarini.

Aluntium vrbs deleta.

Aquæ dulces Diodoro M.P.XII.

Aleſa vrbs, Ciceroni, Ptolemæo, Straboni: nunc obruta, ad littus Caroniæ iacet. M.P.XII.

Coronia.

Thuſa flumen, arx & frumenti Emporium M.P.XIIX.

Monali fluminis oſtium Ptolemæo, nunc Pollinæ.

Malpertuſi & Carbonis fluminis oſtia.

Cephalœdis vrbs, Ciceroni, Straboni, Ptolemæo, nunc Cifalu. M.P.XIIX. D

Rocella arx & flumen.

Himeræ fluminis oſtium, Ptolemæo, Plinio & alijs, nunc fl. Magnus.

Himera vrbs ab Annibale deleta, Diodorus M.P.VI.

Brucatum oppidulum olim, nunc arx tantum.

Thermæ Himeræ, & Balneæ Himereſes Ciceroni, nũc Thermini M.P.XII

Thermarum fluminis oſtium, nunc Termini.

Trabia arx & aquæ.

Olulis oppidum Ptolemæo, nunc non exſtat.

Arx, portus, Emporium & oſtium fluminis S. Michaelis.

Soloe vrbs, nunc Solanto M.P.XII.

Mons

A Mons Gerbinus & turris ſpecula.
Orethi fluminis oſtium Ptolemæo, Vibio, Polybio, nunc Eleutherii.
Panormus vrbs. M. P. IX.
Peregrinus mons. Mondellum arx.
Motya vrbs, & ſinus, nunc promontorium S. Galli. M.P.IX.
Hyccaris oppidum, Laidis patria, nunc murus Carinis, M. P. IX.
cui inſula puellarum vocata opponitur.
Elyma vrbs vetuſta, nunc Palamyta, vt eſt coniectura. M.P.XII.
Macella vrbs Polybio, non exſtat.
Parthenicus ager, Antonino, hodie nomen retinet.
B Bathei fluminis, Βάθεος oſtium, nunc lati.
Crimiſii fluminis oſtium, nunc S. Bartolomæi.
Segeſtanum Emporium, & ora Segeſtana, nunc Caſtrum ad mare, & frumenti Emporium. M. P. XII.
Cetaria Ptolemæo Κητάρια nunc Scupellus, turris & ſtatio.
A Egitharſus Αἰγίθαρσος promontorium, nunc S. Viti. M.P.XVII.
Bonagiæ ſtatio. Eryx mons & vrbs, nunc Trapani d'el monte.
Drepanum Δρέπανον vrbs & portus. M. P. XIIX.
Acithii fluminis oſtium, nunc Birgi.
Lilybæum promontorium & vrbs, nunc Marſala. M. P. XIIX.
C A Lilybæo ſecundum oram Africi maris vſque ad Pachynum promontorium, & tractum Auſtrini lateris numerantur. M. P. CLXXXIII.
Sic,
Marſalæ fluminis oſtium, qui Lilybæo Marſalæ nomẽ fecit. M.P.XII.
Sibylliana turris, & promontorium Fœderis.
Mazari fluminis oſtium & ſtagnum, Diodoro & Ptolemæo.
Mazara emporium, Diodorus XIIII. M.P.XII.
Arenæ fluminis oſtium, & trium fontium promontorium.
Selinis fluminis oſtium, ſiue Selinontis, nunc Madiunis.
Hypſæ fluminis oſtium, nunc Bilicij.
D Atys fluminis oſtium Plinio, nunc Carabi ſiue Garbi.
Phintia vrbs Ptolemæo, nunc ruderibus ſuis ſepulta.
Thermæ vrbs, nunc Sacca. M.P.XX.
Soſsii fluminis oſtium. nunc Caltabellotæ.
Isburi fluminis oſtium, nunc Mayhaſoli.
Lyci fluminis oſtium Ptolemæo & Plutarcho, nunc Platani.
Heraclea quæ & Minoa; ad promontoriũ album proſtrata iacet. M.P.XX.
Siculiana, frumenti Emporium.
Agrigentinum Emporium. M.P.XXV.
Agragæ fluminis oſtium, qui nomen Agrigento dedit.

Camicus

Camicus vrbs deleta & proſtrata. A
Mons clarus, arx noua. Inſula S. Nicolai.
Flumicelli fluminis oſtium. Gela vrbs proſtrata.
Alicata, ſunt qui Achata malint M.P.XIIX.
Gela fluuius Ptolemæo Himera, nunc ab aquarum ſalſedine Salſus.
Falconera arx.
Yharrubæ & Namphriæ Saraceni nominis fluminum oſtia.
Terranoua oppidum, & fluminis oſtium M.P.XIIX.
Manumuzæ fluminis oſtium.
Dirilli maximi fluminis oſtium.
Ipori flumen, Ἱππώρις Hipparis Pindaro, Vibio Hipponis, nunc Ca- B
marinæ flumen.
Camarina vrbs, nunc Camarana M.P.XX.
Oani fluminis oſtium Pindaro, nunc Fraſcolari.
Caucanæ, Καυκάνα portus, Caucones Procopio. nunc Scalambris ſta-
tio, & S. Crucis fluminis oſtium.
Inyctos vrbs, Herodoto: Inyctum Straboni & Stephano, Inycum
Pauſaniæ. nunc Longobardorum ſtatio.
Hirminij fluminis oſtium Plinio, nunc Mauli & Rhaguſæ.
Motychani fluminis oſtium Ptolemæo, nunc Siclis.
Puzallus, arx & frumenti emporium, ex quo breuiſsimus in Melitam C
inſulam traiectus. M.P.XX.
Inſulæ geminæ & exiguæ, à porris cognominatæ.
Odyſſeia promontorium Ptolemæo, nunc Marzæ.
Ediſſa portus Ciceroni, Marza ſinus & ſtatio.
Motyon oppidum Pauſaniæ, non exſtat.
Pachyni portus Ciceroni, nunc Longobardus.
Pachynus promontorium, nunc caput Paſſarum. M.P.XX.
Tertium inde promontorium à Pachyno, Pelorus ſequitur & orienta-
le Siciliæ latus; diſtat Pachynus à Peloro. M.P.CLX. Sic
Elorina ſtagna. D
Machara vrbs Ciceroni, nunc Citadella, vt eſt coniectura.
Nauſtathmus portus Plinio, Ptolemæo Phœnicus, nunc Bindicaris,
frumenti Emporium, arx, & eiuſdem nominis inſula.
Elori fluminis ſtagnantis oſtium, nunc Abyſus. M.P.XVI.
Elorus vrbs & caſtrum Plinio, nunc Sta in pace.
Aſinarii fl. oſtium, nunc Falconaræ, Plutarchus, in Nicia; Thucydides.
Orini fluminis oſtium, ὁρίνης Erines Thucydidi, nunc Mirandæ.
Cacyparis fluminis oſtium Thucydidi, nunc Caſibli.
Longum promõtorium, Ptolemæo Μακρὸν ἄκρον, nunc Logimia ſtatio.

Cherſoneſus

A Cherſoneſus Ptolemæo, Plemmyrium Thucydidi & Vergilio, nunc Maſſa Oliueria.
Plemmyria exigua inſula promontorio oppoſita, nunc S. Martiani.
Anapi fluminis & Cyanes oſtium Ouidio & Plutarcho.
Arethuſa fons. Syracuſæ vrbs & portus M.P.XXIV.
Trogilorum portus. Tapſus peninſula, nunc Magniſi.
Bacena vrbs Diodoro; Bigenis ager nunc appellatus.
Megara vrbs quæ & Hybla non exſtat.
Limpetra vrbs Diodoro, nunc deleta.
Alabi fluminis oſtium Diodoro & Ptolemæo; nunc Cantari.
B Miliæ fluminis oſtium Thucydidi, Plinio, Plutarcho in Marcello, nunc Marcellinus dictus.
Cherſoneſus Ptolemæo, nunc Auguſta vrbs & portus M.P.XIIX.
Taurus promontorium, nunc S. Crucis.
Pantagij fluminis oſtium. Vergilio, Ouidio, Claudiano, nunc Porcari.
Leontinum vrbs.
Murgentium Ciceroni & Straboni, Murgantia Liuio deletum, nunc vt eſt coniectura Leontinorum emporium.
Simæthi fluminis oſtium, nunc S. Paulli.
Teriæ fluminis oſtium, nunc Catanæ flumen & Iaretta.
C Amenanus Straboni & Ouidio, Amenas Pindaro, nunc Iudicellus Catanam perlabitur.
Catana vrbs nomen & ſitum retinet M.P.XXX.
AEtnæ montis ramenta.
Portus Vlyſsis, Homero, Vergilio, Plinio, nunc AEtnæis lapidibus obſtructus.
Cyclopum ſcopuli tres Plinio, hodie Faragliuni.
Acis arx in ſcopulo vndique prærupto.
Xiphonium promontorium, à Xiphiorum piſcium frequentia Straboni, nunc Caput Molendini.
D Acis fluminis oſtium, nunc Fredi ſiue Frigidi.
Aceſines Thucydidi, Onobalæ Appiano, nunc Cantaræ fluminis oſtiū.
Naxos vrbs Diodoro, Plinio, Pauſaniæ, nunc arx Schiſon.
Tauromenium vrbs nomine parum deflectit, Taormina M.P.XXX.
Argenum promontorium, nunc S. Alexij.
Eniſis fluminis oſtium, nunc Niſi.
Meſſana vrbs, nunc Meſsina, olim Zancla M.P.XXX.
Charybdis in Euripo mare vorticoſum. Scylla Calabriæ ſcopulus.
Pelorus promontorium M.P.XII.

Obiuimus itaque tria Siciliæ latera, & litora, nominaq; & veterum & recentium quæ obuia erant adſcripſimus, nunc etiã vt ordo poſtulat, adiacentes ipſi in mari inſulas, & à lateribus vtcunq; ſemotas, paucis recenſebimus, inde ad Mediterranea reuertemur. A

Inſulæ in Tyrrheno mari Siciliæ prætenduntur, ſeptem aut quod nonnulli malunt octo, quæ partim Hepheſtiæ Græcis, Latinis Vulcaniæ, quia Vulcano ſacræ: partim ab AEolo AEoliæ dictæ ſunt. quarum omnium maxima Lipara, à Liparo denominata eſt, & patet in ambitu. M.P.XIIX.

1. Lipara inſula & vrbs, nunc Lipari, diſtat ab Siciliæ litoribus M.P.XX.
2. Hiera hinc, ſiue Hepheſtia, nunc Vulcania dicta, diſtat ab Sicilia M.P. XVI. hanc enatã anno V.C.DL. Plinius, Eutropius, Oroſius & Iſodorus auctores ſunt: & eã perpetuis lucere flãmis ſcribũt. obtẽditur Hiæ exigua inſula Vulcanellus dicta, quæ exiguo Euripo ab ea diſtat. B
3. Didymæ, gemella, ab geminis collibus dicta, nunc Salinis, ambitu P.M. XII. hanc vini & fructuum feraciſsimam ſcribunt.
4. Iceſia vel Thermiſia, nunc Panaria aut Liſca blanca, vt opinio eſt.
5. Strongyle à rotunditate ſitus dicta, flamma, fumoque nobilis, in qua AEoli regiam fuiſſe fama tenet.
6. Ericodes ſiue Ericuſa ab Ericetis dicta, nunc Ericudia.
7. Phænicodes à palmularum copia nunc Phænicuria.
8. Oſteodes, ab oſsium copia dicta, eam nonnulli eſſe opinantur, quæ nunc Vſtica dicitur; quamuis Ptolemæus Vſticam & Oſteodem magno interuallo diſiungat. C

Euonymos inſula vt nonnulli cenſent, Liparæ prætenditur, & orientalior eſt Ptolemæo, in hoc quidem parallelo M.P.VII.

Ceteras quæ huic ordini adiici poſſent, ſuo loco deſcripſimus, quum de Lilybæo & Drepano ageremus, nunc Mediterraneum indicem, aut Catalogum recenſebimus. Ceterum quum tanta nominum & veterum & recentium confuſio obrepſerit, quæ neque locorum neque interuallorum diſtantia ſatis exactè metiri, neque ita ſeriei ſuæ includi poſſet; vt lectoris exſpectationi hac in parte; niſi totam Siciliæ Geographiam proponeremus ſatisfieret: nobis iccirco cõſultum videbatur, ſi quidquid eſt vrbium, aut montium, aut particularium nomenclaturarum præter ea quæ à nobis dicta ſunt, reliquum: nunc ex ordine Alphabetico proſequi. D

Acilla oppidum cuius & Polybius & Liuius meminerunt, non exſtat, neque eius veſtigia notari poſſunt.

Acræ à Syracuſanis conditæ, quod nonnulli Palaziolum alij Clarimontem in agro Notenſi eſſe malunt.

Adranum

A Adranum in AEtna monte, à parte Auſtrina ſitum ab Adrano deo (vt ſatis memorauimus) dictum nunc Aterno aut Aderno.

Aedonium haud procul à Teria oppidum in monte ſitum.

Alcamum oppidum ab Alcamo Saracenorum duce, haud procul ab Crimiſio flumine conditum.

Alceum oppidum, & Alcei populi, in agro Rachalbutio vltra Agrigentum habitaſſe putantur.

Apollonia Diodoro in agro Catanenſi fuiſſe veriſimile eſt, ex eius ruinis nonnulli opinantur Pollinã iuxta Cephalæden fuiſſe conditam.

Aquillia, quæ nunc Ochula deprauatè ſcribitur, in agro Catanenſi, à M'.

B Aquillio, dum fugitiuos bello proſequeretur conditam volunt.

Aſſorum oppidum montanum eſt, haud procul ab Enna, vnde Aſſorini populi & Aſſorinus ager Ciceroni.

Bidis, ſiue Bideni in agro Syracuſano populi; auctores habeo, qui idem eſſe oppidum, quod Vizinium nunc in agro Næetino vocatur opinentur.

Bicarum oppidum agri Mazarienſis.

Bricatum caſtellum iuxta Thermas.

Bruca frumenti emporium, in ſinu Engij contra Auguſtam.

Brontes oppidum ſub AEtna monte ad occaſum, ab vno fabrorum

C Vulcani vt eſt opinio cognominatum.

Buxemium oppidũ in agro Notenſi, inter Vizinium & Palatiolũ vrbes.

Bryra vicus eſt agri Meſſanenſis, Academia celebris.

Cacamus ſiue Cacabus oppidum Thermis vicinum.

Cacyrum nunc Caſſarum creditur, iuxta Anapum in agro Syracuſano flumen.

Camicum oppidum à Dædalo, haud procul ab Agrigento exſtructum, & Minois clade vt memorauimus nobilitatum.

Calata, ſiue Calatina, ſunt qui Calacta (variat enim ſcriptura) malint nunc S. Marcum dici, in litore Tyrrheno credunt.

D Calatabellota, Calataxibetha. Saracenici nominis oppida, quorũ illud ad Soſsiũ flumen, iſtud ad Gelam vtrumq; in edito monte ſitum eſt.

Caputium Ptolemæo, oppidum agri Deminij, nunc Capizzi dictum.

Caſmenæ Syracuſanorum colonia, in agro Notenſi, nunc vt eſt opinio Comiſum dictum.

Ceramiũ oppidũ in agro Deminio, nunc voce parum deflexa Ceramio.

Clarimons in agro Notenſi olim Acræ.

Centoripæ olim ingens oppidũ ad Teriam flumen, cuius nunc vix aliqua veſtigia exſtant, eius hic obiter meminimus, eam tamen ſuo loco deſcripſimus.

Dumethus, Δύμηθος Ptolemæo decem ferè P.M. quam Centoripæ orientalius fuit. errant, qui diuersorium & turrim Diuetum in agro Mylensi cum Dumetho eandem putant. A

Engyum duplex fuisse obseruo, vnum maritimum ad Teriæ fluminis ostium; alterum mediterraneum, quod Ptolemæus Leontino XXV. M.P. australius ponit.

Ferula oppidum in agro Syracusano vulgo Fera dictum.

Francofontium oppidum in agro Leontino.

Francauilla vrbecula, inter Tauromenium & Randacium.

Furianus iuxta Caroniam fluuius, ad litus Etrusci maris.

Galatea oppidum ad ripas Chydæ, nunc Rosmarini fluminis à lactis copia dictum. B

Gallianum oppidum, haud procul ab Argyra siue S. Philippi vrbe.

Gurlonga fluuius iuxta Assorum in Teriam labitur.

Gurrida fluuius in agro Randacio; qui ibidem sese condit, & in Catanensi agro iterum emergit.

Gypsum oppidum montanum iuxta Messanam.

Herbita Ptolemæus ἑρβιτα scribit, olim ea fuisse vrbs creditur, quæ nunc in agro Leontino Citadella vocatur, vnde Herbitenses populi Ciceroni noti; accedit adhæc quod Ptolemæus Erbitam sextante partis Menanino occidentaliorē; vncia particulæ Septemtrionaliorem ponat. C

Herbessus, quod tenui spiritu ab alijs pronuntiatur Erbessus, quum de Agrigentinis ageremus à nobis descripta est. Erbessum Ptolemæus in eodem parallelo cum Assoro describit, sed Erbessum sextante partis, siue VI.M.P. orientaliorem collocat, eam nunc Pantalicam inter Leontinum & Syracusas dici autumant. ex descriptione tamen Liuij & Polybij altera Erbessus erit, non longe à Sutera vrbe & fontibus Lyci fluminis, nunc Grutta à specubus, quibus frumentū condebāt dicta.

Hieracium oppidum, à litore Cephalædis XII.M.P. distat, quod opinantur nonnulli olim Triracū fuisse; vnde populi Triracienses dicti sunt.

Hippon siue Vibon ab Gelone condita, nunc Biuona vltra Lycum flumen oppidum. D

Ietum vel Ietas Silio, nunc Iatum oppidum agri Mazarensis.

Ispia vel Ispa in Pachyno vrbs erat, vnde Ispicæ fundus, qui nūc corruptè Spaccafurnus vocatur.

Iuliana oppidum agri Mazarensis cis Atyn flumen.

Legum Ptolemæus mediterraneum λῆγον, & à Thucydide nominatum; nisi fallant apud Ptolemæum numeri, VII.P.M. à Pintia in occidentem distabat. Thucydides Legum agri Syracusani oppidum facit & à Siculis conditum scribit.

Libriccum

A Libriccum oppidulum eſt agri Pactenſis.
Lingua groſſa vrbis ad AEtnæ auſtralem partem ſitæ nomen, ita à barbara & incondita ciuium pronuntiatione vocata.
Lycodia oppidum agri Neætini.
Longium oppidum iuxta Calatam erat; à Lancea dictum.
Maniacium vrbs ad AEtnæ radices, à Georgio Maniaco conditum.
Maron mons iuxta Cephalæden, qui Nebrodes; ſub quo gemelli colles qui Monticelli dicuntur, ſiluis & feris luxuriant.
Maſſa agri Meſſanenſis oppidulum, in quinque vicos diſtinctum.
Mendula oppidulum in agro Neætino iuxta Palaciolum, haud procul
B ab æde D. Luciæ, vbi pyramis & veſtigia vrbis antiquæ adhuc exſtare ſcribuntur.
Militellum duplex fuiſſe obſeruo in agro Nemorum vnum; alterum in agro Neætino.
Milillæ in agro Notenſi, quod quidam Hyblam fuiſſe opinantur nominisque confuſionem ex melle Hyblæo eſſe factam.
Miſiſtratum, vel Amaſtra, nunc Miſtretta, oppidum in agro Nemorenſi, diſtat à Caronia XIV. M. P.
Mottas in Sicilia tres fuiſſe obſeruo, vnam in agro Nemorenſi haud procul ab Miſtretta cognomento Feruni: alterum Camaſtrenſem
C cognomine, in iugis Taurominitanis; tertiam in edito colle in agro Catanenſi, cui nomen eſt à S. Anaſtaſia.
Naſos vel Neſus oppidum & flumen ad promontorium Rolandi, oppidum quidem in edito colle ſitum eſt: à Neſidia antiqua vrbe dictum vt nonnulli putant. Naſum flumen opinantur eſſe, qui à Ptolemæo Timethus in ora Tyrrheni maris deſcribitur; & inter Brolum & Orlandum promontoria oſtium habet.
Nea Diodoro Νεητον Ptolemæo: Ciceroni Neætini populi; & Plinio Neenij, oppidum quod nunc Notum dicitur, haud procul ab Aſinari fluminis fontibus ſitum, clarum eſt origine Deucetij Siculorum regis,
D & quod ab hac vrbe late patens (ager Notenſis) vti mox explicabimus dicatur.
Nicoſia oppidum mediterraneum ingens & populoſum, inter Spirlingam & Trainam.
Papyritus fluuius, prope Stagnum eiuſdem nominis mediam Panormũ influit, à papyri copia nomen habet.
Partana, quaſi Spartana dicta creditur, agri Mazarienſis oppidum, haud procul ab Entella ſitum, & vino nobilitatum.
Paternio in agro Catanenſi ad AEtnæ radices oppidum.
Perguſa lacus ſiue Pergum, ab Enna quinque M. P. verſus meridiem di-

ſtat,raptu Proſerpinæ nobilis. Claudianus IV. A

Petralias ab aſperitate ſitus dictas in Sicilia duas obſeruo, vnam in iugo montis,quam Petram ab Ptolemæo vocatam autumant;alteram ad radices montis ſitam mille paſsibus ab priore diſtantem; habere fontem ſcribitur ex quo petroleum ſiue Naphta colligatur, circa eius agrum fons eſt Gelæ fluminis. vtrumque ſitum eſt ad Nebrodis, ſiue Cratis montis ramenta.

Petra precia oppidum & arx in agro Notenſi,cis Gelam.

Pharus turris ad Pelorum, & interius oppidulum.

Pittia & Pittienſes populi,nunc Pittineum, haud procul VI. P. M. abeſt à Tuſa oppido. B

Placia ſiue Plotium,agri Notenſis oppidum.

Policium noui nominis oppidum, ad Madomã ſiue Nebrodem ſitum ingens & opulentum,à Rogerio Siciliæ Comite conditum,vrbis poſitus vtrinque fontem Himeræ fluminis habet.

Randacium oppidum ad latus AEtnæ montis, olim vt eſt opinio Triracium dictum.

Rachalbutum Saracenici nominis oppidum frumentarium, in agro Nemorenſi.

Raghuſa oppidum agri Notenſis. Rachalmutum in agro Mazariæ.

Rocca oppidulum iuxta Mylas. Rocella iuxta Randacium. C

Rocella caſtellum littorale, inter Cephalæden & Thermas, cum flumine eiuſdem nominis,qui apud Coliſanum oppidum oritur.

Rometta oppidulum montanum in agro Meſſanenſi, natura & ſitu munitiſsimum.

Raſicanzir,Raſicarãbri,Raſichelbi, raſiculnũ promontoriorũ nomina. Saracenica ſunt. Raſicanzir iuxta Syracuſas olim Plemmyrium.

Raſicarambi promontorium ad Cauconæ portum. Raſichelbi,poſt Cephalæden, iuxta Pollinã promontoriũ & piratarũ ſtatio,& turris.

Raſiculnum eſſe Phalacrium,quod à Peloro XII. M. P. diſtat iam diximus.

Salemus oppidum agri Mazarienſis, in collibus ſitum, & aquis irriguũ, D & frugiferarum arborum feraciſsimum.

Scaletta oppidum montanum agri Meſſanenſis. Spirlinga arx munitiſsima & in edita rupe,à Nicoſia III. M. P. diſtat.

Traina & Traianopolis, ſunt qui Troynam vocent, vrbs mediterranea in edito colle in agro Nemorenſi ſita, hanc quidã ab Vlpiano Traianopolim vocari autumant.

Terillus fluuius quem vulgo Dirillum vocant, oritur à duobus fontibus circa Vizinium vrbem in agro Notenſi; & in mare Africum ſeſe ad Terillæ vrbis proſtratæ ruinas exonerat.

Vehria

A Vchria oppidum vallis Nemorenſis, ad Naſum flumen.
Vicaris oppidum vallis Mazariæ: vt Viſcaris Notenſis agri.
Villafranca in agro Mazariæ.

SICILIA IN TRES REGIONES DIVISA.

Ceterum vt olim Latini & Græci Siciliam tribus promontorijs, ita Saraceni, & qui poſt eos in Sicilia rerum potiti ſunt Principes, eam in tres valles ſiue agros diſtinxerunt: eoſq; fluminum ripis, aut maris litoribus circumſcriptos hac dimenſione terminarunt.

VALLIS NEMORENSIS.

Prima Vallis à Peloro initium ducens, ſupero inferoq; litori alluebatur: & ſecundum Tyrrheni maris oram Himera flumine, ad Hadriaticũ verò fluuio Teria includebatur. hanc Demini vallem vocant, de
B nominis ratione vt Arabici & ignoti certatur. ſunt qui à nemorum & ſaltuum colliumque quibus hæc pars horreſcit, aſperitate vallem Nemorenſem aut Nemorum dici malint. totus enim hic tractus montoſus & inæqualis, præcipuè AEtna monte ceteras duas deſpicit. frumenti frugumque cultum non recipit, aut prouentui non reſpondet. Oleo, vino, omni fructuum genere luxuriat; præcipuè mororum ſiluis, quarum folijs bombyces vermiculos alunt, ex quibus ſericum magna cum Mamertinorum vtilitate, quottannis vltra trecentena librarum millia colligunt. hanc regionem habere regiæ ditionis vrbes quattuordecim ſcribunt; & totam parere Prætori ſiue Stratego Mamertino.
C

VALLIS NOTENSIS.

Altera Siciliæ Vallis nomen habet à Noto vrbe olim Nea ſiue Neetum dicta, populi Næetini Ciceroni, nunc vallis iſta Notenſis vocatur. Huius initium à Teria ſecundũ litora Hadriatici maris; inde vltra Pachynum oram Africi maris vſque ad Gelæ fluminis oſtia ſequitur. in mediterranea verò ſecundum ripas Teriæ fluminis, linea per Ennam vſq; ad Gelam ducta, citrà eius fluuij crepidinem includitur. Huius ager ceteris Siciliæ partibus humilior; verum petroſus, abundat frumento, vino, pecore. Hæc pars olim nobiliſsimis vrbibus frequentata erat, Syracuſis, Leontio, Catana, Nea, Menis, Cen-
D turipis, Enna, Agyra, Aſſoro, alijsque quas iam ſuo loco proſequuti ſumus. Auctores noſtro ſæculo æquales, in huius vallis regione regij imperij vrbes vndecim ita recenſent. Catana, Notum, Enna, Calatagirone, Plotium, Calataſibetha, Syracuſæ Leontium, Mineum, Vizinium, Agyra.

VALLIS MAZARENSIS.

Tertia Vallis, ſiue Siciliæ pars reliqua, nomen à Mazara emporio habens, Mazarenſis vocatur. ea vltra Himerã flumen ſecundum mare Tyrrhenum verſus Lilybæum in occaſum; à Lilybæo vſque ad Mazaram emporium in Auſtrum ſecũdum litora extenditur; mox oram Africi maris ſequuta in Orientem conuertitur, & vlterioribus

Gelæ

Gelæ ripis, eiuſq; oſtio includitur. Ita vt Himera in ſupero mari, A
Gela in infero mari terminetur. Ea Siciliæ pars frumenti, ſegetis, vini, mellis, olei præſtantiſsimi, & pecorum armentorumque copia luxuriat. Montes habet editiſsimos, præcipites, ſteriles, nudos. Littorales vrbes, Soloën, Panormum, Drepanum, Lilybæum, Mazaram, Thermas, Agrigentum, Leocatam. Montes Nebrodem, Gerbinum litoralem, Peregrinum Panormo ab occaſu; Erycem Drepano ab ortu imminentem. Cetera mediterranea loca & oppida, & quæ ijs geſta aut obſeruata ſunt poſteritatis memoria & cognitione digna ſuo loco proſequemur; idque partim Itinerario, partim hiſtoria noſtra, & generali Siciliæ deſcriptione. B

Nec inofficioſè me facturum confido, ſi in gratiam lectoris, hîc ex Itinerario, quod Antonino adſcribitur, maritimo, pauca quædam, quæ ad Siciliam pertinent, vt à mendis, quæ in numerorum notis depraua ta ſunt liberemus.

ITINERARIVM MARITIMVM
quod Antonino Pio vt multorum eſt opinio adſcribendum eſt.

A Meſſana Tauromenio Stadia CCL. M.P.XXXI.

A Tauromenio Catana. Stadia CCC. C
hîc in numero Stadiorum mendum eſt, quum enim æquali propemodum interuallo, diſtet Catana vltra Tauromenium, quo Meſſana citra, ſcribendum Stadia.CCL. M.P.XXXI.

A Catana Syracuſis ſtadia D CCC. hic numeri poſiti ad veram diſtantiam, duplo maiores ſunt, quàm iuſtum ſit; vitium aut notarum inuerſione, aut confuſione commiſſum eſt, vt ſcriptũ fuerit. C D. quas notas ignarus numeri deſignati aut diſſoluerit, aut tranſpoſitione vitioſè auxerit. Sunt enim ex ratione Geographica, inter vtramque ſtadia CCCC. M.P.LI.

A Syracuſis Pachyno ſtadia CCCXX. M.P.XL. D
ſic enim ſcribendum eſt pro eò quod mendoſum erat ſtadia CCCC.

A Agrigento Lilybæo ſtadia CCL. hic numerus admodum diminutus eſt; ſcribendum namque erat ſtadia DCLVI. M.P.LXXXII.

A Lilybæo ad inſulam Maretimam, (ea olim Hieroneſus vocabatur) ſtadia CCC. M.P.XXXII.

A Maretima ſiue Hieroneſo, traiectus ad Mercurij promontorium Africæ ſtadia DCC. M.P.LXXIIX.

Eandem diligentiam in ceteris, quæ de Sicilia in Itinerario illo enumerantur locis, præſtare ſatis anxiè conati ſumus; ſed deterrebat, nominum

A num quæ obrepſerat barbaries; & quod vnicum tantum exemplar haberemus, ita vt ab omni collatione excluderemur; adhæc notarum in numeris aut tranſpoſitio, aut deprauatio.

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ.

SYRACVSAE Corinthiorum Colonia.

QVIA ordo ſerieſque hiſtoriæ poſtulat, vt de Syracuſis vrbe non ſolum totius Siciliæ principe, ſed & metropoli atque inter Orbis vrbes celeberrima dicamus: hoc prius exponendū erit, à quibus
B initijs & à quibus colonis frequentata in tantā pomerij amplitudinem creuerit, vt nō modo maxima, ſed & pulcherrima, quattuor ſimul vrbes, triplici muro, totidem arcibus, portubuſq; duobus incluſas, ambitu triginta paſſuum millia, imperio autem totam quaſi Siciliam amplecteretur. Ipſius Reipublicæ ſtatus admodum inconſtans fuit, & ad frequentem conuerſionem cum magna ciuitatis perturbatione præceps. Ab initio namque ſub legibus, & inſtitutis Doricorum & vnius imperio adoleuit: poſt Archiæ mortem ſub optimatum gubernatione aliquandiu floruit: donec ad ſtatum popularem ſeditionibus, diſcordijs ciuilibus & factionibus ſemper irrequietum prolapſa iuſto tandem Ge-
C lonis imperio recrearetur. Mox iniuſta aliquot tyrannorum dominatione, audacia, & libidine vexati ciues, aſſerta tandem armis & legibus, libertate tyrannidē expulerunt. Sequuta deinde iterum eſt optimatium adminiſtratio, quorū prudentia, & fortitudine difficillimis temporibus reſpublica conſeruata eſt, & affectata armis Athenienſium dominatio fortiter repulſa. Cæterum quum plebs (vti ferè ſolet) poſt victoriam impotentius iterum inſoleſceret, factionibus & partium ſtudijs, tum etiam Petaliſmo optimum quemque ciuitate eijceretur, armiſque Punicis ob diſcordiam inteſtinā laceſſeretur, vſus ea occaſione artibuſq; ſuis Dionyſius, rempublicam inuadens, eandem annis duodequadraginta te-
D nuit, eo ſublato filius regnum paternum armis occupat, huius potentiā Dio Syracuſanus labefactauit, Timoleon Corinthius reſtituta Syracuſanis libertate euertit. Nec hic ſtatus vltra viceſimum annum diuturnus fuit. dum namque vim externam diſcordijs iterum ciuilibus feſsi depellere, ſed fruſtra conantur, domeſtica iterū dominatione per Agathoclem opprimitur. cuius fortuna, vt frequenter variabat, ita reipublicæ ſtatum percellebat, aut ſedabat. Eo defuncto quum Pyrrhum Epirotarum regem Syracuſani domeſtica clade perculſi, contra Pœnos ſollicitaſſent, atque is Romanorum bello oppreſſus Syracuſanos deſerere cogeretur, Hieroni ſecundo vltro ſeſe dediderunt, ſub cuius imperio, &

SYRACVSANORVM RESPVBLICA.

 ſocietate

ſocietate amicitiaq; Populi Romani Syracuſana Reſpublica multis antea malis feſſa nõnihil reſpirauit, donec Hierone mortuo Hieronymus eiuſdem nepos, qui ſucceſſerat in tyrannidem prolapſus, & ad Pœnorũ amicitiam procliuis, ſuorum inſidijs opprimeretur. Quum etenim ab iſtius morte reſpublica denuo factionibus laboraret, & Syracuſani ad Pœnorum ſeſe ſocietatem inclinarent, vrbe tandem à M. Marcello expugnata, Romanorum deinde legibus & magiſtratui parere coacti ſunt. atque hæc paucis de Reipublicæ iſtius conuerſione hîc prefari viſum eſt, quò tot mutationum & turbarum cauſſæ intelligerentur. Sequitur nunc vt de vrbis ipſius origine, & ſitu agamus, à tenuibus namque progreſſa initijs in magnam amplitudinem extenſa eſt. Prima vrbis pars peninſula erat, quæ à prima origine, à ſimilitudine balnearũ Omothermon dicebatur. eam AEtoli ex Ortygia profecti, mortalium primi incoluerunt, vocaruntq; Ortygiam, vel ab ipſorum patria, vel à Diana, quæ & ipſa Ortygia ab vna Cycladũ cognominabatur: Dianæ namq; hanc peninſulam antiquitas conſecrauerat. Poſt hæc Siculi expulſis AEtolis, quum locum hunc conſtruendæ vrbi peropportunum obſeruaſſent, (aggere enim anguſto veluti ceruice quadam continenti adherens, ſexcentorum ferè paſſuum ambitu comprehendebatur) mœnia loco tutiſsimo, & quem pauci defendere poſſent, circumducere placuit. Portus verò duos inæquales habebat, maior orientem, minor occidentem reſpiciebat. Maior ad mare Ionium quingentos paſſus patebat coarctabantur eius fauces tum Plemmyrio promontorio è regione vrbis ſito, tum & inſula Plemmyria, ita vt centum ferè paſſuum anguſtijs clauderentur: portus autem ipſe in latitudinem duobus paſſuum millibus, in ambitu verò quinque patebat. in huius portus ſinum Anapus fluuius ingenti & perpetuo alueo influebat, ſiniſtra vinetis & oliuetis veſtiebatur, dextera fonte Arethuſa apud antiquitatem celeberrimo alluebatur fons enim ille medijs è ſaxis ac ſpecu exundans, magnos in mare fluctus prouoluebat. Auctores tradunt Alphæum Arcadiæ fluuium iuxta Cyllenen Eleorum nauale in mare irrumpere, atque mare Ionium per quingenta paſſuum millia ſubtermeare, & ex hoc fonte iterũ erumpere, atque id multis & veriſimilibus argumentis affirmare cõtendunt. Arethuſa verò aquas habuit craſſas ſalſioreſq;, & proinde potui inſuaues, pleniſsimas tamen piſcium, quos quod Dianæ ſacri eſſent, religio erat violare. atque hinc varia numiſmata cum Arethuſæ capite piſcibus circundato inter Syracuſana ſpectari credibile eſt. Prodit Diodorus obſeruatum etiam illos qui belli tempore eos piſces comedere auſi fuiſſent varijs calamitatibus oppreſſos infælicem habuiſſe exitum.

SYRACVSARVM ORIGO ET SITVS.

ORTYGIA.

ARETHVSA FONS.

ALPHAEVS FL.

Portus minor qui occidẽtem reſpiciebat, mamoreũ vndiq; ſinum, fundumq;

A fundumq; quadratis ac prægrādibus lapidibus magna arte ſubſtratum habebat. Is ſiniſtra ſui parte Ortygiam, dextra Acradinam reſpiciebat: ex vtroque latere turres aſſurgebant, expugnatu perquam difficiles. Hac in regione duæ ædes ſacræ erant, quarum vna Dianæ dicata, quam præcipuè colebant ab initio huc tranſlati Corinthij. Atque adeò totam Syracuſarum vrbem Dianæ ſacram, eiuſque ſedem fuiſſe quidam monumentis teſtatū reliquerunt. Altera ædes ante Dianæ aduentum Mineruæ ſacra fuit, ad cuius verticem Mineruæ ſcutū ex ære inauratū fulgebat: ita vt eminus à nauigantibus ex mari conſpiceretur. Qui verò è portu Syracuſano ſoluerāt, quum primum illud amplius oculis
B aſſequi non poterant ſcyphū fictilem, quem à Deorum ara iuxta Iouis Olympij fanū extra muros ſita, conſultò acceperant, melle, thure, aromatibus, floribuſq; repletū in Neptuni & Mineruæ honorē in mare effundebant, peractoque voto nauigationis curſum læti proſequebantur. Atq; ea pars vrbis quæ antea, vti iā Ortygiæ nomē habebat, poſteaquā exſuperāte mari abrupto Iſthmo inſula eſt facta, Naſos græcè, latinis inſula vocata eſt, & reliquis partibus Acradinæ præcipuè anguſto pōte adiuncta. Ad anguſtias vtriuſq; portus poſtea arx Dionyſij Senioris extructa, atq; à Timoleonte, vt Tyrannorū ſedē euerteret iterum exciſa fuit. Eadem in arce monetæ officina erat, & arcus marmoreus in honorē Ti-
C moleōtis, cui hoc epigrāma inſcriptū fuiſſe auctores aliquot prodiderūt, EXSTINCTORI TYRANNIDIS. In eiuſdem arcis ruinis Hiero iunior regiā extruxit qua deinceps prætores Romani pro prætorio vſi ſunt.

NASOS SYRACVSARVM PARS.

Altera vrbs quòd in ſummo vertice qui inſulam muniebat ſita eſſet Acradina vocabatur. Hæc poſt Corinthiorū de quo paulo poſt dicturi ſumus aduentū ob populi frequentiam, quæ Inſulæ anguſtijs contineri non poterat, Ortygiæ acceſsit. In ea forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatiſsimum Prytaneium, tum & ampliſsima erat Curia, & templum Iouis Olympij ab Hierone iuniore extructum, ceteræ vrbis iſtius partes vna via lata ac perpetua, multiſq; alijs tranſuerſis diuiſæ; pri-
D uatis ædificijs continebantur. Erat in eodem templo Iouis Imperatoris ſimulachrum, quod Græci Vrion vocabant: vnum è tribus in Orbe terrarum Iouis Imperatoris ſignis vno in genere pulcherrimè factis. Sphæra quoque ſolis ænea, quæ cæli, ſiderumq; conuerſiones cum ventorum ratione explicabat, ea in parte vrbis erecta erat. Hanc vrbem ceteris munitiorem amplioremque, & veluti ex pluribus compoſitam fuiſſe vrbibus auctores produnt, & ipſe loci ſitus teſtatur. Mari enim ab Oriente & Meridie alluebatur, reliquæ partes firmiſsimis vndique muris cingebantur. verſus Septemtrionē in extrema vrbis parte Galeagra turris Trogilorum portui & portæ imminebat, qua Leontinos reſpicie-

ACRADINA.

bat regio erat Hecatompedon Plutarcho vocata. Erant in ea & Latu- A
miæ, hæ erant foſſæ ſubterraneæ varijs anfractibus excauatæ, è quibus
ad vrbem exſtruendam lapides petebantur, quibus poſtea reges & Ty-
ranni pro carcere vſi ſunt. erat & ſpecus ex viuo lapide in qua Echo, non
modò æditæ claræque vocis, ſed ſummiſſæ quoque, neque id natura, vt
alibi, ſed arte certa, reſponſa referebat.

TYCHE. Tertia Syracuſarum vrbs quòd in ea parte Fortunæ fanū antiquum
fuiſſet Tyche nominata eſt, in hac gymnaſium ampliſsimum erat, & cō-
plures ædes ſacræ. colebaturq; ea pars vrbis, & habitabatur frequentiſsi-
mè. Acradinæ ab Occidente cōnexa erat muro è quadratis maximiſq;
lapidibus poſt Thraſybuli eiectionem circumſepta. Sita erat in mole B
paulatim accliui, vndique præciſa, tota lapidoſa atque aſpera. In eius
vertice locus eminens, vndiq; præruptus, ac vnico tantum aditu patens,

EPIPOLAE. Epipolæ Græcis quòd ſupra reliquas vrbis partes emineret, cognomina-
tus eſt. in eius crepidine arx Labdalus, alijs Hexapylō dicta, ex quadrato
ſaxo, miro artificio exſtructa erat. Supra Epipolas ac Labdalum
ſtadijs circiter duobus verſus Occidentem tumulus erat vndique præ-
ruptus Eurielus ſupra quē quattuor ferè paſſuum millibus arduus mons
præcipiti iugo erat, cuius vertex Lepas appellabatur. Via verò Leonti-
na ab Epipolis mille prope paſsibus locus erat qui Leon dicebatur.

Hac in vrbe Fortunæ templū à Timoleonte poſt tyrannidē eiectam C
magnificentiſsimè exſtructum fuerat, quumq; propter ſitum aquarum
indiga eſſet, varijs aquæductibus excitatis, huic malo prouiſum fuit, quo-
rum tubos Athenienſes quum vrbem obſiderent, vt potus inopia Syra-
cuſanos ad deditionem compellerent, inciderunt. Ad Agragianas huius
vrbis portas Archimedis ſepulchrum, atque aliorum complurium tu-
muli fuerunt; quibus vicinum fuit oppidulum ſuburbanum Syca ap-
pellatum.

NEAPOLIS SYRACVSANA. Quarta vrbs quia poſtrema ædificata fuerat, Neapolis appellata: hæc
à Septemtrione Tychen, ab Oriente Acradinam habebat. In hac theatrū
erat ex viuo ſaxo maximum omniumq; in Sicilia pulcherrimum nec D
longè à theatro Amphitheatrum ſingulari architecturæ magnificentia
inſigne. Præterea duo templa egregia, Cereris vnum, alterum Liberæ,
ſignumque Apollinis qui Temenites vocabatur pulcherrimum ac ma-
ximum. Portæ item Menetides quæ Anapum fluuium reſpiciebant,
extra eas palus Lyſimelia, cuius vaporibus tota Syracuſarū vrbs & præ-
cipuè ea in parte cælum inficiebatur. hinc ad fluuiū Anapum, & Olym-
picum vſque via erat magnis & quadratis ſaxis conſtrata. Anapo fluuio
ſupra duo ferè millia paſſuum à portu maiore Cyane fons tantæ pro-
funditatis vt eam nullo perpendiculo quis metiri poſſet, aquas ſuas cō-
miſcet.

A miſcet. Fontem ea eſſe natura vt creſcente Luna accreſcat, decreſcente aquis minuatur ab antiquitate proditum eſt, quod & noſtro ſæculo æquales confirmant. Eundem Proſerpinæ ſacrum fuiſſe obſeruo, feſtoſque dies magno virorum mulierumq; conuentu ibidem celebratos. Ab Anapo occidentem verſus exiguo in tumulo Polychnia erat, in qua velut loco idoneo & munito Athenienſes olim, poſtea Romani ad obſidionis commoditatem caſtra ponere conſueuerant. Eodem in tumulo templum erat Iouis Olympij celeberrimum, & oppidum Olympicum nec procul illinc Acarnaniæ oppidulum, inde Pachynum verſus longum promontorium, vlterius ad ſex millia paſſuum Cacyparis fluB uij oſtium ſequitur. Mox Erineus ſiue Orinius fluuius; variant enim auctores, in mare ſeſe exonerat, & Aſinarus victoria contra Athenienſes ad eius ripam à Syracuſanis parta nobilis. nec aliter eius victoriæ feſtum diem viceſimum quinctum Carni menſis (qui Latinorũ Maio reſpondet) Syracuſani quotannis celebrabant, quàm Romani funeſtum illum, à clade Allienſi ad Alliam fluuium à Gallis Senonibus paullo poſt XV. Kal. Sextilibus accepta, vt nefaſtum exſecrati ſunt. Recenſuimus itaque ex noſtra deſcriptione vrbem non modò maximam, ſed & pulcherrimam, eandem vt opibus, militia & Imperio legibus & inſtitutis olim clariſsimam, ita etiam doctiſsimam, & compluribus in quolibet doctriC narum genere viris ornatiſsimam ex ordine proſequuturi ſumus, auſpicaturi ab primis colonis, ex ijs qui eandem condiderunt.

Agebatur annus Olympiadis vndecimæ ſecundus, quũ Archias è gente Heraclidarum, Corinthi opum & poteſtatis licentia dominaretur. Is amoris impotentia in Acteonem Meliſsi filium adoleſcentem forma & pudicitia gratioſum exarſerat, eum ſpe ac pretio pellicere adortus, vbi omnia ſuæ libidini obſepta clauſaque experiretur, ad crudelem ſuperbamque vim animum conuertit. ſeruorum ſatellitio ſtipatus Meliſsi domum inuadit, filium eius Acteonem ad ſtuprum rapere conatur, obnititur pater, inter colluctantium manus Acteon violentia laceratus exD pirat. Hinc Meliſſus furore amens cruentum filij corpus oſtentat populo, ſcelus Archiæ, pueri infelicem formam, patris neceſsitatem orbus deplorat. nequicquam tamen ob Archiæ potentiam quiritatus, occaſionem Iſthmicorum (qui in honorẽ Neptuni frequentiſsimo totius Græciæ conuentu celebrabãtur) ludorũ expectat: ibi tum furoris impotentia victus ædem Neptuni conſcendit: populo Corinthiorum, atque ipſi Archiæ diras imprecatus ſe præcipitat, exaudijt Neptunus, ſequiturque graue tempus & annus vrbi agriſq; peſtilens, nec hominibus magis quã pecori exitioſus, & vulgabatur contagio morbus. Conſultum de remedio Apollinis oraculum reſpondit, numinis iram de inſontis pueri

nece esse expiandam. Mox Archias quum se tantæ calamitatis culpam A
sustinere, suorumque ciuium oculis signari videret numinis quoque
vltioni cedendum ratus fugæ consilium concipit, colonos maxi-
mo numero ex Corinthijs, Dorienſibus, ac Teneo Corinthiorum vt
exsternas secum quærerent sedes adscribit: vt ne quid inaugurato aggre-
derentur, cum placuisset de loco Apollinem consulere ita respõsum est.

Trinacriam supra medio iacet insula ponto
Ortygiam dixêre, vbi cana fluenta refundit
Alphæus pulchræ sese immiscens Arethusæ.

Auctores habeo qui referant, quum sub idem ferè tempus, Myscel-
lus quidam genere Achiuus, qui Crotonem coloniam in Italiam dedu- B
xit, de vrbe condenda Apollinem consuleret, atque vterque antequam
oraculum proderetur, rogatus esset, opesne an salubritatem expeterent?
Archiam opes, Myscellum incolumitatem petijsse, & vtrumque voti
compotem esse factum: Syracusas enim opulentia, Crotoniatas corpo-
ris salubritate floruisse. Sequutus itaque Apollinis oraculum Ar-
chias colonorum frequentiam secum deducens Ortygiam tunc quidē
Insulam, postea tenui isthmo continenti adiunctam appulit. Siculis-
que ibidem prœlio victis & ad mediterranea profligatis, in condenda
SYRACV- munienda, ampliandaq; vrbe Syracusarum totus incubuit, quam post-
SAE CON- quam per aliquot annos felici progressu optimis legibus atque insti- C
DITAE. tutis firmasset, duabus ex vxore filiabus Ortygia & Syracusa susceptis à
Telepho cui adolescentulo stuprum intulerat, & à classis suæ præfecto
per fraudem interemtus est. Post Archiæ cædem vrbs maxima statim
incrementa tam ex ipsius agri felicitate, quam portuum commoditate
accepit: floruitq; in optimatū statu plurimis ea respublica viris, & digni-
tate & belli gloria claris cõspicua: vsqueadeo vt Syracusani ipsorum au-
spicijs populos finitimos suæ potestati subijcerent, plurimosq; barba-
rorum seruitute oppressos in libertatem vindicarent. Quumque è
quattuor illis vrbis Syracusanæ partibus sola Ortygia per id tempus in-
coleretur, affluente indies, vt fit in republica bene constituta, multitudi- D
ne alijs atque alijs subinde partibus Pomerium auctum est: creuitq; vel
ab ipso statim initio vrbs eò potentiæ, vt intra breue tempus quattuor
vrbes in Sicilia Syracusani condiderint, Acras videlicet niuosis in mon-
tibus ad Anapi fluuij fontes septuagesimo post conditas Syracusas an-
no, Casmenas in planicie nonagesimo, Camarinam ad littus meridio-
nale centesimo decimo, Ennam quoque in mediterraneis insulæ ipsoq;
veluti vmbilico anno septuagesimo primo. Ab optimatum quem
diximus statu, Syracusanorum respublica ad popularem, à populari ad
plebeium conuersa est. Nam quum Tyndaridis vnius ex optimatibus

opes,

A opes, & nimia popularitas affectatæ tyrannidis crimine, aut certè ſuſpitione tenerentur, legem Optimates tulerunt quam ab Oliuæ folio Petaliſmum vocarunt: hac cauebatur vt eius qui regnum affectaſſet nomen Oliuæ folio inſcriberetur, eidemque traderetur, atque hinc intelligeret exſilium ſibi per quinquennium eſſe indictum. Ea lege multi deinceps Optimatum odio & inuidia expulſi ſunt, ita vt is ordo eiuſque auctoritas multum imminueretur, & reipublicæ ſtatus tandem ad plebeium, inde ad vnius imperium, vti fieri ſolet, conuerſus ſit. Orta namque de Iouis Olympij ſacerdotio quod vnum ex annuis magiſtratibus apud Syracuſanos fuit, contentione, quum quidam ex ordine patricio qui
B Gamori vocabantur, eum magiſtratum impotentius ambirent & per tumultum in ea contentione à plebe & ſeruis qui Cyllirij vocabantur, coniuratione facta eiecti, in Caſmenam vrbem ſeceſsiſſent, Gelo Dinomenis filius qui tunc apud Gelenſes rerum potiebantur à Gamoris in auxilium euocatus magna militum manu coacta, eos ab vrbe Caſmena Syracuſas reduxit plebe & ſeruis in poteſtatem redactis, quo beneficio ita vniuerſos ſibi demeruit, vt Syracuſani ſe, fortunas ſuas ipſamq, adeò vrbem Geloni ad ſe venienti haud inuiti permiſerint dediderintque. Atque ea ratione Gelo primus omnium regnum Syracuſanum adeptus eſt Olympiadis ſeptuageſimæ ſecundæ anno ſecundo, quo tempore Da-
C maratam Theronis Agrigentinorum Tyranni filiam in vxorem duxit: Gelam verò Hieroni fratri poſsidendam reliquit. Quumque per annos ſeptem legibus & inſtitutis Syracuſanorum rempublicam firmaſſet, opera quoque publica quam plurima exſtruxiſſet, graui morbo correptus, cum hæredem non haberet, Hieroni fratri à ſe natu maximo regnum Syracuſarum conſenſu populi anno tertio Olympiadis ſeptuageſimæ quintæ tradidit. Iniuſta Hieronis potentia atque auaritia initio vexata eſt reſpublica, eiuſdemque tyrannide Thraſybulus & Polyzelus fratres ipſius Syracuſis ceſſére. Sed poſtquam is in grauem morbum incidiſſet, conſuetudine Simonidis, Pindari & Bacchylidis Poëtarum
D admodum familiariter vſus, mores in melius mutauit. frequenti enim & aſsidua virorum illorum conſuetudine rerum plurimarum cognitionem adeptus, poſtea à liberalitate & benignitate commendatus eſt, animumq; verè generoſum & liberalem ſumpſit, pietateq; erga fratres vſus, frequentique victoria contra hoſtes potitus, quum vndecim annos & menſes octo regnaſſet fato functus Thraſybulum fratrem ſucceſſorem habuit anno ſecundo Olympiadis ſeptuageſimæ octauæ. Huius Thraſybuli libidine, crudelitate & audacia vexati ciues, arma pro libertate ſumpſére coactisque quindecim hominum millibus eam vrbis partem quæ Tycha vocabatur, occuparant. Thraſybulus autem Acradina &

GELO PRIMVS SYRACVSARVM REX.

HIERO II. SYRACVSARVM REX.

THRASYBVLVS TYRANNVS.

Naſo

Naſo alijs duabus vrbis partibus communitis, Syracuſanos frequentibus excurſionibus laceſſebat. Syracuſani verò quo ſe à Thraſybuli tyrannide liberarent auxilia ab Agrigentinis, Gelenſibus, Selinuntijs, & Himerēſibus petunt, quorum auxilijs adiuti aliquoties cum Thraſybulo manus, ſed dubio marte conſeruere, extremo tandem prælio victores Thraſybulum expellunt, qui Sicilia excedens deſperato reditu, reliquum ætatis Locris priuatus tranſegit. Ab eo tempore Syracuſani per annos ſexaginta vſque ad Dionyſij tyrannidem libertate vſi, Ioui Eleutherio, ſiue liberatori coloſſeam ſtatuam erigunt; decernuntque ne quis nouus homo, aut ex ijs qui à Gelone in ciuitatem ad decem millia adſcripti fuerant, honores caperet, qui dum ſe ab honorum communicatione cō- tumelioſe excluſos vident, arma capiunt. Acradinam & Inſulam ſiue Naſon munitiſsimas vrbis partes occupant, varijs inde prælijs bellum protrahitur, donec Syracuſani indigenæ magna & ingenti victoria contra inquilinos potiti, eoſdem vrbe eijcerent. Et quò ſeditionum faces, & libertatis publicæ inſidiatores vndique tollerentur reliquæ quoque vrbes exemplum Syracuſanorum ſecutæ quoſcunque ab Hierone in ciuium numerum aſcitos in exilium cogunt, exules verò per Hieronis tyrannidem vrbe expulſos reuocant, atque eo potiſsimum facto Siciliam ad tranquillitatem & pacem componunt. Cæterum quia Siculi à Græcis ex maritimis vrbibus profligati mediterranea Siciliæ loca incolebant, hi & proprios reges & rempublicam habebant, & inter hos præcipui nominis principem Ducetium Neetinum opibus, & rerum geſtarū gloria nobilem. Is Ennam græcorum vrbem principe eius per dolum necato, occupat: inde in Agrigentinos excurſionem facit, & Motyam vi capit. Qua re cognita Syracuſani eiuſdem vires iam nimium inualeſcentes, repreſſuri, Bolconem cum exercitu contra Ducetium mittunt, quem prælio ſuperatum perduellionis reum agunt, Et ſanè hærebat in culpa Bolco, exercitum namque ſuum donis à Ducetio corruptus prodiderat, hinc capitis accerſitus damnatur, ſummiſsiuſque alius pro Bolcone dux cum Ducetio congreſſus eundem profligatum in fugam cogit. veſtigijſque fugientium non ſine magna ſtrage inſiſtit. Fractus ea clade Ducetius, atque à ſuis deſertus capto à neceſsitate conſilio, noctu Syracuſas properat, ibi in foro ante aras proſtratus, mox ſupplex ad ſenatum accedens ſeipſum cum vniuerſa Siculorum regione in Syracuſanorum poteſtatem dedit. Populus rei nouitate permotus ad concionē vocatur, ibi variantibus ſententijs plebes de eo tanquam hoſte ſupplicium ſumendum decernit. Optimates verò & proceres Ducetio ſupplici & ludibrijs fortunæ proiecto parcendum cenſent, ſequitur procerum iudicium populus, relegatuſque Corinthum Ducetius priuatus ibidem

ALTERA CONVERSIO REIPVBLICAE SYRACVSANAE.

DVCETIVS PRINCEPS SICVLORVM.

BELLVM SICVLVM CVM DVCETIO.

reliquum

A reliquum vitæ peracturus. Hinc Agrigentini Syracuſanis infenſi, quòd communi hoſti pepercíſſent bellum ijſdem mouent, hac occaſione & reliquæ Græcanicæ originis in Sicilia ciuitates in factiones & partium ſtudia diſtractæ ſunt, congreſsiſque prælio inter ſe ad Himeram fluuiũ Syracuſanis & Agrigentinis dubio aliquandiu marte certatum eſt, tandem Syracuſanus victor Agrigentinos ad pacis leges compellit. Per id tempus turbatis Siciliæ rebus, Ducetius à Corintho reuerſus poſtquam Collatinam coloniam condidiſſet, regnumque Siciliæ vtcunque recreaſſet, necdum compoſito tumultu, morbo correptus interijt. Mortuo Ducetio pace cum Agrigentinis facta, & fœdere quod cum Carthaginé-

COLLATINA COLONIA.

B ſibus Gelo percuſſerat inuiolato, Syracuſæ facile principem locum in Sicilia tenebant. Atque eæ iam Syracuſanorum opes erant, ea imperij poteſtas vt non ſolùm Græcorum, ſed & Siculorum vrbibus, excepta Trinacria, imperarent. Trinacria Sicularum vrbium ea tempeſtate princeps, & quaſi regia opere præſidioque munitiſsima, ciuibus quoque virtute, ingenio ac opulentia præſtantiſsimis referta florebat, eam Syracuſani vt potentiæ ſuæ æmulam, & de Siculorum imperio vindicando cogitantem, aut in poteſtatem redigendam, aut penitus delendam decernunt, conſcriptis itaque vndique copijs, habitoque delectu acerrimo in

TRINACRIA.

BELLVM TRINACINVM.

C Trinacriam vim omnem & apparatum belli mouent. Trinacini ſtrenuè pro aris & focis pugnaturi animos ſumunt, Syracuſanis occurrunt, vincuntur tamen, ſed tanta etiam in victis pertinacia fuit, vt quem quiſque viuus pugnando locum cepiſſet, eum amiſſa vita corpore tegeret, ſenes etiam ne viui in hoſtium poteſtatem venirent, ſibi manus intulerunt. Trinacinorum exercitu ad internecionem deleto, Syracuſani vrbem ſolo æquari iubent, plebem & reliquos omnes in vrbe captos ad ſeruitutẽ vendunt, prædam ſelectiorem Delphos ad Apollinem vt tantæ victoriæ auctorem mittunt. Poſthæc pacata iam omni vti videbatur, Si-

BELLVM LEONTINVM.

cilia, ſubitò bellum inter Syracuſanos & Leontinos exarſit. Syracuſanorum partes vniuerſæ Dorici nominis ciuitates excepta Camarina ſeque-

D bantur, Leontinorum Chalcidicæ & Camarina. In Italia quoque Locri Syracuſanis, Rhegini Leontinis ſtudebant. Rhegini Leontinorum ſocij affinitatem prætexentes, Athenas legatos cum Gorgia oratore pro auxilijs mittunt, Syracuſanorum ſuperbiam accuſantes, à quibus terra marique arcerentur. Decernunt Athenienſes auxilium viginti triremiũ ducibus Lachete, & Charœade, idq; non tam neceſsitudinis affectu, quã vt Peloponenſes frumentari ex inſula prohiberent, ſimul ſpe Siciliam in ditionem ſuam redigendi. Poſtquam Athenienſium duces Rhegium appuliſſent dum adiunctis ſibi ſociorum copijs ad bellum ſe comparãt, æſtas tranſit. Interim Athenienſes domi graui peſte affliguntur. Qui

ATHENIENSIVM IN SICILIAM ADVENTVS.

D verò

verò in Sicilia erant Athenienſes ne ocio vires torpeſcerent accitis, do- A
mo ſocijs, AEolias inſulas inuadunt, cumque vrbibus potiri nequirent
perpopulatis inſulis Rhegium reuertuntur. AEſtate inſequente Cha-
rœadas Atheniẽſium Dux à Syracuſanis in prælio occiditur. Laches au-
tem penes quem claſsis imperium erat, Mylas Meſſanenſium oppidum
cum duobus cohortibus in deditionem recipit, paullo poſt ipſam Meſ-
ſanam occupat. Interea Athenienſes à ſocijs perſuaſi maiori auxilio
contra Syracuſanorum vires opus eſſe, Pythodorum in locum Lache-
tis cum paucis nauibus ſubmittunt: is Locros Syracuſanorum ſocios
temerè aggreſſus prælio vincitur. Syracuſani inter hæc Meſſanam re-
cipiunt, mox ſociorum querelis incenſi bellum contra Rheginos ſuſci- B
piunt, ſperantes ob infirmitatem claſsis Athenienſium ſe Rhegio facile
potituros, coactiſq; in vnum & ſuis, & ſociorum viribus claſſem trigin-
ta nauium efficiunt, cum hac ſexdecim Athenienſium, & octo Rhegi-
norum aggrediuntur. Sed victi, & in fugam verſi caſtra repetunt, poſtri-
die prælio redintegrato dubio Marte nec victi, nec victores diſcedunt.
Meſſanenſes ſub hæc Naxum Chalcidicam, (Athenienſium hæc ſocia
erat) oppugnantes, mille è ſuis interfectis, repelluntur. Meſſanenſibus
hac clade fractis, Athenienſes rati vrbem facilè ſe expugnaturos, eandẽ
terra per ſocios, mari per ſe oppugnant. ſed Meſſanenſes inter hæc vrbe
egreſsi duce Demotele, cum Locrenſibus ſocijs Leontinos inuadunt, C
agunt, ferunt, cædunt, donec ab Athenienſibns auxilium ſocijs ferenti-
bus in vrbem rurſus compellerentur. Ita poſtquam diu mutuis in ſe
cladibus Siculi deſæuijſſent, tandem in vnum congregati inter ſe recon-
ciliantur: Atheniẽſium verò claſsis domum reuertitur. ſed duces ab in-
fenſa ciuitate tanquam muneribus corrupti exilio multati ſunt: ange-
bantur enim Athenienſes ſpe ſua fruſtrati qua ſe Siciliam occaſione
bellorum inteſtinorum in ſuam poteſtatem redacturos impotẽtius ſpe-
rauerant, conuenerat in ea reconciliatione inter Siculos vt Syracuſani
Leontinos ciuitate donatos ciuium iure vti permitterẽt, Leontinumq;
POSTVS LEONTINVM. vrbem municipium Syracuſanum declararent. Ceterum quum Leon- D
tini ægrè ſuis ſe ſedibus expelli paterentur, nouum ob leges agrarias mo-
tum excitarunt. Ei occaſioni Athenienſes incumbentes Phæacem vi-
rum ſtrenuum ad concitandos Leontinos, cæteroſque Syracuſanorum
ſocios alienandos mittunt, vt tranquillum reipublicæ ſtatũ iterum per-
turbaret. Is Camarinenſes, & Agrigentinos in ſuã ſententiam pertraxit.
Gelenſes autem & reliqui in fide perſiſtunt, atque ea ſociorum conſtan-
tia Phæacis induſtria, ſimul & Athenienſium ambitio eluſa eſt. Exarſit
poſtea grauiſsimum & mutua clade partiumq; ſtudijs diuturnum inter
Syracuſanos & Athenienſes bellum. Cauſam tanti motus Segeſtani &

Selinuntij

A Selinuntij priuatis ex iniurijs ob quædam ſponſalia, & agri limites depopulatos præbuerunt. Segeſtani victi à Selinuntijs Syracuſanorum & Agrigentinorum auxilia, ſed fruſtra ſollicitant. Mox & Pænorum opes nequidquã implorant, quare cum Leontinis exulibus ſocietatẽ coëunt & Athenienſes ad bellum Selinuntijs & Syracuſanis mouendum per legatos, promiſſa magna vi auri & ſuo auxilio ad Siciliã occupãdam, adiunctis etiam Catanenſium precibus inuitant. Ceterum cum in comitijs de bello contra Syracuſanos ſuſcipiendo ageretur, Nicias Nicerati filius virtute & auctoritate præcipuus bellum diſſuaſit, quod eo bello vires Athenienſium vix contra Spartanos per proximos aliquot annos
B pares attererentur exhaurirenturque: deterrebat ad hoc quòd Carthaginenſes eo ſæculo terra & mari potẽtiſsimi Syracuſanorum opes, nedum totius Siciliæ vires improſperè tentaſſent. Contra Alcibiades vir vti ingenij acerrimi, ita & facundiæ vehementiſsimæ populũ diuerſis rationibus ad bellum Syracuſanum hortatur, fidei eſſe Athenienſium ſocios à ſeruitute aſſerere. Syracuſanos quamuis alioqui potentiſsimos, Athenienſium tamen & ſociorum, quos violauerant, viribus, & partiũ ſtudijs impares fore. Claſſem itaque inſtruendam, & ſi copias in Siciliam pedeſtres mittant, eam facile ceſſuram. Accedebant adhæc legatorum, qui ſe ad mouendam commiſerationem omni ſqualoris habitu deformaC uerant, preces & lacrumæ, nec parum valuit apud dominandi cupidos tot populorum idem precantium numerus. Claſsis igitur mittitur ingens centum triginta triremium, quinque millibus armatorum inſtructa: duces creati & ſimul miſsi Nicias, Alcibiades & Lamachus: tantiſque viribus Sicilia repetitur, vt etiam ipſis in quorum auxilium mittebantur, terrori eſſent. Breui poſt tempore reuocatur ad cauſam dicendã à ciuibus Alcibiades; Nicias verò & Lamachus duo prœlia pedeſtria ſecunda faciunt: munitionibus deinde circundatis, Syracuſanos vrbi ſuæ incluſos etiam maritimo commeatu intercludunt. Quibus rebus fracti Syracuſani, auxilium à Lacedæmonijs, vel ipſo Alcibiade qui Spartæ
D metu legũ exulabat, ſuadente ſimul & à Corinthijs petiuerũt, & impetrarunt. Miſſus à Spartanis Gylippus rei militaris peritiſsimus, à Corinthijs verò, Python, cũ auxiliaribus vterq; copijs. Gylippus audito genere belli, & inclinato iam ſtatu, auxilijs partim in Græcia, partim in Sicilia cõſcriptis oportuna bello loca occupat. duobus inde prælijs victus, tertiò feliciter cõgreſſus, occiſo Lamacho hoſtes in fugã cõpulit, ſimul ſocios obſidione liberauit. Ceterum quum Athenienſes rem à bello terreſtri in nauale tranſtuliſſent, Gylippus claſſem cum auxilijs accerſit, quo cognito & ipſi Athenienſes in locum amiſsi ducis Demoſthenem & Eurymedontem cum ſupplemento copiarum mittunt. Peloponneſij

BELLVM CVM ATHENIENSIBVS.

quoque communi ciuitatum decreto ingentia Syracuſanis auxilia miſêre. ita vt quaſi tranſlato in Siciliã bello Peloponeſiaco ſummis ex vtraque parte viribus dimicaretur. Prima igitur congreſsione nauali Athenienſes victi, caſtriſq; exuti, omni publica ſimul ac priuata pecunia ſpoliantur. Super hæc mala, quũ & terreſtri prælio inferiores eſſent, cenſuit Demoſthenes vt dum res quamuis affectæ, nondum tamen perditæ eſſent, maturè è Sicilia decederent, neque enim in bello malè auſpicato diutius perſeuerandum eſſe, domi grauiora bella ſupereſſe in quæ quidquid reliquum erat apparatus reſeruandum. Nicias autem ſiue pudore rei malè geſtæ, ſeu metu ciuium ſuorum, vel impellente ſic fato, manere contendit. Ab aduerſa itaque prioris cladis, procella, reuocatis ad ſpem ſecundioris prælij animis nauale certamen inſtauratur, ſed inſcitia ducum qui inter maris anguſtias tutius cum hoſte ſe congreſſuros ſperabant Syracuſanos aggreſsi, impeditique inter ſe Athenienſes facile vincuntur. Eurymedon dux in prima acie fortiſsime dimicans cadit triginta quibus præfuerat, naues flammis iniectis incendio conſumpſit. Ipſe quoque Demoſthenes & Nicias eodem prælio victi exercitum excurſionem facere iubent tutiorẽ itinere terreſtri fugam rati. Ab his relictas centum triginta naues Gylippus occupat, ipſis deinde fugientibus inſtans, partim capit, partim cædit. Demoſthenes amiſſo exercitu ferro ſe à captiuitate & morte voluntaria vindicat. Nicias autem ne Demoſthenis quidem exemplo, vt ſibi conſuleret edoctus cladem ſuorum etiam captiuitatis dedecore auxit. Quidam tradunt Demoſthenem & Niciam poſteaquam ſeſe dedidiſſent, populi Syracuſani iuſsu ad ſupplicium raptos ac interfectos. Variant alij. Hermocrati enim concione nondum dimiſſa ad eos occidendos digreſſo carceris cuſtodem occurriſſe, retuliſſeque Demoſthenem ac Niciam in carcere ſibi ipſis manus intuliſſe, mox eorundem cadauera ad ludibrium ante carcerem proiecta fuiſſe. Syracuſani ea victoria potiti mox popularem ſtatum pro Ariſtocratia ſiue optimatum ſtatu arripiunt, ita enim ferè comparatum eſt vt victoria libertatem, libertas licentiam pariat, iterum dum plebs belua multorum capitum rationis & ſanioris conſilij expers libertate & rebus proſperis inſolentius vtitur, ex nimia rurſus in ſeruitutem incidat ac tãdem eos tyrannos admittere cogatur quibus ſe ſuamque rempublicam inconſideratius crediderat. Quod & Syracuſanis poſtea accidit, dum ab hoc populari ſtatu iterũ in Dionyſij tyrannidem reciderunt. Poſt hæc Syracuſani Selinuntiorum clade permoti quam à Carthaginẽſibus, qui Segeſtanis venerant auxilio acceperant, Dioclem cum quatuor ſelectiſsimorum millibus contra Annibalem Giſconis filium, qui tunc Himeram vrbem oppugnabat, in auxilium eius vrbis mittunt. Verum

TERTIA REIPVBLICAE SYRACVSANAE CONVERSIO.

Annibal

A Annibal Syracuſanis magna clade affectis Himera potitur. Hinc indignati Syracuſani Hermocratem Petaliſmo vrbe expellunt. Is exul pro ea quæ tunc erat rerum ipſius fortuna quinque triremes ædificat, aſſumtis præterea exulibus Himereis reditum ſibi in patriam conficere conatus, poſtquam ſe ſpe fruſtratum videt, mediterranea Siciliæ petit, Selinuntẽ occupatam inſtaurat, Selinũtios per Siciliam diſperſos reuocat, vrbem ipſam communit, quumque aduenas vndiq; reciperet, breui ad ſex millium manum cogit. His copijs auctus Motyenſes, Panormitanoſque qui Pænorum partes ſequebantur perpopulatis eorum agris congredi auſos prælio ſuperat, ſocios tuetur, hoſtes vbique infeſtat. Intellecta Her-
B mocratis virtute, rebuſque ab ipſo in exilio geſtis, Syracuſanos pœnitentia ſubit quod virum egregium nihil commeritum eieciſſent. Ipſe autẽ per amicos de ciuium ſuorum pœnitentia certior factus, quo magis ſibi eos demereretur, oſſa eorum qui ad Himeram duce Diocle contra Carthaginenſes pugnantes conciderant, quàm potuit diligentiſsimè collecta ornataque curribus impoſita Syracuſas remittit, quanquam ne ſic quidem reditum impetrare potuit. verebantur enim Syracuſani ne vir ingentis animi atque audaciæ dominatum patriæ occuparet. Hermocrates dum ſe non admitti videt, retrò ad Selinuntios abit, paullò poſt ab amicis clam reuocatus noctu Syracuſas profectus Acradinam intrat, re
C cognita Syracuſani in foro conglobati Hermocratem cum maxima ſociorum parte interficiunt, reliquos verò conſcios exilio damnant, pauci aliquot tamen amicorum opera exitio ſubſtracti, & inter eos Dionyſius qui poſtea tyrannidem occupauit. Syracuſani interea inualeſcentem Carthaginenſium potentiam metuentes legatos Carthaginem mittunt de bello ſibi illato conquerentes, poſtulanteſque vt deinceps ab armis diſcedere vellent, reſpondent Carthaginenſes ambiguè, bellum interim ſumma vi parant, duces deligunt Annibalem Selinuntis Himeraq; excidio illuſtrem, & Himilconem Hannonis filium, militẽ ex Hiſpania, Africa, Italia mercede conducunt. quadraginta triremes in Siciliam ad
D explorandum inſulæ aditum dimittunt. Verum Syracuſani cum pari triremium numero occurrentes, graui prælio Carthaginenſes ſuperant, naues quindecim capiunt. Nihil ea clade deterriti Carthaginenſes Siciliam cum maiori ac inſtructiori claſſe in qua præter triremes mille naues onerariæ fuere repetunt. Agrigentum florentiſsimam Siciliæ vrbem obſidione cingunt. Syracuſani veluti ad commune incendium reſtinguẽdum militem vndique cogunt, accitis & ſociorum auxilijs vniuerſis copijs Daphnæum præficiunt, ac ſtatim in hoſtem ducere iubent. Himilco Carthaginenſium dux audito tanto hoſtium apparatu, quadraginta millia armatorum obuiam Syracuſanis mittit. iam Himerã fluuium

HERMOCRATIS CAEDES.

BELLVM CVM CARTHAGINIENSIBVS.

uium Syracuſanus traiecerat,cum ſubitò hoſtis apparet. nec quidquam A
cunctati Syracuſani hoſtem inuadunt:prælium cruentum,& anceps cõ-
mittitur. ſed vincit tandem Syracuſanus,hoſtibuſq; ad ſex millia prælio
interfectis,reliquum exercitum turpi fuga diſperſum non ſine pari ſtra-
ge inſequitur. Daphnæus vbi & ſuos vndique diſperſos in perſequendo
hoſte nullo ordine ferri videt, veritus ne idem ſibi quod Diocli ad Hi-
meram acciderat,eueniret,receptui canit, collectiſque ſuis caſtra & ipſe
ad Agrigentum locat: concurrentibuſque eò Agrigentinis, Carthagi-
nenſium caſtra vnà cum illis oppugnare aggreditur, ſed quum ſe fruſtra
ob inſuperabilem caſtrorum munitionem laborare videret,incepto de-
ſtitit: interceptiſque vndiq; pabulatoribus Carthaginenſes ad ſummas B
anguſtias & inopiam adducit.Hinc Himilco rebus propè deſperatis per
transfugam certior factus,Syracuſanos mari commeatum, & ſubſidia
Agrigentinis aduehere,quadraginta triremes clam milite implet,incau-
tiuſque nauigantibus improuiſus occurrit,primo congreſſu octo naues
longæ ſuppreſſæ,reliquæ captæ,aut diſsipatæ.Agrigentini ea clade acce-
pta conſternati commeatuque & externo milite deſtituti, tanquam re-
bus deploratis,vrbem fuga deſerunt, deſerta potitur hoſtis,hinc diuul-
gato Agrigenti excidio, ex tota paſsim Sicilia Syracuſas migratur. Qui
excidio ſupererant Agrigentini, apud commune ſociorum concilium
duces ſuos accuſant, eorum perfidia patriam proditam, victoriã hoſti- C
bus partam. Intererat concioni Dionyſius Hermocratis filius, is occa-
ſione accepta,duces apud populum viciſsim accuſat, illorum crudelita-
te & auaritia rempublicam hoſtibus proditam,ſocios deſertos,imperiũ
Syracuſanum ad vltimũ prope exitium adductũ vociferabatur, crean-
dos eſſe alios qui rempublicam collabentem & iam ruituram conſilio
& fortitudine confirmare poſsint. in priores duces tanquam proditores
vltima eſſe ſtatuenda. Dionyſius hac oratione, plebe quæ vel per ſe du-
cibus erat infenſiſsima, quò volebat impulſa, Prætor ab illis cum ali-
quot alijs creatur.Mox plebem obſequio,milites munificentia ſibi con-
cilians,effecit vt ipſe ſolus imperator crearetur. quod vbi ſe aſſequutum D
videt,viamque ſibi iam ad Tyrannidem eſſe factam, militum ſtipendia
QVARTA REIPVBLICAE SYRACVSANAE CONVERSIO. duplicauit,exules & obæratos quoquo modo ſibi deuinxit ac Piſiſtrati
Athenienſium tyranni exemplo inſidias ſibi factas ſimulans,ſatellitium
ſexcentorum militum ad corporis cuſtodiam à populo impetrauit.hoc
agmine,tum aliorum quos præmijs ſibi conciliauerat ſtipatus, tyranni-
dem occupat. Ita Syracuſani poſtquam à Thraſybuli eiectione per ſex-
aginta annos libertate potiti eſſent, in Dionyſij tyrannidem recide-
DIONYSII TYRANNIS. runt. Dionyſius anno tertio Olympiadis nonageſimæ tertiæ,vrbis
verò Romæ conditæ CCCXLVII. tyrannide ad hunc modum potitus,

primum

A primùm præcipuos quoſque Syracuſanorum qui eius ſe conciliis obie-
cerant,aut interficit,aut exilio multat. Hinc contra Carthaginenſes va-
ria fortuna bellum gerit, deinde & Syracuſanorũ pro libertate pugnan-
tium arma expertus, poſt varias tandem clades, tum acceptas, tum illa-
tas,eos ſibi parere compulit, rebuſq́ue tam domi, quàm in reliqua Sici-
lia conſtitutis,armiſq; in Italiam tranſlatis,Rheginos,Locrenſes,Caulo-
niatas atque alios Italiæ populos ſubegit, in quo tamen bello,præter
omnium expectationem,clementiſsimè ſe geſsit. Poſtquam autem per
annos duodequadraginta tyrannide potitus ne à ſacris quidem manus
abſtinens,etiam prætioſiſsima quæque deorum dona è templis rapuiſ-
B ſet,occupatam per ſcelus dominationem quaſi iuſtam ac legitimã,ada-
mantinis, vt ipſe iactabat vinculis colligatam hæreditatis locofilio ſuo
tradidit, qui luxu ac libidine diffluens , eandem euertit. Genus mortis DIONYSII MORS.
ab auctoribus variè traditur,quidam inſidijs ſuorum interfectum pro-
dunt, alij veneno interceptum, ſunt & qui ſubito gaudio enecatum ſcri-
bant. Interea Hanno Carthaginienſis ea mortis occaſione vſus,
præcipuam Siciliæ partem occupat: quumq́ue ingenti præda & rapinis
ditatus,Carthaginẽ redijſſet affectati regni condemnatus,corpore prius
varijs ſupplicijs lacerato mutilatoq́ue in crucem agitur. Dionyſio mor- DIONYSIVS II.
tuo filius eius Dionyſius natu maximus militum fide & opera vſus ty-
C rannidem occupat,pacem cum Carthaginienſibus facit,mox in omnis
libidinis genus,tum ſuperbiam & ſæuitiam proiectus, ciues etiam ſuos
omni contumeliarum genere vexare non deſtitit , donec victa tot tan-
tiſq; iniurijs ac cõuerſa in furorem ciuiũ patientia,eoſdem ad arma pro
libertate ſumẽda,ad frangendam ſuperbiam ipſius dominationem per-
pelleret. Primum itaque arctiſsima ipſum obſidione in Acradina pre-
munt. inde conantem erumpere,multa cæde cladeq́; affectum vrbe tan-
dem expellunt. Dionyſius Sicilia pulſus Locros calamitatis ſuæ etiam
tum ignaros, neq; ſiniſtri quicquã metuentes occupat. quumq́ue apud
eoſdem per ſexennium ſtupris, ebrietate,rapinis , turpiq́; dominationis
D licentia & ſacrilegijs deſæuijſſet per conſpirationem tandem Locrenſiũ
magna cum ignominia eijcitur : & à Syracuſanis id temporis per factio-
nes,& partium ſtudia inter ſe diſſentientibus iterũ admittitur. Ceterum
poſtquam ciuium in ſe animos officijs & humanitate tentaſſet,tãtus erat
tyrannidis metus,& ex metu odium,totus in barbarum & crudelem do-
minum degenerauit: vſqueadeo vt plurimi eius dominationem exoſi,
relicta patria externas ſibi ſedes quærentes,iuxta Cumerum promonto- ANCON SYRCVSANORVM COLONIA.
rium in littore maris Hadriatici Anconem coloniam cõdiderint. Dion
tamen qui virtute & eruditione inter familiares Dionyſij facilè præſta- DIO SYRACVSANVS.
bat,eundem ex affinitatis neceſsitudine ſapientiæ præceptis, & Platonis
contubernio

contubernio in mentem meliorem inducere conabatur. Verum purpu- A
rati postquam Dionem altius in regis animum penetrare tum ipsum
Dionysium Platonis consuetudine ad sapientiam proficere, se au-
tem vtpote turpitudinis tyrannicæ mancipia vilescere vident, apud
faciles nimium & pronas ad deteriora Dionysij aures, quia virtu-
tem & bonum alienũ oderat, Dioni inuidiam mouere cæperunt, simul
Philistum historicum ex Hadria vbi iussu Dionysij senioris exulabat
reuocatum æmulum Dioni atque ipsi Platoni inducunt. Is postquam
varijs artibus in familiaritatem atq; animum tyranni se insinuasset, grau-
em Dioni de litterarum cum Carthaginiensibus commercio suspitio-
nem per calumniam mouit. Hinc Dionysius vt erat ingenio ad susspi- B
tionem ac inuidiam prono, Dionem fratremque ipsius Megaclem insi-
dijs præoccupatos, ac Cymbæ impositos magna cum totius ciuitatis cõ-
sternatione in Peloponnesum mittit, atque ibi exulare iubet. Plato ubi
doctrinam suam Dionysij quoque auribus, iam alienatis grauem sensit,
sponte Athenas reuertitur. Ceterum Dio posteaquam multorum ani-
mos partim virtute, partim calamitatis suæ commiseratione sibi conci-
liasset patriæ liberandæ impetum sumit, & quum reditum per vim sibi
aperire statuisset, consilium Eudemo & Timonidi socijs detegit. Con-
scensis itaque nauibus ægrè per aduersas tempestates ad Minoam quæ
tunc Carthaginiensium imperio tenebatur, exscensionẽ faciunt: quum- C
que Paralius præsidij Carthaginiensium ibidem præfectus Dionem be-
nignè excepisset, oportunè nunciatur Dionysium in socordiam & igna-
uiam prolapsum, cum totis copijs iuxta Cauloniatas otiari. Dio itaque
oblata occasione se iciter vsurus mille militũ citato agmine secum ra-
pit, properanti vndique ex itinere à Gelensibus, Camarinæis, Agrigen-
tinis, cæterisque mediterraneis vrbibus auxilia, vt Syracusanos à tyran-
nide liberarent ad viginti millia peditum. Dionis auspicia omnes sequu-
ti, sese coniungunt. Cum primùm Dio cum exercitu in agro Syracusano
apparuisset, tota sese vrbs in eius amplexus, vt in libertatis assertorẽ, ob-
DIO SY- uiam effudit. eundemque paullo post cum magna omnium ordinum D
RACVSAS aggratulatione in Acradinam excipiunt. Dio accurata & ad tẽpus
OCCVPAT. accommodata oratione, ciues ad seruitutem in qua ab ignauo & volu-
ptatibus enerui tyranno oppressi iacerent excuriendam, capto nunc per
eius absentiam tempore hortatus, Epipolas à Timocrate Dionysij præ-
fecto desertas occupat: captiuos ibidem repertos liberat; delatorum tur-
bam Prosagogidas vocatos, quos Dionysius vbique vt rumores publi-
cos, ac liberos ciuium inter se questus explorarent, cætibus coronisque
colloquentium commiscuerat, vt tyrannidis ministros, & abiectissima
mancipia virgis cæsos, pelle insuper detracta trucidari iubet. Mox to-

ta vrbe

A ta vrbe potitus, arcem quæ in Insulæ angustijs valido præsidio instructa erat muro fortissimo, vt eruptionem & commeatum importandi potestatem arceret, vndique claudit. Dionysius interea apud Cauloniam de rebus à Dione gestis certior factus, cum octoginta nauium classe in Siciliam reuersus in arcem excipitur, inde pacis conditiones apud Dionem varia ad fallaciam arte vsus experitur, interim in Syracusanos spe pacis ociosos acerrimè erumpit. Dio autem fortiter & acriter tyranni impetum frangit, cæterum dum incautius procurrit dextro brachio saucius, Timonidem Leucadium sibi surrogat: ipse equo vectus per totam vbiq; aciem adparet, ac ciuium suorũ animos fiducia libertatis erectos vsque-
B adeo accendit, vt depulsi vndique qui eruperant Dionysij satellites profligarentur, contrucidatisque vsque ad octingẽtos, cetera turba in arcem sese recipere cogeretur. Interea Dionysius callidis consilijs, & adulterinis Hipparini Dionis filij litteris, quibus patrem affectati, si Dionysium expellerer, regni insimulare videbatur, siniſtrã Syracusanis de Dione suspitionem injcere moliebatur, tantumque ea fraude profecit, vt Heraclides collega Dioni daretur, & classis maritimæ in Dionis contumeliam præfectus designaretur. Ceterum Dio quamuis magnam ciuium à se alienationem partiumque studia inualescere ob eam Dionysij prauitatem animaduerteret, priuata tamen sese vlciscẽdi occasione ob patriæ amorẽ
C neglecta contemptaq; iniuria cum populo & ipso Heraclide in gratiam redijt. Philistus interea classis Dionysianæ præfectus Syracusas appulit. ac dum Leontinos qui à Dionysio defecerãt subita & inopinata vi intercipere conatur fortiter repulsus ad naualem sese pugnam contra Heraclidem comparat. cumque & Syracusani non mediocrem apparatum in procinctu haberent, concurritur. Philistus aliquandiu victor, tandem Syracusanorum virtute superatus, vnà cũ triremi fugiẽs, vt sese à captiuitatis ludibrio vindicaret, manu sua vsus mortem sibi conscisse proditur. Non desunt tamen qui tradant, posteaquam Syracusani omni crudelitatis exemplo in eundem captiuum sæuijssent, obtruncari cadauer
D vnco per Acradinam tractum ac insepultũ in latrinas proiectum fuisse. Philistum vt acrem & diligentem virum antiquitas commendat. eundem vt tyrannidis satellitem vituperat. Dionysium namque seniorem propinquitate contingebat, quumque familiarius & solutius cum matre tyranni, quàm regiam domum deceret versatus, accusaretur, Dionysij crudelitatem metuens Hadriam in exilium concesit, atque ibi otium nactus duodecim de Siciliæ rebus libros tum & de rebus sua & superiori etiam ætate in Assiria AEgypto, & Lybia gestis aliquot volumina, vt Thucidide multo inferiorem, ita aliquanto iucundiorem conscripsisse testatum est: ab exilio à Dionysio iuniore purpuratorum suorũ con-

 silio

filio reuocatus, quod iam meminimus, ab eodem in dominationis so- A
cietatem receptus, eiuſdemque propugnator fuit, donec eo quem iam re-
DIONYSI VS E SICILIA FVGIT. tulimus exitu tam calamitoſo vitam finiret. Dionyſius vt erat in rebus
aduerſis animo proiectus, tanta ſuorum clade, tum & ipſius Philiſti cala-
mitate fractus, quum nulla ipſi à Dione ſpes pacis, niſi libertatem Syra-
cuſanis arce demolita redderet, & ciuibus ſtatuendi de ſe poteſtatem per-
mitteret, oſtenderetur: rebus deſperatis Apollocratem filiũ arci præſidio
reliquit: ipſe noctu vt Heraclidis ſtationem euaderet elapſus ad Locros
profugit. Dionis autem probitas & æquitas apud ciues iam licentia cor-
ruptos, & factionum partiumque ſtudijs flagrantes ſuſpitionẽ & odium
pro gratia pepererat, nonnullis ad Heraclidem propenſioribus, alijs agra- B
riam ex Gyarte tyrannorũ agro legem vt viritim plebi diuideretur po-
ſtulantibus, quorum poſtulatis vt iniquis cum Dion obſiſteret, Heracli-
dem cum quattuor & viginti ex plebeijs neglecto Dione vt magiſtratũ
adminiſtrarent, creant. Dion ciuium ſuorum ingratitudinem execratus,
vnà cum tribus millibus ſtipendiariorum quos ſecum è Peloponneſo
adduxerat, in Leontinos ſeceſſurus, bis à Syracuſanorum incurſu dum
iter facit laceſsitus, poſtquam eoſdem acerrimè repuliſſet à Leontinis
benignè exceptus, & omni officiorum genere affectus iure inſuper hoſ-
pitalitatis vnà cũ militibus donatus eſt. Sub hæc dum populus Syracuſa-
nus eiecto Dione tãquam victo triumpharet, acculatoribuſque; ipſius C
honores & magiſtratus daret, ac licentiæ dulcedine emollitus inſoleſce-
ret, Nypſius cum magna claſſe miſſus à Dionyſio vt in arce obſeſſos cõ-
meatu & Annona recrearet, ad Arethuſam exſcenſionem facit. Syracu-
ſani in claſſem Nypſij irruunt, nauium alias profligant alias deprimunt,
capiunt quattuor. Ob eam victoriam ciuibus in læticiam & conuiuia
inſolentius effuſis, Nypſius ea vſus oportunitate, captoque; tempore Sy-
racuſanos vino ſomnoque ſepultos noctu opprimit, forum occupat,
ſtertentes trucidat, omnemque; in victos crudelitatem exercens, vrbemque;
ipſam ferro & igne vaſtat. Populus tam inopinata clade conſternatus
trepidare, tumultuari, Dionis virtutem & opem implorare; Dio victus D
ſuorum precibus & lacrimis (vt erat natura clemẽtiſsimus) citato agmi-
ne à Leontinis profectus, quum per Hecatonpedon irrupiſſet, Diony-
ſianos ex Acradina expellit: quattuor millia ex ipſis trucidat: atque ita
cladem quam Syracuſanis prius intulerat eiſdem reponit. Nypſium
cum reliquis copijs profligatum in arcem compellit. Incendia quibus
longè lateque ea vrbis pars deflagrabat per milites ſuos coerceri iu-
bet, denique inducta præteritorum obliuione, inimicitias & iniuriam
populo & factioſis Heraclidi quoque & cæteris in gratiam Reipublicæ
condonat: quo beneficio omnium ſimul ſuffragijs & acclamatione,

SERVA-

A SERVATOR PATRIÆ ſalutatus eſt. Ceterum quum plebs iterum inſurgens agrum Gyartem viritim diuidendum ex plebiſcito poſceret, Dio auctoritate ſua interceſsit: at Heraclides, & alij aliquot populares, vt Dioni iterum odium ac inuidiam conflarent, diuerſa factione agrum populo publicandum contendebant. Dio itaque per factiones iterum vrbe eijcitur. Heraclides autem expulſo antea Dionyſio, & nunc Dione eiecto veluti in Republica magiſtratu orbata, dum plebem per cõuiuia & largitiones, atque omne genus licentiæ indulgentius haberet dominationem occupare ſtudebat, donec Gæſylus Lacedæmonius, quem Spartani cum claſſe miſerant, vt Syracuſanorum libertatem contra ty-
B rannos propugnaret, ſuperueniſſet, nam quum ille ad Dionis partes inclinaret, deterritus eiuſdem potentia Heraclides, cum Dione in ſocietatem & gratiam redijt. Hi tres ſimul duces copijs coniunctis Apollocratem arctiſsima obſidione arci incluſum, tandem ad ſummam commeatuum inopiam redactum ad deditionem ea lege coëgerunt, vt ipſe liber quò vellet extra Siciliam cum ſororibus, triremibus quindecim regia gaza onuſtis nauigare poſſet. Apollocrates itaque Locros verſus ad patrem vela facit. Verum parta iterũ libertate Heraclides priori adhuc in Dionem inuidia flagrans perniciem eidem & interitum moliri haud prius deſtitit, quàm ipſe ciuium conſpiratione & ſeditione oppreſ-
C ſus occideretur. Eo mortuo Dio liberius iam imperio ac poteſtate vtẽs, dum Rempublicam frequenti tyrannorum dominatione, & turbulentis ciuium diſcordijs toties labefactatam legibus & legittimo magiſtratu inſtaurare, & conſtituere conatur: tumultuoſis Calippi Atheniẽſis concionibus, quibus imperitam plebẽ quò vellet impellebat, rurſus in affectatæ tyrannidis ſuſpitionem, ac nouum odium præcipitatus eſt, ac tandem eiuſdem Callippi & Lyconis Syracuſani coniuratione, anno quãrto poſt reſtitutam ciuibus ſuis libertatẽ annos, tum natus quinquaginta quinque domi à ſuis oppreſſus conſoditur. Cæſo Dione Callippus mox tyrannidem veluti parricidij ſui præmium inuadit. qui dum in
D Catanenſes, quòd ipſius imperium detrectarent, mouet, Syracuſani cõſpiratione facta, eiectoque Callippi præſidio à tyrannide ſe denuo liberauit. Callippus autem Catana in poteſtatem redacta, cum & Meſſanã adortus aliqua ex parte occupaſſet, tentatis fruſtra Syracuſanorum animis (apud quos Hipparinus Dionis filius iam in patris imperiũ populi ſuffragijs ſucceſſerat) deſtitutuſque à ſuis & deſertus, Rhegium traiecto freto occupat: ibi quum propter inopiã ſtipendia militibus perſoluere non poſſet, à Leptino & Polyſpherchonte per ſeditionem eodem quo Dionem pugione percuſſerat, confoſſus, Dionis innoxij manibus parentare viſus eſt. Hipparinus quum per biennium ferè Rempublicam

GAESTYLVS SPARTANVS.

CALLIPPVS ATHENIENSIS.

HIPPARINVS DIONIS F.

NISAEVS. adminiſtraſſet,à Niſæo Dionyſij fratre imperio deijcitur. Niſæus ad A
hunc modum principatū adeptus,in luxum & libidinem effuſus, dum
populo licentiam & factionum ſtudia indulget, tabeſcente malis inte-
rioribus Republica,facilè eadem Dioniſij,qui iam decennium exulaue-
DIONYSI- VS RESTI TVTVS. rat,armis rurſus occupata eſt. Ceterum quum Dionyſius tot antea cla-
dibus fractus,tum & ciuium in ſe tanquam viliſsimum mancipium cō-
tumelijs exaſperatus,ciuitati grauior indies crudeliorq; immineret,op-
timates cæteriq́ue quorum vel corpora vel opes tyranno ad rapiendi &
ICETAS LEONTI- NORVM TYRAN- NVS. violandi libidinē obnoxia eſſe potuiſſent,ad Icetam Syracuſanum,qui
apud Leontinos imperium occupauerat: ſeſe contulerunt,ſupplicātes,
vt patriæ tot calamitatibus feſſæ & in exitium præcipiti lumen animi in- B
genijq́ue ſui oſtenderet. Accedebat ad hæc quoque mala,quòd Syracu-
ſani tot miſerijs oppreſsi, nihil à ſocijs auxilij ſperare poterant. Sicilia
enim per id tempus, partim tyrannorum domeſticorum, partim Puni-
corū imperio armiſq; occupata pridē ſeruiebat Præterea Hanno Cartha-
ginenſis cum centum quinquaginta triremibus, & quinquaginta millibus
peditum,vt vrbem obſidione premeret, non longè à Syracuſis ex-
ſcenſionem fecerat. Legatos itaq; Syracuſani ad Corinthios tum opi-
bus & potentia florentes,veluti ad cognatos & propinquos mittunt, qui
miſeris & afflictis ciuibus auxilium tum contra tyrannum, tum adue-
ſus Pœnorum violentiam iure neceſsitudinis peterent. Corinthij le- C
gatione audita Syracuſanos non eſſe deſerendos decernunt,ducem belli
TIMO- LEON CO- RINTHVS. Timoleontem,vt rei militaris peritia nobilem ita & alijs bonis artibus
inſtructum, qui ſupplicibus opem ferat, deſignant. Interea Icetes ſuæ
libidini ſubſeruiturus in ſpeciem quidem pro ciuium libertate arma ſe
ſumpſiſſe ſimulans, reuera autem tyrannidem affectans,vt Dionyſium
facilius depelleret ſocietatem cum Carthaginenſibus clandeſtinam coi-
uit. Obſtabat tamen tam fraudulentis cōſilijs,quòd intelligeret Timo-
leontem vnicum tyrannidis hoſtem & euerſorem,miſſum à Corinthijs
vt Syracuſas à calamitate & ſeruitute vindicaret, eumq́ue iam tum vela
facere,& in Siciliam breui appulſurum. Quare vt fortunam interim D
tentaret,vallo iuxta Olympicum excitato,caſtriſq́ue munitis, quò ma-
gis id quod in animo haberet diſsimularet, Dionyſium terra mariq́; ob-
ſidione premere cæpit. Ceterum quum firmiſsimis vndique præſidijs
munita ſtrenuè aliquamdiu defenderetur: Icetas commeatu deſtitutus
obſidionem ſoluere coactus, copias ſuas Leontinum verſus deducit.
Dionyſius tanquam in profligatos irruens extremum agmen vrgere,
fugientes premere,& carpere. Icetes itaque cum à perſequentibus laceſ-
ſeretur,conuerſis ſignis,magno & acri prælio cum Dionyſianis congreſ-
ſus vicit: tribuſq́ue hoſtium millibus contrucidatis, reliquam aciem ir-

ruptione

A ruptione diſsipat,ac dum fugientium tergis inhæret,vnà cum ipſis in vrbem impetu facto irruit,fælicique & inſperato ſucceſſu Acradinam,Tycham,& Neapolim inuadit, tyrannum arci & inſulæ incluſum munitionibus circundat. Dum hæc ab Iceta Syracuſis geruntur, Timoleon in Tauromenitano portu ab Andromacho Timæi hiſtorici patre vnà cum copijs vt ſeſe à nauſea recrearent,& belli conſilia conciperent, benigniſsimè exceptus exſcenſionem facit. Annus tunc agebatur Olympiadis Octauæ & centeſimæ quartus, quo Romæ Conſulatum M. Fabius Durſo, Ser. Sulpitius Camerinus inierant. Quum lux aliqua libertatis recuperandæ Syracuſanis affulgere cæpit, tum quod intel-

TIMOLEONTIS IN SICILIAM ADVENTVS.

B ligerent Timoleontem ſtatim à ſuo in Siciliam aduentu Adranitas ab iniuria & violentia Icetæ,qui armis ipſorum libertatem impetebat aſſeruiſſe: Tyndaritanos autē depulſo ipſorum tyranno liberos eſſe iuſsiſſe, rurſus Tauromenitanos auctore Andromacho cum ipſo ſocietatem inijſſe: denique tota paſsim Sicilia bonos vndique ciues,in quibus ſi iuſtum imperium fuiſſet ſumma fides eſſe debuerat,nunc in tyrannorum exitium cum Timoleonte conſpiraſſe. Ceterum vt Timoleon non ſolum ciuibus diſcordia ciuili feſsis,ſed & ſub externa etiam dominatione laborantibus tempeſtiuè auxilium præſtaret, copijs vndiq; tam à ſocijs quàm è ſuo milite coactis,incredibili celeritate etiam vt ipſos hoſtes fal-

C leret, Syracuſas contendit,& Tycham nullo ferè labore occupat. Hunc tam fælicem vel in primo conatu ſucceſſum,ſequitur,vt ferè ſolet, omnium ordinum fauor. Mamercus namque Catanæ tyrannus, qui opibus & militari prudētia florebat,Timoleontis virtutē admiratus, ipſius exercitum ſupplemento ſtipendio & commeatu iuuit. Interea & altera claſsis è Corintho cum decem militum millibus Timoleontis imperiū ſequutura appellit. Dionyſius autem tanto rerum ſucceſſu exterritus, non auſus vltra dubium Martis exercitum experiri,leges pacis à Timoleonte oblatas in hanc conditionem accepit,vt arce cum præſidio dedita,ipſe cum eo quem haberet theſauro,Corinthum in perpetuum exi-

MAMERCVS CATANAE TYRANNVS.

DIONYSIVS CORINTHVM RELEGATVS.

D lium ſecederet. Ita Timoleon quinquageſimo poſteaquam in Siciliā appulerat die tantæ potentiæ tyrānum omnibus antea formidabilē fregit. Arcem veluti tam ſuperbæ dominationis propugnaculum ,mpoſito quadringentorum præſidio in Corinthiorum poteſtate retinuit. Corinthij vbi Dionyſium veluti miſerabile & pudēdum fortunæ mancipium non ſine contumelia & ludibrio excepiſſent, Timoleonti, vti victoriam proſequeretur,in ſupplementum duo millia peditum & ducentos equites in Siciliam tranſmittunt. Icetes interea qui virtute Timoleontis è Tycha depulſus Acradinam & Neapolim tenebat, arcē quæ Corinthiorum præſidio tenebatur,Carthaginenſium opibus adiutus

terra mariq́ue oppugnare aggreditur. Ceterum quum obſeſsis per Timoleontem commeatum ex Catana ſubuehi per exploratores didiciſſet, placuit Catanenſes ſubita vi & ex improuiſo citato agmine, & coniunctis copijs opprimere. Interea Neo præſidij in arce præfectus de hoſtium profectione certior factus in eorum qui Acradinam tenebant, ſtationes irruens proſtratis profligatiſq́ue defenſoribus, eam quoque vrbis partem in Corinthiorum poteſtatē redegit, occupatamq́; & commeatu & armis inſtructam muro & præſidio muniuit. Icetes clade ſuorum intellecta, Catanam relinquere coactus Syracuſas cum copijs & Carthaginenſium auxilijs reuertitur, quumq́ue præter Neapolim nulla vrbis pars quām armis tueri poſſet eidem reliqua eſſet, eam quoque Timoleon magna vi & cōtentione, ac triplici agmine aggreſſus expugnat. Icetamq́; fuga elapſum vitæ ſuæ & fortunis apud Leontinos breui temporis ſpacio permiſit. Ad hunc modum Timoleon tota Syracuſarum vrbe potitus, arcem vtpote tyrannidis propugnaculum ſimul vt præteritarum calamitatum obliuionem ciuibus induceret, præterea magnifica & ſuperba tyrannorum præter vnius Gelonis, ſepulchra, in aſſertæ ab ipſo libertatis monumentum demoliri, & ipſorum ciuium oppreſſorum manibus funditus euerti iuſsit. Ceterum vt Syracuſas tot fortunæ ſemper variantis conuerſionibus, ac frequenti continuaq́ue tyrannorū crudelitate laceratas & ferè deſertas recrearet, ciuiū decem millibus qui per Aſiam & Græciam vt ſuæ libertati conſulerent ſparſi vagabantur vel agebant reuocatis, ad hæc conſcriptis ex Italia ſexaginta millibus colonorum, eoſdem ad frequentandam vrbem honeſtis conditionibus & legibus euocauit. Inde ad reliquas Siciliæ ciuitates à tyrannide liberandas conuerſus, Leptinem tyrannum ab Engio & Apollonia ciuibus libertate donatis expulit. & poſtquam virtute bellica alias complures à ſeruitute aſſeruiſſet, quum Rempublicam Syracuſanam interiore quoq; malo legum multitudine & factionū ſtudijs laborare obſeruaret, etiam ad corrigendos ciuitatis mores animum adiecit. Quamuis enim legum quamplurimos in maleficos ex delicto rectè à Diocle latas animaduerteret frequenti tamen ordinum inter ſe diſſentione, plæraſq́ue vel honores illicitos adipiſcendi ſtudio, vel bonos viros expellendi cauſſa, per vim & inuidiam rogatas fuiſſe reperit. Leges igitur quæ de rerum priuatarum iudicijs à Diocle olim conſcriptæ erant, eas ita ratas eſſe iuſsit. Ceterum Reipublicæ ſtatum in popularem conuertit, concilium è Senatoribus domeſticum conſtituit: annuum adhæc magiſtratum qui populi ſuffragijs crearetur, à cuius nomine annis deinceps vt apud Athenienſes ab Archonte, apud Romanos à Conſulibus, ita & apud Syracuſanos ab Amphipolo, nomina darentur. Atque vt is quoq; magiſtratus religione aliqua

SYRACVSAE TYRANNIDE LIBERATAE.

A aliqua,& numinis maieſtate honorem & auctoritatem tueretur, Ἀμφιπολία Διὸς ὀλυμπίου quaſi dicas Iouis olympij famulatus ſiue miniſterium appellatus eſt. Primuſque enim magiſtratum cepit Callimenes: atque ab eo per annos trecentos eam dignitatem apud Syracuſanos perduraſſe,donec in Romanorum poteſtatem Reſpublica concederet, auctores tradunt. Quumque in vrbe delitijs affluente etiam luxu & libidine laboraretur, leges ſumtuarias inſtituit, ſanxit quoq; ne mulieres auro ornarẽtur, neue veſtes verſicolores aut purpura prætextas ornatus gratia haberent, alioquin vt improbas & meretrices eſſe traducendas: quod ſi vir aliquis eodem ornatu effeminaretur, eundem vt mollem & adulte-
B rum aut alias impudicum legibus puniẽdum eſſe. Atque vt mulierum quoque pudicitiæ conſuleret,ſanxit,ſi quæ poſt ſolis occaſum in publico deprehenderetur eandẽ pro proſtituta habendam,aut tanquam adulteram legibus obnoxiam fore. eodem iudicio teneri eam quæ interdiu non comitata curatore ſuo, aut pediſſequa prodiret. Adhunc modum vrbe, rebuſque vrbanis conſtitutis, nunciatur Annibalem & Bomilcarem Carthaginenſium duces cum ſeptuaginta millium exercitu;
C claſſe ducentarum triremium & onerarijs nauibus mille, omni armorum genere & commeatu inſtructiſsimis, vt Siciliam & potiſsimum Syracuſas in poteſtatem redigerent ad Lilybæum exſcenſionem feciſſe. Timoleon quò tantam belli molem ſuſtinere poſſet, cum Iceta Leontinorum tyrãno ſocietate inita pacem facit, atq; vt omnẽ molem in Carthaginenſium ſociorumq; agros transferret coactis duodecim militum millibus Lilybæum verſus mouere cæpit, dimiſſiſque cum Thraſio homine factioſo & improbo mille è militibus contumaciam Thraſij ſecutis, reliquos præteritarum cõtra Pœnos ipſoſque tyrannos victoriarum memoria confirmatos itinere inſtituto ad Crimiſum ducit, atque ibi in colle ſatis edito vnde Carthaginẽſes deſpicere poſſet,caſtra metatus ſubſtitit. Quumque eò loci iumenta aliquot apium geſtantia militibus occurriſſent, idque pro oſtento ab eiſdem vt inauſpicato & funeſto ſuſpi-
D tioſius acciperetur, quod ſepulchra mortuorum apud Corinthios apio coronarentur; Timoleon ſuos ea re animo deiectiores cernens, verſo in contrarium omine tanquam dextro & felici eoſdem in ſpem mentemq; meliorem erigit; victoriæ præſagium illud interpretatur quod in Iſthmijs apud Corinthios victores corona ex apio donari ſolerent. mox ipſe certatimque poſtea omnes velut omen confirmaturi coronam ex apio cõtextam tanquam certa victoriæ ſpe præcepta capiti circundant,atque ita coronati magno impetu in hoſtes qui Crimiſum ſuperare cæperant digreſsi, eoſdem perturbatos profligant, & fuga dilapſos perſequuntur. Interea reliquus Carthaginenſium exercitus in citeriorem ſeſe fluminis ripam

ΑΜΦΙΠΟΛΙΑ ΔΙΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΥ.

BELLVM CVM CARTHAGINIENSIBVS ALTERVM.

ripam colligens,aciem in Græcos conuertit, eoſdemque occurrentes vt numero inferiores, ita dubio Marte aliquamdiu fatigare non deſtitit: quum imber procelloſus ſubito coortus turbinum,grandinum,fulgurumque impetu terribilis, aduerſa Pœnorum ora verberare, Græcos à tergo vi quoque ſua impellere & incitare mox inflatus nimborũ & torrentium multitudine Crimiſus Pœnorum veſtigia inundatione fallere, lubricitate percellere, ordines aciemque tot ſimul malis circumuentam diſſoluere. hoſtes tanta cæli iniuria conſternati, tum Græcorum alacritate & pertinacia perterriti vincũtur.fugientibus plus pugnæ & certaminis cũ aquis,& inflati ex pluuia vltra crepidines fluminis vorticibus fuit, quàm ab hoſte diſcriminis & periculi: quamuis enim victores eos vndique vrgerent,calones tamen cæterique qui impedimentis præerant militum officia fugiendo turbabant. Fuit ea Timoleontis victoria, quum ob hoſtium quos deuicit multitudinem,tum ob ſuorum qui pugnauerant paucitatem illuſtris, ſpoliorum quoque & prædæ magnitudine incredibilis, quadrigæ enim ducentæ, mille thoraces precio atque artificio ſpectabiles,decem clypeorum millia quorum multa in victoriæ monumentum Syracuſis in templis Deorum conſecrata & dedicata fuêre, capta ſunt. Pœnorum decem millibus cæſis, quindecim millia in Corinthiorum poteſtatem venére.auri præterea & argẽti tum facti,tum ſignati maxima copia,militibus in virtutis & operæ fortiter nauatæ præmium diſtributa eſt. Ipſe autem Timoleon victor, liberata iam à Pœnorum ſeruitute Sicilia,Syracuſas cum exercitu ingreſſus fauſtisque ciuium acclamationibus exceptus, primũ de Thraſio ſeditionis, vt meminimus, auctore ſupplicium ſumſit,illis verò qui ad mille vſque Thraſij defectionem ſequuti fuerant vti extra Siciliam exſulatum irent imperauit qui quum traiecto freto in agrum Bruttiorum irrupiſſent, ab ijſdem trucidati ſunt.

BELLVM CVM ICETA ET MAMERCO.

Icetas & Mamercus tantis Timoleontis ſucceſsibus inuidentes,eiuſque potentiam veriti belli ſocietatem & auxilia Carthaginenſibus offerentes monent, ne priori clade deterriti animis obtorpeſcant:ſed in ſpem meliorem erectos bellum reparare: poſſe nouo exercitu priores offenſiones caſtigari. Sin autẽ per deſidiam & ignauiam quieti ab armis deinceps abſtineant, non ſolum Sicilia ipſis cedendum, ſed & in ipſa Africa omnia mox Græcorum armis arſura, ipſamque imperij ſedem Carthaginem in diſcrimen venturam. Carthaginenſes perſuaſi nouas conſcribunt copias, claſſem & apparatum naualem inſtruunt, ijs omnibus Giſconem Annonis filium ab exilio reuocatum præficiunt. Is quum in Siciliam appuliſſet copias cum Iceta coniungit, conſilia cõmunicat, Meſſanam oppugnatione capit, & trecentos Græcorum præſidiarios trucidat. Timoleon audita ſuorum clade, quum Icetas etiam

Syracu-

A Syracuſanorum agros incurſionibus infeſtaſſet: eundem traiecto freto, in Italia ferro ignique graſſantem, ad Damyram Calabriæ fluuium cito agmine aſſequutus, quum ancipiti aliquandiu prælio neutro victoria inclinaret, ipſe cum prætoria cohorte in Pœnos inuectus, mille eo amplius in prælio cæſis, reliquam aciẽ perturbat, ac tandem profligat ipſum Icetam Leontinum verſus fugientem perſequitur, atque oppidi mœnibus ſeſe includentem arctiſsima obſidione preſſum expugnat, ac viuum cum filio Eupolemo in poteſtatem redactum populique iudicio condemnatum (quia Areten Dionis vxorem Ariſtomachenq; eius ſororem impuberem viuas merſerat: tum ipſi Timoleonti ſacrificanti percuſſo-
B res immiſerat) ſupplicio afficit. Mox & Mamercum Siciliæ turbatorem aggreſſus, graui ad Symęthum flumen prælio fuſum, copijsque nudatũ ab inſula expellit. Catanam ſeſe victoris arbitrio permittentem libertati aſſeruit. Mamercus à ſuis deſertus & à Lucanis ob fortunæ mutationem contemtus, ab Hippone Pœno, qui Meſſanæ præſidio præfectus erat, excipitur. Verùm Timoleon ſubitò accurrens, eos, ne elabi poſſent, arctiſsima obſidione preſſos in poteſtatem redigit. Hipponem dum fuga ſalutem quærit, milites interceptum & in vrbem retractum & malè prius multatum, vnà cum liberis trucidãt. Mamercus rebus iam deſperatis hac cõdicione ſeſe Timoleonti dedidit; vt ipſo nõ accuſante cauſ-
C ſam apud Syracuſanos dicturus, ciuibus de ſe ſtatuendi iudicium permitteret. Timoleon itaque conceptis verbis iurauit ſe nõ accuſaturum Mamercum; ea lege Mamercus Syracuſas in concionem producitur; quumque orationem præmeditatam pronunciaturus eſſet, ſibilis, & aduerſo populi clamore exploditur. Ceterum Timoleon Syracuſanis auctor fuit, vt eum qui multos circumſcripſerat, ſuis iam artibus circumuentum, ſupplicio afficerent: populi itaque iudicio condemnatus, tanquam prædo ac latro ſupplicio ex legibus affectus eſt. Carthaginẽſes tam ſecundis Timoleontis ſucceſsibus obſtupefacti, verebantur ne pacatis iam Siciliæ rebus, in ipſorum agros & imperium totã belli vim
D conuerteret. pacem itaq; per legatos petunt: quam Timoleon in has leges dedit: vt Pœni vrbibus Græcis, quas in Sicilia occuparant, libertatem concederent: vt Lycus fluuius (qui ad Heracleam vrbem in Ionium mare oſtio ſeſe exonerat) imperij ipſorum in Sicilia terminus eſſet: ne tyrannos vel profugos reciperent; aut ſocietate iuuarent, eos verò qui ex Carthaginenſium prouincia fortunas ſuas ad Græcorum vrbes tranſferre vellent, ne impedirent. Facto cum Pœnis in hæc capita fœdere Timoleon reliquas Siciliæ vrbes dominatione oppreſſas, expulſis fractisq; tyrannis liberare, infrequentes aut deſertas nouis colonis frequentare inſtituit. Campanos itaq; qui Ennam aliquamdiu preſſerant victos tru-

PAX CVM POENIS.

cidari iuſsit; Ennenſibus autem vt ſuis legibus vterentur permiſit. Nicodemum Centuripinorum tyrannum libertatem ſuis dare coëgit; & eodem victoriæ impetu vſus Apollonia dem quoque Agyræ dominum tyrannide exuit. Agrigentum & Gelam vrbes punicis bellis deformatas aut vaſtatas, nouis ex Græcia colonis, quos omni officiorum genere proſequutus eſt, frequentari iuſsit. Dionyſio iam è Sicilia depulſo, Iceta & Mamerco legibus punito, quum ea eſſet Timoleõtis potentia, vt vel inuitis Siculis imperare potuiſſet; omniumq; animos ſibi ita demeruiſſet, vt nemine recuſante regnũ facile obtineret; diligi ſe tamen quàm metui maluit. Quumprimum itaque potuit, imperium depoſuit; & priuatus quod vitæ reliquum fuit, Syracuſis egit. Quodque ceteri reges vix tandem iuſto imperio obtinuerunt; hoc iſte ciuium beneuolentia aſſequutus eſt: ita vt nihil Syracuſis publicè geſtum, actum, aut decretum ſit, de quo non prius Timoleontis ſententiam requirerẽt. Iam natu grandior primum acie oculorum obtuſiori vſus, poſtea omnino viſu orbatus eſt. Quam calamitatem ita moderatè tulit, vt neque eum querentem quiſquam audierit; neque eam ob cauſſam vel à publicarum vel à priuatarum rerum cura abſtinuerit, tantæq; modeſtiæ fuiſſe ab auctoribus proditum eſt, vt quum ſuas laudes etſi veras prædicari, & glorioſius efferri audiret, nihil aliud reſponderit, quàm ſe Dijs maximam habere gratiam, quòd quum Siciliæ libertatem fato deſtinaſſent, ſe potiſsimum duce ad eam aſſerendam vti voluiſſent. Domi itaque ſuæ Αυτοματίας ſiue fortuiti caſus ſacellum, euitandæ arrogantiæ gratia, & vt ſine Deorum numine nihil rerum humanarũ geri teſtaretur exſtruxit. Pro quibus meritis quantum dilectus fuerit, non facile eſt, eſtimare; Patris Patriæ cognomentum vniuerſi repentino maximoq; conſenſu eidem detulerunt. Quumque annis octo poſt reſtitutam Siciliæ libertatẽ felici in ſenio peregiſſet, ſenſim morbo conſumtus cum totius Siciliæ luctu exſpirauit. Syracuſani funere ipſius per planitiem demolitæ arcis, quaſi per ipſa tyrannidis euerſæ veſtigia ducto, ducentis in ſumtus funeris & ſepulturæ minis collatis magnificentiſsimè ipſum ſepelierunt: addito hoc elogio: Placere populo Syracuſano Timoleontem quotannis honoribus ornandum, quod barbaris bello deuictis, tyrãnis depulſis, & maximis Græciæ vrbibus reſtitutis & frequẽtatis, omnibus auctor libertatis fuiſſet. Hinc conſtitutum fuit, vt ſepulchrum ipſius in perpetuũ certaminibus muſicis & gymnicis, exſtructo in id gymnaſio, quod Timoleonteion vocarunt, quotannis celebraretur. Mortuo Timoleonte res Syracuſana in pace & otio per annos viginti in maximam ſeſe amplitudinem diffudit; donec propria magnitudine laborans, & diſcordijs iterum ciuilibus feſſa, dum vim metuit externam in domeſticam ſeruitutem

SICILIA LIBERTATI ASSERTA.

TIMOLEON MORITVR.

A B C D

A tutē ab Agathocle oppreſſa prolaberetur. Agathocles ſordido & humi- AGA-
li genere, patre Carcino figulo ortus, ad regni maieſtatem obrepſit, vir THOCLES
vt omni vitiorum genere infamis; ita manu ſtrennuus; in concionibus REX.
militari facundia eminebat. bis Syracuſarum imperium occupare conatus, bis in exſilium actus eſt. A Murgantinis apud quos exſulabat, odio Syracuſanorum primò prætor, inde Dux creatus, Syracuſas obſidere aggreſſus eſt; Amilcare Pœnorum Duce in ſocietatem pertracto. Ceterum quū videret vrbē validius propugnari, quā oppugnari, arte & dolo experiri inſtituit, Amilcari qui gratia & auctoritate apud proceres Syracuſanorū valebat, pacis arbitriū inter ſe & Syracuſanos permittit: eundē
B magnis, ſed vanis promiſsis implet. Amilcar occaſione, qua ſibi Agathoclem demereretur, ad potentiæ ſuæ incrementum vtendum ratus, non tantum pacem ipſi impetrat, ſed inſuper Prætorem Syracuſanum conſtituit. Agathocles autem vt tyrannidem ſuam cruentis initijs auſpicaretur, acceptis ab Amilcare quinq; Pœnorum millibus, potentiſsimum quemque è proceribus trucidat; ne quid ipſius conatibus obſiſtere poſſent. Mox veluti reipublicæ ſtatum factionibus irrequietum ordinaturus, populum in Theatrum ad concionem conuocat; Senatum verò in Timoleonteion indicit. Rebus ita ad inſidiarum opportunitatem cōpoſitis, populum immiſsis ſubito militibus obſidet; Senatum obtrun-
C cat. Peracta Senatus cæde, ſtatim & locupletiſsimos quoſq;, & audaciſſimos è populo & plebe interficit: ita vt per biduum, tanquam in vrbe capta, ferro, rapinis, & libidine in miſeros ciues ſæuiret: cæſorum numerus ſupra decem, fuga elapſorū ad ſex millia fuêre. His rebus tanta crudelitate in vrbe perpetratis, innumeriſq; rapinis ditatus militem legit: exercituq; inſtructus finitimas ciuitates nihil hoſtile metuentes ex improuiſo occupat: ipſos quoq; Pœnorum ſocios permittente Amilcare fœdis iniurijs vexat; qui tot malis miſerijſq; afflictati, legatos Carthaginē mittunt; qui Senatum de Agathoclis vt tyranni, de Amilcaris vt ſociorum proditoris audacia, ſcelere atque ſuperbia docerent. Senatus autem
D quanquam iuſtis in Amilcarem querelis incenſus, quia tamen cum imperio erat, tacita de eodem capitis ſuffragia tulerunt; & ſententias priuſquam recitarentur, in vrnam coniectas obſignari iuſſerunt, donec alter Amilcar, qui Giſconis filius erat, è Sicilia reuocaretur. Sed tam callida in Amilcarem inaudita Pœnorum conſilia, mors eiuſdem præuenit. Ea res Agathocli belli occaſionem aduerſus Pœnos dedit. Prima igitur illi cum Amilcare Giſconis filio ad Ecnomum, quod Gelæ ciuitati vicinū erat præſidium, prælij congreſsio fuit; à quo victus, maiori mole bellum reparaturus, Syracuſas contendit: ſed eadem ſecundi certaminis fortuna quæ & prioris fuit. Quū itaq; Pœni victores Syracuſas obſidione cinxi-

BELLVM AGATHOCLIS CVM CARTHAGINIENSIBVS.

ſſent, Agathocles verò ſe nec viribus parem, neq; ad obſidionem ferendam ſatis inſtructum, ad hæc à ſocijs quos nimia crudelitate alienauerat, ſe deſertum videret: ſtatuit bellum in Africam transferre. Huius conſilij non minus admirabile commentum, quàm ſilentium fuit, populo hoc ſolum profeſſus ſe victoriæ viam inueniſſe, durarent tantum in breuem obſidionis patientiam: vel ſi quibus præſens rerum ſtatus diſpliceret, permittere ſe ijs liberam abeundi quò vellent poteſtatem. mille ſexcenti diſceſſerũt: cæteros poſtquam ad obſidionis neceſsitatem frumento & ſtipendio inſtruxiſſet, quinquaginta tantum talenta ſecum ad præſentem vſum confert: cetera ex hoſte melius quàm à ſocijs paraturus. Seruos omnes qui militaris ætatis eſſent, libertate donatos ſacramento adegit, eoſq́ue cum reliquis copijs naues conſcendere iuſsit. Septimo igitur imperij ſui anno, comitibus duobus ijſq́ue iam adultis filijs Archagato & Heraclida, nemine militum quò veheretur, conſcio, curſum in Africam dirigit: poſtquã appuliſſet, vt ſpẽ fugæ omnibus adimeret, ſcirentq́; aut vincendũ aut ſtrẽnuè moriendũ; naues, conſentiẽte exercitu, incendit. Deinde quũ omnia quacunque ingrederetur, proſterneret ac vaſtaret, villas caſtellaq́ue incenderet, occurrit cum xxx. M. Pœnorum Hanno, dux Cathaginenſis: & prælio commiſſo, duo millia Siculorum, Pœnorum autem tria, vt alij, ſex millia vnà cum ipſo Hannone cecidére. Ceterum poſt Agathoclis è Sicilia diſceſſum, quum Pœni ſegnius iam & negligentius in caſtris & obſidione vagarẽtur, dum tumultuoſius ad vrbis oppugnationem feruntur, Antander regis Agathoclis frater, eruptione facta, eos profligauit, & magna clade afflixit; ipſo duce Amilcare capto & Syracuſis occiſo. Interea Agathocles magno victoriæ ſucceſſu vſus, nihil actum in Africa exiſtimans, ſi Syracuſæ longiore obſidione premerentur, nam poſt occiſum Amilcarem Giſconis filium, nouus eò à pœnis exercitus fuerat miſſus, Siciliam repetere cõſtituit. Poſteaquam de rebus ab Agathocle feliciter geſtis in Africa de ipſius in Siciliam reditu nunciatum eſſet, ſubita nõ ſolùm illorum qui ſecundis in rebus fortunam ſequuntur, beneuolentia, ſed & eorum qui Pœnorum tyrannidem exoſi arma pro libertate ſumpſerant, animorum conuerſio ſequuta eſt. Agathocles autem in Siciliam reuerſus, primũ Xenodicum Agrigentinorum & partium ducem ſuperat; inde Pœnorum qui Syracuſas obſidebant exercitum dilabentem & ſenſim ab Imperatore ſuo deficientem profligat: denique Pœnis è Sicilia expulſis, totius inſulæ imperium occupat. In Africam deinde vt belli reliquias perſequeretur, reuerſus, ſeditione militum excipitur; qua ſedata aduerſa Archagati filij fortuna, & iniquo Marte fractus; exercitus ſui & filij captiui, mox hoſtis imperio trucidati deſertor; Syracuſas fuga defertur: ac pace cum Pœnis facta,

POENI SICILIA PVLSI.

PAX CVM POENIS ALTERA.

A facta, ciuitates, quæ auctore Dimocrate exſulum duce ab eo defecerant, aut armis, aut pactione in poteſtatem redegit. Rebus verò in Sicilia pacatis, contra Bruttiorum feritatem à Lucanis ſollicitatus, Italiæ quoque poſſeſsionem affectare cæpit: ceterum Bruttijs ob metũ in poteſtatem coactis; rapinarũ licentia vſus, nihil ſanctum aut ſacrum habuit: quumque plurimis paſsim Deorum fanis ſacrilegio violatis, Epheſtiam quoque & Liparam inſulas Vulcano ſacras deſpoliaſſet, fædiſsimã naufragij cladem perpeſſus, eam læſo Vulcani numini acceptam ferebat, hinc quò facinus expiaret, viuũ ſeſe in flammas præcipitaſſe, atq ita crematũ à quibuſdam memoriæ proditũ eſt. Alij poſt quinctum ſupra nonageſi-

AGATHOCLES MORITVR.

B mum ætatis annum, ſenio cõfectum, & ægritudine animi contabeſcentem, naturæ conceſsiſſe affirmant. Poſt Agathoclis exceſſum, quum Sicilia varijs rurſum motibus turbaretur, Pœni hoc ſibi tempus opportunum ad inſulæ totius imperium occupãdum rati, magnis vndiq; copijs Siciliam inuadunt: vrbibusq; complurimis è quibus Agathocle regnante excluſi aut armis eiecti fuerant, magna vi & celeritate vel in poteſtatẽ redactis, vel pactionibus in deditionem receptis; tota Inſula, Meſſana & Syracuſis exceptis potiuntur. Ceterum quia Syracuſani Pœnos totã belli molem in ſe cõuerſuros metuebant, placuit Pyrrhum Epirotarum regẽ, qui id temporis bellum cum Romanis in Italia pro Tarentinis & Sam-

PYRRHVS EPIROTARVM REX.

C nitibus gerebat; in auxilium vocare, vt auſpicijs fortiſsimi imperatoris hoſtis importuniſsimi impetum refrenarẽt. adijciebatur Legationis honori vinculum quoq; neceſsitudinis & pietatis; quòd Pyrrhus ad tuendã filiorum ſuorum Heleni & Alexandri, quos ex Agathoclis filia genuerat poſſeſsionem, iuſta ſumturus arma videretur. Pyrrhus vt erat elati & generoſi animi, occaſionẽ ſibi qua Sicilia potiri poſſet oblatam gauiſus, præmiſſo Cinea, (quem plus eloquentia, quàm armis regem confeciſſe, prodit antiquitas) vt ſibi dum exercitum cogit, ciuitatum hominumq; ſtudia conciliaret, ipſe paullo poſt coactis vndique copijs ſubſequutus, Carthaginienſium audaciam reprimit; maximam ciuitatum partem re-

D cipit; excurſiones hoſtium diſpoſitis vbique præſidijs cohibet; denique Pœnos tota Inſula eijcit. Erycem vrbẽ & ſitu & Pœnorum præſidio munitiſsimam oppugnare adortus, ſcalis ad muros admotis, ipſe omnium primus mœnia conſcendiſſe, atque obuijs quibuſq; precipitatis, aut loco deturbatis, vrbẽ expugnaſſe traditur. Mamertinos qui paſſim excurſionibus inſulam populabãtur, multa clade affectos fractoſq;, depulſis ipſorum præſidijs reprimit; & Meſſanæ incluſos obſidet, ſtrennua & fideli vbique maximè in prælijs Hieronis opera vſus. A tam proſpero rerum ſucceſſu, quum Syracuſas veniſſet, Theonis & Soſtrati Syracuſanorum tunc facilè principum ſuffragijs, rex Siciliæ ſalutatus, Hele-

PYRRHVS REX SICILIAE SALVTATVS.

no filio Siciliæ regnum velut auitũ; Alexandro autem Italiæ imperium A
deſtinat. Poſthæc Pyrrhus in tam læto rerum curſu, vniuerſa penè Sicilia
in poteſtatem redacta, ſubitò à fortuna hactenus propicia deſtitutus, ab
eadem excidit. Legati namque à ſocijs Italicis miſsi, nunciabant Roma-
norum armis amplius reſiſti nõ poſſe; niſi maturè ſubueniat, ſeſe ad de-
ditionem coactum iri. Anxius itaque tam ambiguo periculo, incertuſq;
quid ageret, vel quibus primum ſubueniret, quippe cum nouo exercitu
inſtabant rurſus in Sicilia Pœni; quum animi dubius diu in vtrumque
deliberaſſet, hinc metuẽs ne Siculi à rege ſuo deſerti; illinc verò ne Italici
ab imperatore ſuo proditi deficerent; placuit tandem in tanto periculo-
rum æſtu, totis viribus cum Pœnis in Sicilia decernere; profligatis Car- B
thaginienſibus victorem exercitum in Italiam tranſportare. Conſertis
itaque manibus quum prælio viciſſet, dum quamprimum ſuis in Italia
laborantibus ſubuẽturus, magna cum feſtinatione in Italiam properat,
pro victo fugere creditus, deficientibus ab eo paſsim ſocijs imperium
Siciliæ tam cito amiſit, quàm antea facilè occupauerat. Poſt Pyr-
rhi diſceſſum quũ Sicilia tum prioribus factionibus in partes lacerata,
tum nouis ſeditionibus, turbisq; domeſticis denuo irrequieta; inſuper &
HIERO PRAETOR SYRACVSANVS. à Pœnis vrgentibus infeſtaretur; Hiero Hierocliti, qui genus ſuũ ad Ge-
lonem primum Syracuſarum regem referebat filius, matre tamen an-
cilla natus, anno ætatis ſuæ viceſimo Prætor Syracuſarum creatur. huic C
adoleſcenti formæ dignitas, corporis firmitudo, animi modeſtia, in con-
greſſu comitas, in negotijs iuſtitia, fauorem & beneuolentiam omnium
ordinum conciliauerant. Præſagiũ futuræ olim maieſtatis primo ipſius
tyrocinio aquila quæ in clypeo, noctua quæ in haſta cõſederant, proſpe-
ra aruſpicum interpretatione præbuére. quod Aquila manu promtum;
noctua verò Mineruæ ſacra conſilio cautum fore, prædicere viderentur.
Ita vt vel à prima vſque militia tot donis militaribus à Pyrrho ornato
toties aduerſus prouocatores etiã certamine ſingulari victori, nihil pror-
ſus regium deeſſe quàm regnum videretur. Hiero itaque Prætor creatus
ſtatim haud mediocre ingenij conſilijq; ſpecimen præbuit; quum ſti- D
pendiarios per ſeditionem tumultuantes compeſcuiſſet. Atq; vt ab eiſ-
dem, vtpote ad quamuis fortunæ aut ſpei auram mobilibus, & venali-
bus, rempublicam purgaret; ceteriſque item illorum ſimilibus ſeditio-
num materiam & faces exſtingueret; ſtipendiarios contra Mamertinos
gentem tunc quidem ferociſsimam, & rapinarum licentia, & armorum
promtitudine exercitatam; educit: eoſdemque omni vndique præſidio
deſtitutos, veluti pecora hoſti trucidandos obijcit. Ceterum quia
MAMERTINI. Mamertinorum mentio & antea incidit, & frequenter de ſe loquendi
occaſionem præbebũt, quod Romanorum armis protecti, Pœnos è to-
ta Sicilia

A ta Sicilia exturbandi, Romanis eandem in prouinciæ formam redigẽdi, occaſionem præbuerint, operæpretiũ putaui eorum in hac Inſula originem paullò altius repetere. Mamertini itaque ex Campania oriundi, quum ſub Agathocle ſtipendia in Africa meruiſſent, ab eodem in Siciliam reportati, à Meſſanenſibus ex Agathoclis cõmendatione benignè excepti fuerant. ij paullò poſt illecebris blanditijsq; fortunatiſsimæ vrbis illecti; fidem violant; ciues eijciũt; fortunas eorũ & agros occupant; vrbem præſidijs muniunt. Ceterum quum excurſionibus & latrocinijs etiam proxima quæquæ infeſtarent & popularentur, quanquam à Pyrrho acriter repreſsi, affluentibus tamen vndique perditis & facinoroſis,
B ſimul & exſulibus, per iniuriam pulſis confirmati; ægrè amplius coerceri poterant. Hiero liberato à ſeditioſis exercitu, totis copijs in Mamertinos ea victoria exſultantes conuerſus; in agro Mylæo ad Lõgani fluminis ripam congredi auſos graui prælio, ducibus eorum captis fregit; & inſolentiam ipſorum repreſsit; hinc victor cum incolumi exercitu Syracuſas reuerſus, omnium ſimul acclamationibus rex à Syracuſanis ſalutatus eſt. Mamertini quum aduerſo prælio animis concidiſſent, metuentes ne ſimile quale in Campana antea legione quæ Rhegiũ violata fide occupauerat, Genucio conſule à Romanis ſupplicium ſumtum fuerat, & in ſe ſtatueretur, alij ad Carthaginiẽſium ſocietatem, nonnulli
C ad Romanorum auxilia reſpiciebant. Interea dum Romanus, qui paullò ante in ſuam legionem eodem ſcelere cõtactam, tam ſeueram animaduerſionem exercuiſſet, deliberat num Mamertinos fidei violatores armis protegeret, præſidium Carthaginiẽſium à Meſſanenſibus admittitur. Romani metuentes ne Carthaginienſes ea opportunitate vſi, totã Siciliam occuparent, quàm præter Meſſanam & Syracuſas iam in poteſtate haberent, populi iuſſu Mamertinis opem ferendã decernunt. Ap. Claudius primus omnium cum exercitu in Siciliam miſſus, anno ab vrbe condita CDLXXIX, atque is quod primus Caudicem, hoc eſt nauẽ belli gerendi cauſſa conſcendiſſet, Caudicis cognomen inuenit. Mamertini
D intellecto Romanorum aduentu præfecto Pœnorum, quem in arcem receperunt, eiecto, Claudium recipiunt. Ea indignitate Pœni irritati, præfectum arcem prodidiſſe cauſſati, in crucem agunt; Meſſanam obſident, Hieronem quoque Syracuſarum regem in obſidionis ſocietatem euocant. Ap. Claudius Conſul nonnihil hoſtium multitudine cõſternatus, primum pacis conditiones obtulit; eas quum Pœnus reiecisſet, ſeorſim Hieronẽ ex improuiſo inuadit; grauique prælio fractum à Meſſana repulit; ac Syracuſas fuga petentem perſequutus, eas quoque obſidet. Atque tam parua habuit initia, primum quod cum Pœnis Romani bellum, terra mariq; per annos viginti quattuor geſſerunt, quibus varia, &

HIERO II. REX SYRACVSARVM.

AP. CLAVDIVS CAVDEX.

BELLVM PVNICVM PRIMVM

ria,& ſæpius alternante fortuna, tempeſtatum ſæuitia & imperatorũ au- A
dacia,magnis hinc inde cladibus vtraque pars conflictata; donec victor tandem Romanus,adempta Carthaginienſibus Sicilia ijſdem pacis leges impoſuit. Hiero poſtquam magna cum prudentia ſecum reputans obſeruaſſet,virtute Romanorum Pyrrhum ab Italia armis propulſatum,ſe cum exercitu profligatum, adhæc Punicas opes vſqueadeo florentes ab eiſdem ad belli Martisque aleam nec temere, nec ſine viribus laceſsitas; ſuis quoque rebus iam tunc diffidens, pacem æquiſsimis condicionibus cum Romanis ſibi & Syracuſanis per quinquaginta annos ſalutarem & inuiolatam his legibus ſanxit: vt captiuos Romanos qui in ipſius aut populi Syracuſani poteſtate eſſent ſine redemtione liberaret, B
centum argenti talenta æquis penſionibus penderet: ſocius amicuſque Populi Romani ipſe vnà cum populo Syracuſano eſſet. Eo fœdere Hiero iuſtè & ſanctè vſus, florente Syracuſanorum Republica,rem Romanam aliquoties tum à Pœnis in Sicilia & Italia, tũ in Macedonia ab alijs hoſtibus affectam benignè & liberaliter commeatu,opibus atque armis iuuit,& recreauit. Tandem rebus vndiq; quaſi ex voto proſperrimè fluentibus conſeneſcens, mortuo Gelone filio orbus,libertatem & Rempublicam Syracuſanis reddere decreuerat:ab ea tamen voluntate,Heracliæ ac Damaratæ filiarum ſuarum precibus exoratus deflexit; & Hieronymum ex Gelone filio nepotem, tunc quidem annos natum quindecim; C
& quod imperio adhuc immaturus eſſet tutoribus commendatum;hæredem ſcripſit; adiecitque teſtamento, vt Populi Romani amicitiam comiter ſemper & ſanctè coleret,eamque conſtanter,vt ipſe hactenus fecerat,ſeruaret. Nec multo poſt quum annum nonageſimum viuendo ſuperaſſet, ſeptuageſimum regnaſſet, morbo & ætate conſumtus è viuis exceſsit. Syracuſani veluti in orba parentibus ciuitate in omnem luctus formã effuſi,regiũ funus magna cura & pietate celebrauerũt. Poſt hæc Hieronymus fauſta auſpicataque omniũ,vti ominabantur ob Hieronis merita,& in Syracuſanos beneficia acclamatione rex à Syracuſanis ſalutatus,ſtatim (vt erat imbecillis adhuc iudicij adoleſcens) ab Andro- D
nodoro & Zoilo tutorũ præcipuis, (vtpote qui Hieronis filias in vxores duxiſſent,)licentia & dominandi cupiditate corruptus, in tyrannum degenerare cæpit,ita vt cum purpura,diademate,faſtuque regio,ſatellitibus armatis,adhæc in quadrigis albis (vti antea & Dionyſius tyrannide occupata fecerat) in publicũ procederet; attonitis aſpectu rei inſolitæ omnium animis. Hiero namque vti & filius eius Gelo per ſeptuaginta annos ſumma comitate & modeſtia, nullis præſidijs ſtipati, priuato aut nullo ſupra ciuilem modum habitu contenti, nihil vltra æqualitatem, & iuſtum imperium affectaſſe videbantur. Ceterum Hieronymus inſolentior

PAX HIERONIS CVM POP. RO.

HIERO REX MORITVR.

HIERONYMVS REX.

A lentior indies,& in omne facinus pronior, omni probrorum genere cõtaminatus,contemptiórne breui ciuibus ſuis an magis inuiſus fuerit incertum eſt:ſequutáque mox omnium animorum alienatione,domeſticis etiam inſidijs; Theodoro conſpirationis totius capite, oppreſſus fuerat,niſi coniuratiõ per indicium tempeſtiuè detecta ac delata fuiſſet. Sed poſtquã Hippocrates & Epicides fratres,materno quidem genere Pœni,& Carthagine nati,paterno autem Syracuſis oriundi,ad regis gratiam obrepſiſſent,eundẽ ad fœdus cum Annibale,qui tũc Italiam bello quatiebat,ſanciendum haud magno negotio impulerunt. Verùm Ap.Claudius qui tunc Siciliæ Prætor erat, de ea Annibalis & Hieronymi ſocieta-

AP. CLAVDIVS PRAETOR SICILIAE.

B te certior factus, Hieronymũ amicitiæ comiter cum Populo Romano ex Hieronis fœdere & teſtamento ſeruandæ per legatos admonuit. Sed Rex in legatos ſuperbè & contumelioſè illudens, acerbo etiam ludibrio percunctatus, Satin' ſaluæ res Romanis apud Cannas fuiſſent? ſtatim fœdus quod cum Annibale conceperat, cum Senatu Carthaginienſi, in hanc formulam ſanxiſſe proditur; vti Romanis per Pœnorum arma Sicilia expulſis,Himera fluuius,Syracuſani & Carthaginiẽſis in Sicilia imperij terminus eſſet:Pœni claſſem ſocijs naualibus,milite,commeatu, & apparatu nauali inſtructam contra Romanos primo quoque tempore in Siciliam mitterent. Quibus perſcriptis Hippocratem & Epicidem cũ

FOEDVS HIERONYMI CVM CARTHAGINIENSIBVS

C duobus armatorum millibus mittit, vt vrbes quæ Romanorum præſidijs tenebantur,ad defectionem aut deditionem ſollicitarent; ipſe cum copijs quæ ad quindecim millia peditum, & mille equites erãt,in Leontinos profectus,à coniuratis & Indegemine regij corporis ſatellite, dum ab arce in forum degrederetur,viæ anguſtijs præpeditus, multis vulneribus confoditur. Theodorus è carcere liberatus vnà cum Soſi,qui capita coniurationis fuerant, vt nuncium cædis Andronodorumq́; imparatum præuerterent,citatis equis Syracuſas contendunt. Ceterum Andronodorus qui famam facinoris præceperat,Inſulam,arcem, atque horrea publica,ceteraque opportuna vrbis loca præſidijs firmauerat,ipſi obſcu-

HIERONYMVS OCCIDITVR.

D ra nocte per Hexapylon ingreſſi,cruentas cæſi regis exſuuias, ipſumque capitis inſigne diadema palam omnibus oſtentant, tranſuectique per Tychen,populum ad libertatem ſimul & ad arma vocant; & cõuentum in Acradine indicunt. Miſcetur vrbs magno ſtatim & incerto tumultu, milites qui horrea præſidijs firmauerant, Theodoro & Soſi per nuncios ſignificant,horrea publica frumentaq́; omnia in Senatus ac populi poteſtate eſſe. Ciues interea inermes ſpolia Gallorum Illuriorumque, quæ Hieroni à Populo Romano dono miſſa, in templo Iouis Olympij fixa erant,detrahunt; precati vt Deus propicius ſacra præberet arma, pro patria,pro libertate, pro delubris ea induturis. Miſſus etiam ad Androno-

dorum legatis, vt Senatui ſeſe populoq́ue Syracuſano, Inſulam cum arce dedat, petunt. Flexit ſe ad ea mandata populi metu Andronodorus, etiamſi à Damarata vxore, regij vti ſanguinis, ita & faſtus fœmina reuocatus fuiſſet; & pateſactis Inſulæ portis, laudataq́ue Hieronymi cæde, claues arcis & pecuniæ regiæ Populo Syracuſano tradit. Conuerſis itaq; ad lætiora, ſpe libertatis omnium animis, Andronodorum, cum Soſipatro & Dinomene, cæterisq́ue tyranni percuſſoribus, Prætores creant, & iam reſpublica ad quietem & otium inclinata erat, niſi Hippocrates & Epicides eandem turbulentis, ſeditioſiſq́ue concionibus ad Pœnorum imperium iterum pertrahere conati, tranquillitatem publicam mouiſſent, perditiſq́ue plebem conſilijs ad res nouas animaſſent. Acceſsit ad hoc quòd Damarata irrequieti (vt diximus) & ambitioſi ingenij mulier, Andronodorum maritum praua, magnaq́ue ſpe impletum, communicatis cum Themiſtio cui Harmonia Damaratæ ſoror nupſerat, conſilijs; ad atrociſsimi facinoris audaciam impuliſſet. Conuenerat autem vt cæſis reliquis Prætoribus, bona eorum publicarentur, Inſulam armis præoccuparent, ſolus Andronodorus rerum potiretur. Ariſton tragædiarum ſcriptor concepti facinoris conſcius erat: is ſalutẽ publicam priuata neceſsitudine potiorem habens, indicium ad Prætores defert. Andronodorus itaque & Themiſtius curiam ingreſsi nihil tale metuentes pugionibus conſciorum ex improuiſo confodiuntur: coortoq́ue ob eorum cædem tumultu, Soſipater habita iuſſu Senatus ad populum concione, oſtendit ex Ariſtonis indicio Andronodorum & Themiſtium tãquam libertatis publicæ inſidiatores, turpiſsimaq́ue Hieronymi tyranni mãcipia, atque ab vxoribus ſcelerati & irrequieti animi mulieribus per faſtũ & ambitionem ad Rempublicam occupandam accenſos, Senatui iure cæſos videri. Vixdum dicendi finem fecerat, Soſipater, quum populus tanto ſcelere irritatus Damaratam, Harmoniam, ceteraſq́ue regiæ ſtirpis fœminas omnes internecione delẽdas decerneret, furorẽ plebis prætorum mandata ſequuntur immiſsiſq́ue percuſſoribus, in Damaratam Harmoniam & Heracleam ſorores, & in earum filias, crudeli fædaque laniena ſæuitum eſt, quæ multis vulneribus confectæ matres filiarum & viciſsim filiæ matrum cruore reſperſæ cum omnia ſanguine ſuo repleſſent, exanimes tandem corruerunt; atrox illa & ſæua imbecilli ſexus cædes, primùm plebi commiſerationẽ, mox vulgi mobilitate Prætoribus odium mouit, vſqueadeo vt plebiſcito Hippocratem & Epicidem, egregios hactenus tyrannidis fautores, in Andronodori & Themiſtij interfectorum locum, magno cum Reipublicę detrimento, Prætores ſurrogarent. Interea M. Claudius Marcellus anno ab vrbe condita D.XXXIX. Conſul III. ad motum Siciliæ compeſcendum cum imperio proconſulari

M. CLAVDIVS MARCELLVS IN SICILIAM MISSVS.

A lari miſſus, per legatos vt Syracuſani ſocietatem amicitiamque Populo Romano comiter conſtanterque conſeruarent, impetrauit; Hippocrate & Epicide callidis ſuis verſutiſque conſilijs nequidquam obſtantibus. Cumque haud multo poſt Hippocrates Leontinis cum quattuor millibus à Syracuſanis in ſubſidium miſſus, in præſidium Romanum quod Ap. Claudius deduxerat, impetum feciſſet; queſtus de ea iniuria Marcellus, Hippocratem vt fœderis violatorẽ dedi, aut ipſum cum Epicide tanquam pacis publicæ turbatoris à Cicilia relegari poſtulat. Epicides intellectis legatorum poſtulatis, ad Hippocratem prouolat, collatiſque cũ eodem conſilijs Leontinos magna fraude & aſtutia, vt à Syracuſanis de-
B ficiant, inducit. Syracuſani ijs intellectis Marcello reſpondent, Hippocratem & Epidicem vt transfugas, & qui ad Leontinos defeciſſent, amplius in ipſorum poteſtate non eſſe; bellique ſocietatem & octo armatorum millia, vt Leontinos iterum in ipſorum poteſtatem redigeret offerunt. Marcellus accepta fide, citato agmine in Leontinos profectus, magno cum militum ardore, vt ſeſe de violatis ſocijs vlciſcerentur, primo impetu vrbem capit. Hippocrates & Epicides ſeſe in arcẽ recipiunt, inde noctu Herbeſum fuga elapſi, atque à Syracuſanis qui Soſi, & Dionyſio ducibus ad Marcellum mittebantur recepti, efferatam Romanorum in Leontinos capta vrbe crudelitatem & cædem promiſcuam falſò culpan-
C tes vniuerſum exercitũ tumultu ac ſeditione miſcent: fictiſque literis & adulterinis, adhæc pudendis commentorum fabulis, à Romanorũ fide & amicitia alienant: ita vt ſpretis ducibus ſuis, ſub Hippocratis & Epicidis imperium tranſirent. Hippocrates cum ſeditioſo exercitu Syracuſas iter conuertit; Marcello vt hoſti portæ clauduntur; Epicides & Hippocrates cum ſeditioſis in Hexapylon recipiuntur; quamtumuis Prætores Deos hominesque obteſtarentur, ne patriam, ne libertatem publicam, tyrannorum ſatellitibus proderent; ſed obſurdeſcebant ad omnia auerſi plebis animi; occupatoque Hexapylo; mox & Acradina, quò Prætores cum plærisque ciuibus confugerant, ab Hippocrate & Epicide primo
D impetu capitur: trucidantur Prætores, atque vna quicunque fuga ſalutẽ tegere non poterant. Proximo inde die ſeruos ad pileũ vocant; captiuos vinctoſque liberant; inde turbulentis & mobilis ad omnia vulgi ſuffragijs, Hippocrates & Epicides Prætores creati: ita Syracuſæ in antiquam ſeruitutem & tyrannidem rediguntur. Marcellus autem, poſtquam vrbẽ cædibus fœdatam, & motibus diſcordem nunciatum eſſet, continuò legatos mittit, qui, ſi Syracuſani Rempublicã ſaluam cuperent, ſi oppreſsis auxilium à Romanis peterent; ciues monerent, vt reditũ expulſis aperirent, ſeditioſos dederent, Romanorumq; poteſtati ſe permitterent, alioqui vniuerſis malũ minarentur. Legatis per Epicidis & Hippocratis factionem

SYRACVSAE CAPTAE.

MARCELLVS SYRACVSAS OBSIDET.

ctionem repulsis, Marcellus terra mariq́ue Syracusas obsidere, ac bello A
vndiq; lacessere cæpit; terra quidem ab Hexapylo mari autem ab Acradina, qua orientem ac meridiem prospectat; maximo instructus apparatu, adhoc incredibili militum alacritate ac promtitudine adiutus, primo impetu, primaq́; oppugnatione acerrima vrbem capere poterat, nisi eadem Archimedis solertissimi Mathematici ingenio & industria varijs propugnaculis, admirandisq́ue machinis protecta fuisset: ita vt Marcellus postquam omnes conatus suos ab Archimede tormentis, missilibus catapultisq́ue frangi videret, victum se Archimedis ingenio professus; oppugnationem omitteret, vrbemq́; quam potuit arctissima obsidione cingeret. Præfectoq́ue castris Ap. Claudio, ipse cum tertia copiarum parte profectus, Elorum ac Herbesum Punicarum partium vrbes armis, aut per deditionem recepit. Inde Megaram vi captam, vt ceteris terrorem incuteret, à fundamentis prosterni iussit. Imilco interim Carthaginiensium imperator, per Hippocratem de obsessorum angustia certior factus, aut liberandas obsidione Syracusas, aut Pœnis cum ignominia ab Siciliæ possessione discedendum; cum viginti peditum, tribus equitum millibus, ac duodecim elephantis, omniq́ue apparatu bellico ad Heracleam exscensione facta, primùm Agrigentum recipit: hinc alias quoque vrbes ad defectionem sollicitat. Syracusani quanquam dura obsidione fatigati, noua tamen propter Pœnorum aduentum spe accensi, Plebiscito Epicidi curam vrbis mandant: Hippocratem autem cum decem millibus peditum, & quingentis equitibus, primo quoque tempore sese cum Imilcone coniungere iubent. Ceterũ Marcellus inopinata celeritate Hippocratem profligat; exercitumq́ue fuga ducis desertum, cæsis octo peditum millibus, prosternit: mox victoria vsus, latè per Siciliam arma circumtulit; plurimasq́ue Siculorum vrbes, aut armis, aut pactionibus, ad fidem Romanorũ redire coëgit. Hinc ad Syracusanorum obsidionẽ redire constituit: quod nouam cum Ap. Claudio legionem aduentare, imperiumq́ue ipsi ex S. C. prorogatum nunciaretur. Imilco autem Syracusanis auxilium laturus, coniunctis cũ D
Hippocrate copijs ad Anapum fluuium cum exercitu consedit: Bomilcar verò à Carthaginiensium Senatu Syracusanis in subsidium missus, cum quinquaginta quinque triremibus portũ tenuit. Imilco posteaquã Syracusanis satis pro necessitate consultũ existimaret, motis inde castris Margantiam versus in quam Romani magnam frumenti & commeatuum vim conuexerant, profectus, eandem interfecto per proditionem Romanorum præsidio occupat. Ea fraude & defectionis impunitate aliorum quoque ciuium varijs in vrbibus animi sollicitati, præsidio vel expulso, vel ciuium conspiratione prodito, ad Pœnos inclinabant.

SARCHIMEDES.

MEGARA EVERSA.

Ennen-

A Ennẽſes eadẽ perfidia contacti L.Pinario præſidij Romani præfecto ex itium moliebantur;quorum ſcelerata conſilia quum Pinarius tempeſtiuè deprehendiſſet, Ennenſes præoccupati, & turbulentiſsimo quoque ex ipſis trucidato,funeſto exitu,& Pinarij ſæuitia fidem deinceps ſeruare coacti ſunt. Hæc vſqueadeo acerba & ſeuera Ennenſium vltio, Siculos à Romanorum ſocietate ad Punicam amicitiam conuertit. Marcellus interea conuecto vndique ex Leontinorum agro in ſua caſtra frumento, hyeme iam ingruente,iuxta Leontem,(diſtat Leon ab Hexapylo via Leontina v. M. paſſuum)hyberna cõmunit;& ne fruſtra ad Syracuſas ſedendo tempus in ocio tereret,oblata libertate Syracuſanorum animos octo
B ginta è ciuibus conſcijs, ad deditionem ſollicitare cæpit; ſed indicio per Artalin Syracuſanum facto, cõſcij ab Epicide ad ſupplicium rapiuntur. Marcellus quum ea non ſucceſsiſſet via, aliam ingreditur, erat ipſi frequens cum Epicide ad portum Trogylorum prope Geleagram turrim colloquij occaſio,dum de Damaſippi Spartani à ſua claſſe intercepti redemtione & pactione ageret. Inter colloquendum quidam è Marcelli contubernio, murum iuxta Galeagram ſæpius & attentius contemplatus,quàm proximè oculis & coniectura aſſequi potuit,altitudinem muri metitus, obſeruat vel mediocribus ſcalis nec difficili aſcenſu ſuperabilem. Id vbi Marcellus intellexit, quanquam occaſione rei gerendæ
C lætatus, opportunitatem tamen & tempus idoneum captandum cenſuit;quod locus ille frequenti cuſtodia ſeptus eſſet:differt itaque negocium in proximum Dianæ feſtum; quo ciuibus epulis vinoque ſepultis, nocte concubia, qua altior ſomnus ebrios ac curis ſolutos occupare ſolet, ſcalas proferri,ac mille expeditos ex omni numero delectos,ſummo cum ſilentio muros tranſcẽdere iubet. Milites imperatoris iuſſa ſequuti, recenti crapula ſopitos trucidant: inde ad Hexapylon, quò eos cum maiori agmine Marcellus ſequebatur,procurrunt; reuulſoque poſtico mag no impetu contra defenſores obnixi, Epipolas præſidiarijs metu dilapſis occupant. Quumque ex Epipolis tanquam è faſtigio reliquas vndi-
D que Syracuſanæ vrbis partes Marcellus deſpiceret, fatalem ſuiſque conuerſionibus obnoxium, & vrbium, & rerum humanarum interitum miſeratus illacrimaſſe ſcribitur: & commiſeratione commotus, ijs qui Acradinã & Inſulam præſidijs tenebant,iuſta pactione oblata ad deditionẽ ſollicitaſſe. Ceterum quum eam legationẽ propter transfugas,qui ſi legati audirentur, ſeſe ad extremũ ſupplicium dedendos verebantur,irritam videret;Eurielum vtcumque Philodemi præfecti artibus illuderetur, ſummo ſtudio occupat. Ceteras vrbis partes Tycham & Neapolim militibus prædæ donare coactus,ingenua corpora ab omni violentia & iniuria iuſsit eſſe libera. Mox Acradinam ternis caſtris circumſedit, &

SYRACVSARVM PARS CAPTA.

quò obſeſſos ad deditionem cogeret, frequenti, continuaque munitione cinxit, diu tenuit ea obſidio. Hippocrates & Epicides commeatuum inopia fatigati, eruptione vndique facta à Marcello fortiter repulſi ſunt. Sequuta deinde grauis per autumnum peſtilentia, diuulgatus per contagionem morbus, obſeſſos æquè ac Romanos magna clade afflixiſſet; adhæc Bomilcare qui Syracuſanis auxilio cum claſſe miſſus fuerat, à Romanis profligato, præſidiarij qui Acradinam & Inſulam propugnabãt, ad extremam rerum inopiam & miſeriã prolapſi, legatos ad Marcellũ mittunt, qui veniam & conditiones pacis petant. Ceterum transfugæ iterum ſibi à Marcello metuẽtes, ſociata cum ſtipẽdiarijs fortunarum neceſsitudine, publicæ tranquillitatis ſpem perturbabant, & quo ſcelere etiam aliquo ſeſe obligarent, promiſcua cæde in obuios quoſq; graſſantes vrbem diripiunt; & ſex præfectos cum imperio, tres qui Acradinæ; reliquos qui Inſulæ præeſſent, è ſuis conſtituunt. Ex ijs qui Acradinæ præerant quidam nomine Mericus genere Hiſpanus, Marcello fidem ſuam pactus, capto tempore Acradinam ſeſe in eius poteſtatẽ traditurum recepit. Quumque haud multo poſt Merico ab Arethuſa fonte ad oſtiũ vſque magni portus, vrbis cuſtodia & ſtatio ſorte obtigiſſet, Marcellum certiorem facit, nunc illud adeſſe tempus, quo fidem ſuam liberaret, & Romanos in Inſulam admitteret. Marcellus itaque vt Syracuſanorum animos ab inſidiarum ſuſpicione ad Acradinæ defenſionem auerteret, primo diluculo cum omnibus copijs tanta vndique vi Acradinam aggreditur, vt non eos ſolum qui illam vrbis partem tuebantur in ſe conuerteret; ſed ab Inſula quoque per manipulos & cohortes (quod Marcellus vt eam partem præſidijs nudaret futurum ſperauerat) ad defenſionẽ Acradinæ procurrerent. In tanto rerum tumultu Syracuſanis tam animis quàm corporibus alio intentis, naues Romanæ armatos ad Arethuſam exponunt, ij in Inſulam à Merico qui ipſorum agmini ſeſe ſtatim immiſcuerat, excepti, eandem præſidio nudam, mox omnium fuga deſertam armis occupant. Marcellus vt Inſulam à ſuis teneri, nec aliud quã Acradinam quæ reſiſteret, ſupereſſe ad victoriam cognouit, ne opes regiæ, quæ in Inſula ſeruabantur, fama tamen, quàm re maiores militum præda fierent, receptui cani iuſsit. Verum Syracuſani qui Acradinã tuebantur, poſtquam omnia Romanorum armis occupata vident, Marcello per legatos ſuam ſuorumque ſalutem, & libertatem pacti, deditionẽ faciunt. Ad hunc modum Marcellus tota iam vrbe, tertio quam obſideri cæperat anno potitus, Quæſtorem cum præſidio in Inſulam ad regias opes ſumendas & in ærarium deferendas mittit; reliquam vrbem qua parte adhuc intacta erat, militibus diripiendam conceſsit. Teſtantur ſcriptores tantum Syracuſis captis prædæ fuiſſe, quantum poſt quattuor & ſexagin-

INSVLA SYRACVSARVM CAPTA.

ACRADINA CAPTA.

A & ſexaginta annos capta Carthagine repertum fuerit: adhæc Marcelli victoris animum nullo grauiore cruciatu, quàm Archimedis caſu perculſum fuiſſe Liuius prodit; hoc enim ſingulari edicto ante oppugnationem cauerat, ne capta vrbe Archimedes vllo modo violaretur. Hunc Cicero inter vrbis expugnationem, tanto ſtudio, tantaque cura figuris quibuſdam Mathematicis, quas in puluere deſcripſerat, intētum fuiſſe tradit, vt non prius captam à Marcello patriam intelligeret, quàm irruentem in ſe militem Romanum, & ſtricto ferro ceruici incumbentem ſentiret. Marcellus ſepulturæ eius curam habuit; propinquiſque ipſius perueſtigatis; nomen, memoriamque Archimedis honori ac præſidio
B ipſis fuiſſe proditum eſt. Captis Syracuſis veluti ſi in vnius vrbis expugnatione tota Sicilia fuiſſet debellata, omnium ferè ciuitatum legationes in Romanorum ſeſe poteſtatem dedentes, ad Marcellum conueniunt. Legatis benignè auditis ciuitates in gratiam recepit, eaſque libertate donauit. Ceterum ne Syracuſæ olim ad rebellionem reſpicere poſſent, vetuit ne ea pars, quæ Inſula vocabatur, à quoquam Syracuſano habitaretur: tum quòd eius loci ſitus natura munitus Romanorū vim & impetum frequenter fregiſſet; ſuoſque ea parte vrbem oppugnantes facili propugnatione Syracuſani depuliſſent; tum quod tutiſsimus mari Ionio & commodiſsimus in eam nauibus receptus eſſet. Interea Hanno
C & Epicides Carthaginienſium duces, ac Mutines Numida, qui in Hippocratis demortui locum ſuffectus fuerat, audita Syracuſarū expugnatione ne ſi omnia Romanis pro voto ſuccederent, & animi eorum qui Punicæ adhuc factionis erant ad Romanos inclinarent; copijs vndique coactis Romanorum agros excurſione & populatione vexant, agunt ferunt que omnia; tandem caſtra ad Gelā flumen metati ſubſiſtunt. Marcellus vt ſociorum iniuriam vlciſceretur profectus, quattuor M. P. ab eiſdem conſedit. Verum Mutines vir acris ingenij, ſuperato flumine cum Numidarum equitatu, magno impetu in Romanorum aciem inuectus, eandem perturbat, profligat, & in caſtra repellit. Ceterum quum trecenti
D Numidæ exorta ſeditione, à Mutine deficientes Heracleam verſus iter haberent, ipſe ad eos aut mitigandos, aut reuocandos profecturus, Hannonem & Epicidem monuit; ne ſe abſente prælio cum Romanis decertarent; ſed ij ſpreto Mutinis conſilio, ſuperatoque Gela flumine, Marcello copiam pugnandi faciunt. Congreſsi itaque Carthaginienſes ac magna clade ſuperati, in proximas qualque vrbes fuga dilabuntur, Cæſa Pœnorum quinque millia, capta ſeptē, & octo Elephantes: cum quibus Marcellus victor Syracuſas regreſſus eſt. Engiates nihil ea Pœnorum clade exterriti, Niciam è ciuibus præcipuum qui Romanorum amicitiam potius præoccupandā, quàm vim experiendam ſalubriter conſule-

bat,

SICILIA IN POTESTATEM PO. RO. ACCEPTA.

bat, vnà cum vxore expellunt. Marcellus ea contumelia & Engiatum pertinacia irritatus, Engium magno impetu capit, ciuibus catenas inijci & eos ad ſupplicium rapi iuſsit. Verùm Nicias patriam ſuam miſeratus, Engiatibus veniam lacrimis & precibus à Marcello impetrat. Confecto iam in Sicilia bello, Marcellus exitu æſtatis è Sicilia deceſſurus, præter mœnia & tecta Syracuſarum exhauſta, & lacera deorum delubra ipſis Deorum ſignis, ornamentiſque ſuis deſpolata nihil Syracuſanis reliquit. Quumque ad vrbem veniſſet, à C. Calpurnio Prætore Senatus ei ad Bellonæ ædem datus eſt: vbi primùm de rebus à ſe geſtis diſſeruiſſet, queſtus leniter non tam ſuam quàm militum vicem, quòd Prouincia confecta exercitum ſibi deportare non licuiſſet, poſtulauit, vt triumphãs vrbem intrare liceret, triumphum tamen non impetrauit, ſed vt ouans cum imperio introiret. Pridie igitur quàm vrbem ingrederetur, triumphauit in monte Albano, inde de Syracuſanis ouans multã præ ſe prædam in vrbem intulit. Perlata ſunt in pompa cum ſimulacro captarum Syracuſarum, catapultæ, baliſtæ, & reliqua belli inſtrumenta, præterea diuturnæ pacis regiæque opulentiæ ornamenta, aurea argenteaque vaſa fabrefacta, veſtis omnifariaque ſupellex precioſa; tum plurima nobiliũ artificum ſigna, & quædam perantiqua, quibus inter primas Græciæ vrbes Syracuſæ floruerãt: Punicæ quoque victoriæ inſignia, octo elephantes ducti. Poſt Marcelli è Sicilia diſceſſum, claſsis Punica appellens octo millia peditum, tria Numidarum equitum expoſuit, ad eos Murgantini ſtatim deſciuerunt; Murgantinorum defectionẽ Hybla & Magella atque alia aliquot oppida ignobiliora inſequuntur. Numidæ Mutine duce per totam Siciliam diſcurrentes, ſociorum Po. Ro. agros ferro & flammis vaſtabant. Exercitus interea Romanus indignatus, tum quòd vnà cum Imperatore è prouincia deuecti non eſſent, tum quòd in oppidis hibernare vetarentur, ſegni fungebantur militia; nec eis tam animus quàm auctor ad ſeditionem deerat. Ceterum M. Cornelius Prætor, ſedatis nunc caſtigando, nunc conſolando militum animis, ciuitates quæ defecerant, in deditionem redegit: ex his Murgantiam cum agro circumiecto Merico & Hiſpanis, qui ad Marcellum defecerant, ex. S.C. attribuit. Marcellus inde Conſul quartum cum M. Valerio Læuino creatus, quum Idibus Martijs ſenatum haberet, profeſſus eſt ſe nihil abſente collega, neque de republica neq; de prouincijs acturum: Scire ſe frequentes Syracuſanos prope vrbem in villis obtrectatorum ſuorũ eſſe: quibus tantum abeſſe vt per ſe non liceat, palam Romæ crimina ab inimicis ſuis ædita ac conficta vulgare, vtni ſimularent, inuitos ſe abſente collega de Conſule dicturos, ipſe eis extemplò ſenatum daturus fuerit, ceterum vbi collega veniſſet, non paſſurum quidquam prius agi quàm

MARCELLVS OVANS DE SYRACVSIS.

Syracuſani

A Syracuſani in Senatum introducantur. Venit itaq; paullò poſt circumfuſus Syracuſanorum multitudine Læuinus. Patres antequam legati audirentur, decernunt, vt alteri Conſulum bellum cum Annibale prouincia eſſet; alter claſſem Siciliamque obtineret. Conſulibus prouincias ſortitis, Sicilia & claſsis Marcello; Italia cum bello aduerſus Annibalem Læuino obuenit; quæ ſors, velut iterum captis Syracuſis, ita legatos exanimauit, vt ſordidâti circumeuntes magna comploratione fletuque affirmarent, ſe non modò patriam quiſque ſuam, ſed totam Siciliam relicturos, ſi eò iterum cum imperio Marcellus redijſſet. Marcellus verò vt liberam Syracuſanis in Senatu de ſe querelam permitteret, prouinciã
B cum Læuino collega permutauit. Poſtquam autem Legati, multa cum ad inuidiam Conſulis, tum ad miſerationem Syracuſanorum dixiſſent, Senatus decreuit, vt quæ Marcellus in Sicilia tam bellum gerens, quàm poſtea victor egiſſet, ea rata habẽda eſſe; in reliquũ rem Syracuſanã Senatui curæ fore, mandaturoſq; Cõſuli Læuino, quoad ſine Reipublicæ detrimẽto fieri poſſet, fortunis Syracuſanorũ conſuleret. Legati recitato S.C. ad genua Marcelli Cõſulis prouoluti obſecrabãt, vt quæ ipſi deplorandæ ac leuãdæ miſeriæ cauſſa dixiſſent, eis cõdonaret, vtq; ſe & vrbem Syracuſas in fidem ac clientelam acciperet. Conſul Syracuſanos clemẽter appellatos, non ſolum venia donauit, ſed & bono animo deinceps eſ-
C ſe iuſſos dimiſit. Ab eo tempore Syracuſani à Marcellorũ gente in clientelam accepti, comiterq; & benignè ſemper habiti, & in omnibus ſummo ſtudio adiuti; Marcellea diem feſtum in honorem patronorum inſtituerunt. Læuinus autem Cõſul magna iam anni parte circumita, poſtquam veteribus nouiſque ſocijs exſpectatus in Siciliam veniſſet, quod primum ac potiſsimum omnium iudicabat, belli reliquias ſuſtulit; Pœniſque prorſus ex Inſula eiectis, debellauit. Inde rem Syracuſanam adhuc inconditam, noua pace compoſuit; regnumque Syracuſanum quod antea Hieronis fuerat, in prouinciæ formam redegit, ſtatuitque vt conuentus totius Italiæ Syracuſis, & Quæſtor vnus quotannis eſ-
D ſet; adhæc vt ea quæ Hieronis regia hactenus fuerat, Pretoria in poſterũ domus foret: vtque vnus Prætor ambas prouincias, veterem quæ Carthaginienſium, & nouam Syracuſas, quotannis ſortiretur. Prouinciaque conſtituta, ex decem legatorum ſententia, quum Siciliam æquè paci opportunum quàm bellis fidiſsimum firmiſsimumque annonæ ſubſidiũ iudicaretur; placuit omni cura Siculos tueri, & retinere: vt eodem iure eſſent, quo antea fuiſſent; eadem conditione Po. Ro. parerent, qua ſuis paruiſſent, præterea vt omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus eſſet; in decumis vendundis nec tempus, nec locum commutarent: ſed vt eodem anni tempore, eodem loco quo prius, denique vt lege Hieronica vende-

MARCELLEA.

SYRACVSAE IN FORMAM PROVINCIAE REDACTA.

rent. Florùit aliquamdiu ſub his legibus res Syracuſana, interim tamen A
Verris Prætoris furtis & rapinis per triennium ferè vexata, ſicuti & à Pergamenione archipirata, qui profligata claſſe Romana portum Syracuſarum occupauerat, ad tempus affecta. Ceterùm Pergamenione à Prætore Metello terra mariq́ue profligato, iterùm recreata eſt, donec Siculo tandem bello inter Sex. Pompeium & Cæſarem Octauianum, anno ab vrbe condita DCCXVI. deformaretur. Cæſar tamen victo fugatoq́ue Pompeio, eam vrbis partem quæ inſula vocabatur, miſsis eò colonis inſtaurari & frequentari iuſsit, ceteras vrbis partes vt laxiores & vaſtiores ob
POLIS REX. colonorum infrequentiã neglexit. Obſeruo apud idoneos auctores Polidem Argiuum Syracuſiorum regem fuiſſe, ceterùm quo tempore B
regnauerit non produnt, neque nos veriſimilem coniecturam adferre potuimus, addunt ab eo vitem Neam quæ & Byblina vocabatur ex Italia Syracuſas tranſlatam, vinumq́ue quod ex eadem exprimebatur, fuiſſe laudatiſsimum, Poliumq́ue à Polide vocatum, atque idem Byblinum fuiſſe dictum. Nomen vrbi fuiſſe factum Syracuſis, quod ſponte ſua ad eandem eo loci condendam protracti fuerint; id enim Græcum vocabulum ſonat, alijs à Syraca lacu, qui apud eam vrbem eſſet Syracuſis nomen inditũ magis veriſimile videtur. Eiuſdem vrbis tantas fuiſſe opes traditur, vt Prouerbio per comparationem, de opulẽtis diceretur, ne decimum quidẽ Syracuſanorũ poſsidere: nec minus voluptatũ ac deliciarum nomine olim̃ celebrata eſt. C
Syracuſarũ longitudinẽ ſiue ab Inſulis fortunatis diſtantiã produnt XXXIX s. temporũ; latitudine verò, ſiue ab æquatore, ſpatio XXXVII temporum, & quadrantis abeſſe.

ΛΕΟΝΤΙΝΩΝ.

LEONTINVM Chalcidenſium Colonia.

LEONTINI vrbis originem, vt omnium totius Siciliæ antiquiſsimæ, auctores à Læſtrigonibus vſque repetunt: ijſdemq́ue vel ætate, vel armis vicinorum conſumtis, vrbem à Siculis cultam & de- D
LEONTINI ORIGO. inceps frequentatam ſcribunt. Herculem quoque quum deuicto Eryce per Leontinorum agrum iter faceret, à Siculis tunc eam incolẽtibus comiter & benignè exceptum ac hoſpitaliter cultum, atque hinc diſcedentem ipſis ſui monumenta & inſignia reliquiſſe tradunt. Ceterùm quincto, poſtquam Syracuſæ à Corinthijs conditæ ſunt anno, ſiue vt
NAXO VRBS. alij ſeptimo, Chalcidenſes è Naxo, quam Græcarum in Sicilia vrbium primam paludoſo & cœnoſo in agro condiderant, ob aëris inclemẽtiam ſedes mutare coacti, duce Theocle expulſis Siculis Leontinum occuparunt. Naxij aram templumq́ue Apollini Archagetæ in Naxo condiderant:

derant:ad eam aram qui è Sicilia ſoluebant ſacris operabantur, vt proſperum curſum haberent: de euentibus quoq; deus Archagetes per ſortes & oracula conſulebatur. Eundem Appollinem etiam apud ſe in honore fuiſſe, Leontini numiſmatum ſuorum monumentis poſteritati teſtatum reliquêre: per eiuſdem ſcilicet numinis cultum originem ſuam à Naxijs eſſe, & proinde ſe à Chalcidẽſibus ortos profeſsi. Ceterum poſtquam Naxij Leontinos in poteſtatem redegiſſent, Siculoſq; eiectos in mediterranea propulſaſſent, vrbem muro & mœnibus cinxerunt: arcemq́ue triangularem, quæ tria Siciliæ promontoria ſuis angulis reſpiciebat, condiderunt; Pomeriumq́ vrbis ampliarunt. Quumque affluente indies incolarum frequentia ciuitas in nimiam multitudinem breui coaluiſſet, vt ſeſe à ſuperflua ciuiũ copia exonerarẽt, originis ſuæ memores, quòd è Chalcide Eubææ inſulę metropoli oriundi eſſent, Eubæã ad latus Siciliæ auſtro obuerſum condiderunt. Vrbs autẽ Leontinum ambitu ſuo, tres colles totidemq́ue valles complectebatur; verùm non ſatis ſalubri aëris temperie, paludibus cincta erat: hinc cænoſo limo & æſtuoſo cælo, humidis craſsioribuſq́ue exhalationibus, capita incolarum grauedine, pectora tuſsi & tabe vexabat. Huc quidam pertinere arbitrati ſunt, lacertæ animalculi amphibij effigiem, quæ in Leontinorum nummis ſpectatur. Eam tamen aëris infelicitatem facilè compenſabat agri fertililitas; omniumq́; prouentuum ſegetum, præcipuè & leguminum centuplicata ſemente vbertas: quodipſum quoq; in nummis Leontinorum per grana capitibus Leonum circumſcalpta expreſſum videri poteſt. Pabuli certè lætioris tam fœcundus ager fuiſſe creditur, vt pecora, ne aruina ſuffocarentur, à paſtu arcenda eſſent. Hanc ob fertilitatem Leontini rei frumentariæ principes ab idoneis auctoribus appellati ſunt: proditumq́; memoriæ Cererem Leontinos primùm arare ac terram colere edocuiſſe, atq; à Tellure extorſiſſe vt triticum quod ſponte proueniebat, centeſimo ibidem grano luxuriaret. vrbi altus imminebat collis, qui Hieropolis vocabatur. porta verò præcipua à ſcriptoribus Ieracea celebratur. Lycum etiam fontem in eiuſdem agro vſqueadeo peſtilentem fuiſſe proditum eſt, vt ex eodem bibentes ſubitò, (ſunt qui tertio die affirment) enecarentur. Lacu etiam qui viginti millia paſſuum ambitu complectabatur, piſcoſo quidem ceterùm exhalationibus graui, à Septentrione præcingebatur. hic ferè fuit vrbis ſitus, hæc agri conditio. Floruit autem Leontinorũ Reſpublica ſub Oligarchia ſiue paucorum poteſtate: donec ad tyrãnos (quod veteribus ferè in Sicilia ciuitatibus vſu venit) trãſlata & à Panætio primùm occupata, inde AEneſidemi dominatione feſſa, ſeditionibus demum & armis ciuilibus agitaretur. Ceterùm Leontini à Phalaride Agrigentinorũ

APOLLO ARCHAGETA.

LEONTINVM INSTAVRATVM.

EVBOEA LEONTINORVM COL.

LEONTINI SITVS.

AGRI LEONTINI FERTILITAS.

HIEROPOLIS.

LYCVS FONS.

REIPVBLICAE LEONTINORVM STATVS.

Tyranno bello victi, arma deponere coacti sunt: exarmatos, ne deinceps A
res nouas molirentur, conuiuijs, commessationibus, vinoque eneruauit.
Bacchi autem studiosus fuisse, ipsorũ nummi testantur; quibus Bacchũ
χισσοκόμην siue hedericomam; ipsamque Bacchi coronam hederaceam
BELLVM CVM SYRACVSANIS. exprimunt. Quumque à Syracusanorum potentia terra mariq; op-
primerentur, Athenienſium vt cognatorum & gentilium (Chalcidẽſes
namque Athenarum coloni ad quos Leontini genus suum vt diximus
GORGIAS LEONTINVS. referebant) opem & auxilia per Gorgiam ciuium suorum præcipuum
eundemque oratorem nobilissimum implorarunt. Is facundia & dicẽ-
di peritia adiutus apud populares Athenienſium, fœdus & societatem
auxiliumque suis impetrauit. Nec prius huic bello finis impositus, quã B
Siculi mutuis Athenienſium & Syracusanarum partium cladibus fessi;
ipsique Leontini Athenienſium armis nequidquam protecti, Hermo-
PAX CVM SYRACVSANIS. cratis Syracusani oratione, qua pacis commoda, belli detrimenta, & cla-
des cladibus accumulatas ostendebat persuasi, pacem ijs legibus cũ Sy-
racusanis paciscuntur; vt Leontinis ciuitate donatis, ipsum Leontinum
municipium Syracusanum esset. Ceterum quum Leontini temporis
progressu affluente vndique multitudine, plures quàm conuenerat in
ciuitatem suam adscripsissent, & plebs agros viritim distribuẽdos armis
& tumultibus contenderet; optimates vti eum motum sedarent, Syra-
cusanos in auxilium vocant, & plebem vrbe atque agris eijciunt: qua in- C
certis passim sedibus vagante; optimates Syracusanorum sese clientes
professi, domibus solo æquatis, & desertis, Syracusas veluti ciues habita-
tum concessere. Atqui huius facti breui ipsos pœnituit: relictaque Syra-
PHOCEA. cusarum vrbe, locum quẽdam Leontinæ vrbis Phocea dictum capiunt:
BRICINNIAS ARX. deinde Bricinniã arcem agri Leontini munitissimã occupant: quumq;
plurimi è plebe extorres sese adiunxissent, facilè se tutabantur, & vim ar-
maque illata propulsabant. Athenienses interea qui nondum Siciliæ in
potestatem redigendę cogitationem ac spem deposuerant, hac opportu-
nitate vsuri, Phæacem legatum cum aliquot nauibus mittũt, qui Leon-
tinos ablatis auxilijs ad arma contra Syracusanos sumenda excitaret. sed D
ea Legatio frustra fuit; Leontinis pacem se cum Syracusanis constanter
seruare velle respondentibus. Coaluit itaque ipsorum iterum in
otio respublica: donec sub Dionysij Tyrannide Syracusanorum opti-
ICETAS LEONTINORVM TYRANNVS. mates seruitutis impatientes, ad Icetam qui Syracusis oriundus Leonti-
nos paulloante dominatione sua occupauerat dilapsi, eidem persuade-
rent, vt pro Libertate patriæ vnà cum ipsis arma contra Tyrannum ca-
peret. Icetas vt erat dominandi cupidus; Syracusarum quoque domina-
tionem eiecto Dionysio se inuasurum cõfidens, quò cupiditati suæ sub-
sidium aliquod arcanum quæreret, clam societatem cum Pœnis coit; vt

communibus

A communibus opibus & copijs Tyrānum expellerent: ſubſidia verò quę à Corinthijs duce Timoleonte Syracuſanis decreta erant; vt non neceſſaria, vtpote Syracuſanis iam à ſuis vti videri volebat, in libertatem aſſertis, ne mitterētur per litteras petijt. Mox opportunitate oblata vſurus Syracuſas obſidet: verùm à commeatu deſtitutus, obſidionem ſoluere coactus eſt. Dionyſiani Icetæ agmen dum progreditur à tergo laceſſere & inſultare; ipſe verò conuerſis ordinibus Dionyſianos profligare, & fugientium veſtigia vrgere: victoriaq; potitus, Acradina, Neapoli & Tyche tribus Syracuſarum partibus proſpero ſucceſſu occupatis, Dionyſiū in arcem fugatum terra mariq́ue obſidere aggreditur. Ceterum Timo-

BELLVM CONTRA DIONYSIVM SYRACVSANVM.

B leon haud multò poſt cum auxilijs ſuperueniēns, Icetam ex vrbe eiecit; ipſum verò Dionyſium in exſilium ire coëgit. Icetes fatum Timoleontis quod Tyrannis exitioſum videbat; veritus, fuga Leōtinum petijt, & vrbis ſeſe mœnibus incluſit. Timoleon autem huius quoq; dominationem frangere cupiens, iuſto cum exercitu in Leontinos mouet: ceterum quòd ea vrbs valido & copioſo præſidio inſtructa, mœnibus inſuper ac propugnaculis munitiſsimis defenderetur, obſidionem ſoluere coactus, vt totis ſe viribus contra Pœnos, qui iam Siciliam populabundi inuaſerant conuerteret, pacem cum Iceta facit. Mox ſimulatque Pœnorum copias vnà cum ipſis ducibus ad Criniſium amnem ſtrauiſſet,

C Icetes & Mamercus Catanenſium tyrannus, violato quod cum Timoleonte inierant fœdere, ſibi rebuſq́ue ſuis à Timoleonte metuētes, à Carthaginienſibus, vti nouum in Siciliam exercitum mitterent, oblata ſocietate obtinuerunt. Eam vlturus perfidiam Timoleon, in Icetam iam tunc in Calabria igne ferroq́ue graſſantem mouit; prælioq́ue congredi auſum ad Damiram flumen ſuperat; fugā elapſum & Leontinum repetentem perſequitur; vrbeq́; expugnata, viuum vnà cum Eupolemo filio captum ex populi iudicio, capitis ſupplicio afficit; cadauer tamen ſepulturæ permittit. Vxorem verò ac filias Icetæ eo quòd ipſe Aretam Dionis vxorem ſororemq́ue eius Ariſtomachen, ac filium infantem in mare

D demerſerat, Syracuſanorum iudicio & poteſtati, vt in eaſdē ſimile acerbitatis exemplum ſtatueretur, ſubiecit: atque eo ferè modo Leontini quoque Timoleontis opera à Tyrānide liberati. Ceterum varijs deinde cladibus & grauiſsimis iniurijs ab Agathocle vexati fuēre. Is enim vnà cum Murgantinis apud quos exſulabat, vrbem ex improuiſo adortus eam diripuit; quo dolore Leontini irritati paullopoſt ab eodem aduerſis caſibus fracto ad Amilcarem Pœnorum ducem defecerūt: miſsis interim & Xenodico Agrigētinorum duci auxilijs, quibus adiutus eorū qui ſub Agathocle magna cum licentia meruerant rapiendi prædandiq; libidinē coerceret. Agathocle defuncto, & ipſi à Pœnis laceſsiti, vnà cum

LEONTINI A TYRANNIDE LIBERATI.

Syracuſanis ad Pyrrhi Epirotarum regis fidem & ſocietatem trāſierunt: A
Pyrrho autem infectis rebus è Sicilia ad ſociorum defenſionem contra
Romanos in Italiam reuerſo, fœdus cum Syracuſanis & amicitiam ſan-
xerunt: mox bello Punico primo (quod Romanos & Pœnos varijs cla-
dibus per annos viginti quattuor exercuerat) poſtquam Pœni pacem cū
Po. Ro. feciſſent, hoc quoque legibus pacis adſcriptū fuit; ne Pœni poſt-
hac Hieroni regi ſocio Po. Ro. aut ſocijs eius, inter quos Leontini cen-
ſebantur, bellum, iniuriam aut vim inferrent. Felicia itaq; Leontino-
rum reſpublica ſub Hieronis auſpicijs ad proſperitatem incrementa ac-
ceperat, donec Hieronymus Hieronis filius Syracuſanorum Rex, qui
neglectis Romanis ac prauis adulatorum conſilijs corruptus rem Syra- B
cuſanam ad Pœnos transferre ſtudebat, in Leontinos cum quindecim
peditum millibus & mille equitibus profectus, dum in arcem conten-
deret à coniuratis oppreſſus cōfoderetur. A cuius cæde quum tam apud
Leontinos quàm Syracuſanos tumultuaretur, Marcellus conſul vt eum
motum opprimeret, dum per Leōtinorum agros Syracuſas petit, Leon-
tini præſidium à Syracuſanis petierunt. Syracuſani itaque, non tam in
Leontinorum ſubſidium, quàm vt vrbem ſuam à factioſa & irrequieta
militum turba exonerarent, Hippocratem cum quattuor trāsfugarum,
totidemq; mercenariorum millibus Leontinis miſere, quæ res primùm
grata Leōtinis inde niſi Marcelli iuſtitia ſaluti fuiſſet, ipſis exitioſa fuiſ- C
ſet. Hippocrates enim nouarum rerum cupidus, quum primùm Le-
ontinum ingreſſus eſſet, finibus eorū qui cum Po. Ro. fœdus aut ami-
citiam coierant per excurſiones vaſtatis, præſidium inſuper ad agros ſo-
ciorum tuendos à Romanis impoſitum trucidat. Hinc Marcellus per
Legatos cum Syracuſanis egit, vt Hippocratē amicitiæ Romanæ viola-
torem & pacis turbatorem Sicilia abire iuberent. Hippocrates interea
Leontinos vanis promiſsis implet, atque ad defectionem impellit: Mar-
cello verò reſponſum à Syracuſanis per Legatos; quia neque Leontini
neq; Hippocrates amplius in ipſorum poteſtate eſſent, ipſe de ijſdem
ſtatueret: atque armis eos ad imperium cogeret: ſeſe & militem & reli- D
quas copias in eam condicionem offerre, vt poſtquam Leontini armis
ad imperata redacti eſſent, Syracuſanorum vti antea fuerant, clientes eſ-
ſent. Placuit Marcello condicio euocatoq; collega Ap. Claudio Leon-
tinū obſidione cingit: inde vrbem ſumma vi à duabus ſimul partibus
adortus, eandem magno militum ardore vſus, vti commilitonum iniu-
riam & cædem vlciſcerentur, primo impetu capit. Ceterùm in capta vr-
be graſſari vetuit, nec quenquam ciuium violari permiſit: transfugas ta-
men ſi quos nanciſci potuit, virgis cæſos, in crucem egit: eiectoque Hip-
pocrate præſidium Romanum Leontinis impoſuit. Inde Syracuſis intra
triennium

LEONTINVM A MARCELLO CAPTVM.

A triennium expugnatis, quum regnum Hieronis à Læuino Consule ex decem Legatorum sententia & consilio in prouinciæ formam redigeretur; ipsi quoque Leontini, vt nihil vnquam bene de Po.Ro. meriti vectigales facti; agerque ipsorum in præcipuũ certissimumque plebi Romanæ annonæ subsidium decumanus iudicatus est. Vrbis verò nomen nonnulli à populi frequentia deducunt: id enim paulisper deflexum ἐκ τῦ λέως κτήνεων & conflatum vocabulum sonare videtur. Ipsa tamen Leontinorum numismata, in quibus plerumque tum leones tum leonum rictus videre est, (incertum qua de causa illud ab Herculis de quibus diximus insignibus repetamus) & genuina Græcanicæ deflexio-
B nis ratio à leone vocabuli originem traxisse testantur. Quod ad Leontij vrbis in superficie totius terræ globosa situm pertinet, is XXXIX. temporibus ab insulis fortunatis, XXXVII s. ab æquinoctiali difinitus est.

KATANAIΩN.

CATANA Chalcidensium è Naxo Colonia.

CATANA Chalcidensium è Naxo profectorum vrbs Leontinorum agris vicina erat; quæ ea qua Euronotum respiciebat plaga mari Ionio obuersa, ceteris verò ad radices AEtnæ montis, cui subie-
C cta erat, extenditur. Chalcidensium namque pars altera nono postquã Naxum condiderant anno, sedes suas, quòd paludum ac fluminum ex AEtna erumpentium eluuionibus, aër grauis & pestilens moueretur, deserere coacta, hunc sibi locum eodem ferè tempore quo reliqua pars in Leontinos (vt meminimus) profecta erat, delegerunt; coloniamq; duce Euagrio deduxerunt. Variant tamen auctores; sunt enim qui Catano duce deductam, & ab hoc vrbem Catanã dictam malint. alij verò Theoclem ducem ac auctorem coloniæ produnt. Hiero senior Syracusanorum tyrannus Catana vrbe expugnata, expulsisque ciuibus, colonorum decem millia partim ex Megarensibus & Gelensibus, par-
D tim ex Syracusanis, cõscripta, distributo viritim agro ad hanc vrbem incolendam deduxerat; Doricisque & Laconicis legibus & institutis exornauerat: & vt veluti nouæ vrbis conditor haberetur, abrogato Catanæ nomine, AEtnam eam deinceps appellari voluit: idque tanto studio, vt se quoque ciuem AEtneum dici & salutari, imo & in Olympicis victor non Syracusanum se aut Gelensem, quanquam ex Gela oriundus esset, ceterùm noua ambitione AEtnæum etiam per præconem pronunciari iusserit. Quumque idem Hiero originem suam à Lindijs Rhodi populis repeteret, ipsiq; Rhodo caput solis radijs cinctum pro insigni fuerit, verosimile est, hinc & Catanensium nummos parte aduersa solis caput,

CATANÆ ORIGO.

AETNA VRBS.

put, auersa autem Hieronis victoriam (ter enim vicit semel quadrigis, bis celete) exprimere. A

CHROMIVS CATANAEORVM PRAEFECTVS.

Catanensibus Hiero Chromium, quem ob singularem modestiam, probitatem ac fortitudinem diligebat praefecerat; qui & ipse in Pythijs victor, vt patria AEtnæus proclamatus est, Catanenses autem quos Hiero patrijs sedibus expulerat, in Leontinorum rempublicam adscripsit. Fato deinde in hac vrbe functus, funere non minori à ciuibus elatus est, atq; si vrbis ipsius conditor fuisset. Morte eius euulgata, Catanenses quos in Leontinorum ciuitatem transscripserat, patriæ amissæ desiderio æstuantes, arma sumunt, nouos colonos eijciunt; tyranni tumulum euertunt, pristinumq; vrbi suæ Catanæ nomen restituunt. Coloni Catana expulsi, incertis aliquamdiu sedibus vagati, Inuessam tandem ad AEtnæ montis radicem duodecim à Catana. M.P. condiderunt, AEtnamque & hanc veluti Hieronem eius conditorem asserentes, appellarunt. B

INVESSA.

Ipsius verò Catanæ vrbis situs ita sese habebat; vt Amenas fluuius, pleno in eam alueo illaberetur, qui ex radicibus AEtnæ montis, occulto tamen nec hactenus satis perueſtigato fonte profluit. Hic amnis obturatis fontium venis, totus aliquando per aliquot annos euanescit: rursusque subitò nonnunquam & alterno postquam se condiderat anno, æstu erumpens, ex crasso ac graui aëre pestilitatem vrbi aspirat: aut agrorum plana inducta sterilitate inundat. Ager namq; Catanensis amplissimam habebat planiciem, eamq; frumenti feracissimam, quæ si quando Amenæ exundationibus stagnaret, totæ propemodum Siciliæ famem minabatur. Colles verò agri Catanensis, igneo ex AEtna profluuio, & cinere quem subinde euomit resperſi, vini & segetum prouentu veluti lætamine stercorati, luxuriabant. C

AMENAS FL.

TERIAS FL.

Via autem Leõtina octo M.P. à Catana, Terias fluuius in mare sese exonerat, piscium q; copia & salubritate commendatur. vltra Teriam quatuor M.P. Symethus amnis in agro Leontino celebris est. ad eius namq; fontes vti Poëtæ produnt, Iupiter Thaliam nympham compressit: quæ ex eodem gemellos peperit Palicos dictos: q'orũ numina Siculi regiæ religiosè colebant, ac per oracula consulebant. Refertur res mira auditu & vix fidem apud posteritatem inuentura, nisi auctoritate Aristotelis confirmata esset: quod si quando lis aliqua sacramento dirimenda esset, is qui ad concepta verba iuraturus erat, eadem verba in tabulis à se conscripta & obsignata, in fontem Palicis sacrum immittebat; quæ si iustum foret quod iuraturus esset, fluitabant; sin dolus subesset statim mergebantur, atq; is qui peieraturus erat flammis quæ è fonte prorumpebant correptus, in cinerem soluebatur. alij hanc historiam paullò aliter, sed ferè ad similem euentum prodiderunt. Ab ostio Symethi flumis oram littoralem quæ ad Leontinos vsq; pertinebat, Xuthiam olim D

SYMETHVS FL.

PALICI DII.

XYTHIA REGIO.

à Xutho

A à Xutho AEoli filio, qui huic regioni dominabatur dictam fuiſſe obſeruo. Catanam verò ad ea litora, quibus Naxus petebatur, portum aliquando habuiſſe inſignem. Sed poſtea AEtnæ profluuio cineribus, pumicibus vaſtiſsimisque ſaxis obſtructum à ſcriptoribus proditum memoriæ eſt. Tria in vrbe Theatra fuére; fuit & Sacrarium Cereris in quo Deæ ſignum perantiquum in intimis penetralibus erat: ad quod viris aditus non patebat; ſacraque per mulieres ac virgines conficiebantur. Adhæc Gymnaſium honeſtiſsimarum ac liberalium artium & diſciplinarum; quod Marcellus Syracuſis captis erexerat. Thermæ quoque in eadem erant columnis & epiſtylijs marmoreis ornatiſsimæ. Horologij

SACRARIVM CERERIS.

B vſum, primo bello Punico M. Valerium Meſſallam ex Catana Romam induxiſſe proditū eſt. Catanæos antiquitas ab equeſtri militia cōmēdat; item & ab eruditione, ab opibus, & omniū rerum copia. Summus apud eos magiſtratus fuit, quē Proagorum vocabāt; celebrantur & duo fratres germani Catanēſes ob inſignē in parētes pietatē Anapias & Amphinomus. nā quum AEtna flāmis lōgè lateq; graſſaretur; alter patrem, iſte matrē quos ſenium retardabat, humeris exceptos per medios ignes, cedētibus etiā tam pio facto flāmis extulerunt grata ad poſteritatem ea officij memoria fuit: loca namq; piorū campū vocarūt: & fratribus defunctis ſolēnes ludos, quos magna pōpa maximoq; totius Siciliæ

C cōuentu quotānis deinceps celebrarent dedicauerunt. Ceterùm Catanæi quamuis ſocietatē contra Athenienſes cum Syracuſanis coiiſſent: quorundam tamen calliditate perſuaſi, Alcibiadem, Niciam & Lamachum Græcorū duces excluſo exercitu in vrbem admiſerant: quumque Alcibiades pro concione omnium oculos & animos in ſe conuertiſſet, milites perfractis proſtratiſque per vim portis in vrbem irrumpētes, Catanenſes ad deditionem & ſocietatem cogunt. Cātanam inde Athenienſes belli ſedem, nauiumque ſtationem & commeatuum horreum ac tutum perfugium habuerunt. Hinc ager Catanenſis frequēti Syracuſanorum populatione vexabatur: donec Nicias & Demoſthenes

RES GESTAE A CATANENSIB.

D Atheniēſium duces à Gylippo Lacedemonio ad Lepada collem profligati, Catana prohiberentur; nec multo poſt Catanæi cum Syracuſanis pacem facerent. Tandem quum Timoleon Syracuſanorum libertatē contra Dionyſiū propugnaret, Mamercus Catanæ Tyrannus, vir opibus & rerum peritia clarus, cum Timoleonte ad Dionyſium opprimēdum fœdus percuſsit, & ſtipendium militibus ſuis accepit. Ceterùm ſimulatque repentina maximaque Timoleontis incrementa, ſuæ quoque dominationi exitioſa metuere cæpit, violata pace Syracuſana ad Icetam Leontinorum tyrannum & Pœnorum duces defecit: quæ perfidia non diu inulta remanſit. Timoleon namque interfecto Iceta & reſtitutis

in libertatem Leontinis, totus ſeſe in Mamercum conuertit: qui contractis vndiq́ue copijs, in agro qui inter Teriam & Symæthum fluuios medius eſt, cum Timoleonte dubio aliquandiu Marte congreſſus, funditur tandem fugaturq́;. Cæſorum numerus tria millia Pœnorum, qui à Giſcone miſsi fuerant, referebantur. Mamercus itaque à ſuis deſertus in Italiam, vt Lucanos in Timoleontem concitaret, traijcit. Ceterùm Catanenſes interea poſtquam ſe Timoleonti dedidiſſent, ab eodem libertati reſtituti ſunt, Mamercus nec à Lucanis receptus atque alijs vndique auxilijs nudatis, rebus deploratis ad Hipponem, qui Meſſana à Pœnis occupata Carthaginiẽſis ibidem præſidij prę̃fectus erat, ſupplex profugit. Verùm Timoleon expugnata Meſſana, Mamercum in poteſtatem redactum, & Syracuſani populi iudicio condemnatum capitis ſupplicio affecit. A nonnullis memoriæ proditum eſt, etiam ante hæc tempora Catanenſes à Syracuſanis grauiter preſſos Athenienſium auxilia petijſſe & impetraſſe, atque ijs initijs, graue illud & mutuis cladibus diu anceps bellum, quod inter ſe Syracuſani & Athenienſes geſſerunt, ab ijſdem commotum fuiſſe. Poſtea tamen ſiue quòd eos iam tædium belli ceperat, Siue quod tantæ Syracuſanorum vires terrori eſſent, pacẽ cum Syracuſanis feciſſe. Ceterùm quum paullò poſt à Syracuſanis violata pace, iterum laceſſerentur, Legatos denuò Athenas miſerunt, qui ſordidati, capillo barbaq́ue promiſsis atque omni ſqualoris habitu deformati, populum ſupplices ad commiſerationem mouentes, impetrarũt vt maxima decerneretur claſsis; & tres ſimul duces Nicias, Alcibiades & Lamachus, crearentur: qui vti in Syracuſarũ hiſtoria proſequuti ſumus, à Gylippo partim ſuperati, partim cæſi per biennium cupidius quàm felicius bellum geſſerunt. Auctores habeo, qui Catanenſes à Dionyſio ſeniore per Arceſilai vrbis præfecti proditionem intempeſta nocte intra mœnia admiſſo, magna clade vexatos; ciues in poteſtatẽ redactos; captiuoſq́ue Syracuſis ſub haſta venditos prodant. Catanenſibus autem vt ſupra retulimus, à Timoleonte libertate donatis, otium fuit: donec Agathoclis iniurijs & ſeuitia laceſsiti, ad Pœnorum ſocietatem cum ceteris Siciliæ vrbibus tranſirent: mox & Mamertinorum qui Meſſanam occupauerãt, excurſionibus vexati, ab Hierone ſecundo armis protecti, ſeſe eius poteſtati permiſerunt. Ceterùm quum à M. Valerio Læuino Conſule ex decem Legatorum ſententia, ea quoq; Siciliæ pars quà regnum Hieronis fuerat in prouinciæ formam redigeretur, obſeruo Catanam quoque inter fœderatas ciuitates ea lege receptam, vt ager ipſorum decumanus & vectigalis eſſet. argumento eſt, quòd Q. Cæcilio Metello. T. Quinctio Flaminino Coſs. quum AEtna vltra ſolitum flammas & fauillas eructans, tanta copia cinereum profluuium effudiſſet vt Catanæ

CATANENSES LIBERTATI RESTITVTI.

CATANENSES VECTIGALES PO. RO.

A tanæ ædium tecta feruidis cineribus aduſta, prægrauataque corruerẽt. Senatus Populuſq; Ro. vt eam Catanenſium cladem mitigaret, ijſdem decem annorum vectigalia remiſerit. compoſita inde republica, quanquam Verris Prætoris, auaritia & rapiendi libidine interim vexata, otiũ tamen habuit: donec bello ſeruili à fugitiuorum manu turbata à M'. Aquillio ciuitatis ſtatus iterũ cõponeretur. Bello inde Siculo, quod contra Sex. Pompeium Octauianus geſsit, Pompeius Catanam adortus, militibus ſuis diripiendam præbuit. Ceterùm quia ante profligatum bellum ad Cæſaris fidem Catanenſes defecerant, & ſtrenuam in prælio nauali, quo Pompeius ad Mylas à M. Agrippa auſpicijs Auguſti victus B eſt, operam nauauerant; & Cæſaris exercitum inopia, & cæli inclementia fractum benignè habuerant, Catana in amicitiam ab Auguſto recepta, & libertate inſuper donata eſt. Tãdem victo eiectoq; è Sicilia Pompeio, Auguſtus militarem eò Coloniam deduxit. vrbe conſtituta & legibus acceptis Selurus quidam Siculus, vaſtitate corporis ſtolidè ferox AEtnæ ſeſe filium mentitus, copijs ex fugitiuorum & aratorum turba contractis, Catanenſium & ceterarum ad AEtnam montem vrbium agros vaſtare cæperat: ſed is ſtatim priuſquam inualeſceret à Prætore Siciliæ prælio fractus, quum viuus in poteſtatem veniſſet, ex Auguſti mãdato in arena feris obiectus, & ab ijſdem diſcerptus traditur. Atque ha- C ctenus ea quæ de Catanæ ſitu, republica & ſtatu ex antiquis monumentis colligere potuimus compendio complexi ſumus. Obſeruo Charondam, qui ſapientia & legum prudẽtia apud idoneos auctores celebratur ciuem Catanenſem fuiſſe, & inter celeberrimos legiſlatores laudẽ magnam eſſe promeritum. Neque enim ciuibus ſolùm ſuis ſed & ceteris, quæ circa Siciliam & Italiam erant Chalcidenſium ciuitatibus leges conſcripſit. Eundem ab ingratis ciuibus (cauſſa non traditur) pulſum Rheginis, inde ipſis etiam Athenienſibus leges ſcripſiſſe fertur. Catanenſibus tamen ſiue AEtnæis ſuis etiam Hieronem leges æquiſsimas dediſſe, præfecto ijs Dinomene filio, memoriæ proditum eſt; eaſque D ſumma æquitate ad normam ſiue lancem Lycurgi legum examinaſſe; quod per Symbolum in numiſmatibus Catanenſium, in quibus virgo ſtateram ſiue bilancem manu librat, expreſſum fuiſſe haud improbabili coniectura credere licet. Huc fortaſſe etiam pertinet, quod Pindarus Hieronem, AEtnam quæ Catana erat ad leges Hyllidæ libræ conſtituiſſe canat. Rationem nominis Catanæ nonnulli ad Catanum Coloniæ (vt diximus) conditorem referunt. Variant tamen alij, qui nominis originem ex vocibus τὰ κατὰ καὶ ἄνω confuſis ſumunt; deducta ex ſitu vrbis vocabuli cauſſa, eò quod Catana ab AEtna degredientibus in procliui planicie ſita ſit. Sunt & qui nomen eius inde factum opinentur, quòd

VECTIGALIA CATANENSIB. REMISSA.

CATANENSIVM BELLO SICVLO STATVS ET CONDITIO.

CHARONDAS CATANENSIS.

HIERONIS LEGES.

Catana eo loci condita sit, vbi Theocles ad Amenam flumen, quum cō- A
dendæ vrbi sedem quæreret nauē appulisset: quasi κατα ναὺν, hoc est iuxta nauem esset condita, idq; si Doricè pronuncies Dores enim ναν pro ναυν efferunt. distabat vrbis situs secundum globosam terræ superficiem ab insulis fortunatis XXXIX. s. temporibus : ab AEquatore versus Arcticum XXXVIII, s.

ΑΔΡΑΝΙΩΝ.

ADRANVM Syracusanorum Colonia.

ADRANVM mediterraneam Siciliæ ciuitatem à Dionysio se- B
niore, Olympiade nonagesima quinta, in honorem Adrani tutelaris Siciliæ numinis, cuius eo loci templum & oraculum celeberrimū

ADRANVM CONDITVM. erat, ad AEtnæ montis radicem fuisse cōditam memoriæ proditum est. Exiguam quidem vrbem, ceterùm loci & luci religione à Siculis frequētatam & cultam, & eiusdem nominis fluuio celebratam fuisse obseruo. Templum insignè & oraculorū frequentia, & numinis propitij facilitate clarū fuit. Canes Adrano deo mille numero sacri erant, forma & magnitudine Molossis pares vel maiores: ita edocti vt interdiu peregrinis & indigenis qui lucū téplumq; ingrederentur adularentur: noctu verò, ebrios aut à via aberrātes, veluti officij causſa præeuntes domū deduce- C
rēt: impios autē aut sacrilegos, aut qui furandi vel rapiendi studio vagabātur ferocissimè dilaniarēt. Dionysiū ex Syracusanis Colonos Adranū deduxisse, argumēto esse poterit, quòd quum Icetas Leontinorū tyrannus, Dionysio bellum mouisset, vt eum è regno eijceret, ceteris spe libertatis ad Icetam deficientibus, Adranij ob necessitudinē quæ ipsis cū Syracusanis intercedebat quòd clientes & Dionysij patris essent, eius societatem recusarunt. Qua contumelia vti ipse interpretabatur, irritatus Icetas, tum quòd Corinthiorum amicitiam ambire ipso spreto dicebātur, delectis quinque armatorum millibus, quum iam vrbe Syracusarū magna ex parte potitus esset in eos mouit. saluti Adranitis fuit quòd Ti- D
moleon à Corinthijs missus vt tyrannos è Sicilia expelleret, à Tauromenitanis benignè acceptus appulisse nunciabatur. Ad eum Adranij quibus Icetæ vires terrori erant Legatos mittunt: Timoleon legatione benigniter audita, & capto tempore mille trecentos secum milites in expeditionem rapit: aberat à Tauromenio Adranum XLII s. M.P. adhæc via aspera & fragrosa AEtnæ quoque cineribus squalescebat: Ceterum Timoleon properandum sibi ratus, binis castris ad hostem peruenit: quem postquam de via ex recenti itinere fessum, partim palantem, aut castra metantem, partim & profundo ex defatigatione somno sepultum inue-

ADRANVM SYRACVSANORVM COLONIA.

nit,

A nit, toto impetu in diſperſos atque imparatos irruens, non ſolùm caſtris exſuit, ſed & trecentis trucidatis, ſexcentis in captiuitatem abreptis, reliquos fuga diſsipatos profligat. Adranij virtute Timoleontis primi omnium à ſeruitute liberati, eundem omni genere aggratulationis exceptum in vrbem deducunt. Et huius tam letæ victoriæ Adranij ab Adrano deo ſuo tutelari prodigium tale ſibi factū fuiſſe affirmabant. Adranum ſcilicet oſtijs templi ſponte patefactis, teli quod manu tenebat, cuſpidem vibraſſe: ipſum dei ſignū ſudore copioſo maduiſſe. quod oſtentum ſacerdotes non ſolū præſentis victoriæ, ſed & ſequuturæ omẽ feliciſsimum Timoleonti interpretabantur. Timoleon religione com-

ADRANII SERVITVTE LIBERATI.

B motus, vt quoque ſe deum Adranum venerari oſtenderet, eiuſque numẽ ſibi propitiaret, more gentis, eidem Deo ſacris operabatur, quum duo percuſſores ab Iceta immiſsi paſtorum habitu vt cuſtodes fallerẽt in lucum ingreſsi, eundem ad aras dei obtruncare conantur. factum numinis benignitate creditur, vt alter percuſſorum per errorem, pro Timoleonte Leontinum quendam patricidam qui aris adſtabat & ex Timoleontis contubernio erat, cæderet, ſeque mox celeri inde fuga incolumis eriperet: Alter verò dum Timoleonti telum intentat captus, quia inſidias eidem ab Iceta paratas & percuſſores immiſſos indicabat, vita donatur: alteri verò quia patricidam vltore, vt interpretabantur Deo peremiſſet, ve-

C nia tentati ſed non perpetrati facinoris conceſſa eſt. Timoleon tanto ereptus diſcrimini, & recenti inſuper victoria, tanquam fœliciſsimo ad res benè gerendas auſpicio confirmatus: Tyndaritanis quoque ſocietate ſibi coniunctis, ex ijſdem & Adranitis auxilia conſcribit: & Syracuſas verſus exercitum mouet; primoque impetu Tycham capit.

Ceterum quod ad ſitum aut rempublicam Adranitarum pertinet, nihil vlterius apud idoneos auctores (quantum nobis quidem compertū eſt) exſtat: niſi id ſolum, quod eo tempore, quo Sicilia in Prouinciæ formam redacta fuit, Adranitæ ſtipendiarij facti ſunt: quod arguit eos, aut in Punicis aut Sicilienſibus bellis amicitiam Populi Ro. ſequutos non

ADRANITAE STIPENDIARII POP. ROM.

D fuiſſe; aut inter alios ſeptemdecim Siciliæ populos, vt acriores Po. Ro. hoſtes, ita etiam inclementius ab eodem tractatos. Supra Adranum vrbem, Teriam flumen ex duobus alueis in vnum confluere; adhæc frequentibus & maximis qui in Adranitano agro erant fontibus, ipſoque Adrano fluuio vrbi cognomini augeri; adhæc anguillis omnium ſalubertimis & laudatiſsimis abundare ſcriptores prodiderūt: quod forſitã etiam numiſmata Adranitarum, anguilla in ijſdem expreſſa teſtari voluerunt. Verùm quod eorum quæ etiamnum ſuperſunt, Adraniorum numiſmatum Typi maximam cum Locrenſium numiſmatibus affinitatem habeant, vt vrbs ipſa Adraniorum à Dionyſio ſeniore condita

TERIAS FL.

fuerit, Doris autem eiuſdem Dionyſij vxor & mater iunioris, ex Locris oriunda erat: expendendum Lectori & cogitandum relinquimus, num Adranitæ in Doridis gratiam, aut ex Dionyſij conditoris imperio, vt ſeſe Locrenſium clientes teſtarentur, in publicis numiſmatum monumẽtis eiſdem typis ac ſymbolis, quibus Locrenſes, vſi fuerunt: quod & alijs in Græcia ciuitatibus vſu veniſſe ſuo loco aperiemus, & auctoritate confirmabimus. Adranum quantũ ex Plutarcho & Diodoro colligimus à Tauromenio CCCXL. ſtadijs diſtabat: quumq; in eodẽ parallelo, quinquaginta ſex ſtadia vni AEquatoris tempori congruant: eius longitudinem comparatione ad Tauromenium facta, cõficiemus eſſe quadraginta & ſecundum globoſam terræ ſuperficiem, eius latitudinem triginta octo temporum definiemus.

A

B

TAYPOMENITAN.

TAVROMENIVM Naxionum Colonia.

TAVROMENIVM ex ruinis Naxij vrbis (quæ Græcarum in Sicilia antiquiſsima fuit, & à Dionyſio ſeniore euerſa) itidem ex ciuibus Naxijs duce Andromacho, viro vt opibus ita & prudentia claro, Timæi hiſtorici patre, conditum fuiſſe ad Taurum AEtnæ montis ramentum Olympiade centeſima quinta, C. Licinio Caluo, C. Sulpicio Petico Coſs. anno ab vrbe cond. CCCXCIII. apud auctores idoneos memoriæ proditum eſt. Collis enim qui vrbi condendæ imminebat, Taurus à Tauri ſimilitudine dicebatur: à tergo Alpes Tauromenitanæ perpetuo iugo ad AEtnam pertinebant: ipſa vrbs in monte prærupto & aſpero, medijs in rupibus, quæ partim in mare ſubiectum decliues, partim in altiſsimum elatæ præcipitium eam vndique cingebant, qua tamen ſubſolanum reſpiciebat interruptis, & interciſis ſcopulis in vaſtam profunditatem dehiſcentibus, loco & natura & ſitu munitiſsimo cõdita erat. Verùm quia hæc vrbs ex euerſa Naxo originem duxiſſe, ciueſq; Naxij in ea quaſi renati videbantur, Naxi nomine eandem pro Tauromenio auctores nuncupare conſueuerunt. Ceterùm vt Andromachus Tauromenij conditor ſe quoque religionis antiquæ rationem habere teſtaretur, Appollinis Archagetę ſignũ ſecum à Naxo extuliſſe, templumq; ipſi apud Tauromenitanos (quod etiam numiſmata ipſorum & Symbolo & nomine teſtantur) extruxiſſe ſcribitur. Theoclem enim eodem quo Naxon condiderat anno, aram Apollini Archagetæ, cui & vota nuncuparent, & à quo oracula Naxij peterent erexiſſe veterum monumentis teſtatum eſt. Ager verò Tauromenitanus vini apud ſcriptores celebratiſsimi, & quod in triũphalibus cænis,

TAVROMENIVM CONDITVM.

APOLLO ARCHAGETES.

VINVM TAVROMENITANVM.

C

D

nis,

A nis,pontificalibus alijſque ſolennibus epulis pro Mamertino ſupponi ſolebat,feraciſsimus erat. Colles vitem & vuam,à generoſitate Eugeneiam vocatam producebant: quæ quoniam natiuo ſolo, vtpote feruenti & calido gaudebat; aliò tranſlata, nullo lætius quàm Albano in Italia proueniebat: ceteris verò agris vel aceſcebat, aut ab innata ſuauitate degenerabat. Hinc Tauromenitani in numiſmate ſuo vua Apollinis Citharæ appoſita,eam vuę generoſitatem vt ſibi propriam aſſeruiſſe videntur. In mari verò quod littus Tauromenitanum alluit,nulli omnium laudatiſsimi & Romanorum delicijs exoptatiſsimi capiebantur.In eodem Litore Euripus ſæpius die ac nocte quam in Euboea ille
B qui ſepties intra viginti quatuor horas, reciprocabat, & ea quæ à Charybdi vorticoſis vndis inuoluta & demerſa abſorbebantur, eo loci reuomebantur: qua ratione Coprian à fimo eum locum à Grȩcis fuiſſe nuncupatum obſeruo: A Tauromenio degreſsis, ad ſiniſtram ſiue auſtrum verſus, ſecundum ſinuoſi Litoris oram per duo M.P. Cherſoneſus nõnihil in mare promiſſus Naxi vetuſtiſsimæ vrbis ruinas oſtendebat.Ceterum quia Naxi mentio ſæpius incidet, & ex eadem paulò poſtquã cõdita fuit, plures coloniæ Leontinum nimirũ & Catana, vt iam diximus, adhæc Callipolis propagatæ ſint: nunc etiam Tauromenium ex eiuſdẽ quaſi ruinis enatum; operæprecium fuerit breui enumeratione eiuſdem
C vrbis initia, ſitum & interitus cauſſam referre. Theocles ita- THEO-CLES.
que Athenienſis,quum procellis & vi tempeſtatum in Siciliam exſcenſionem facere coactus,inſulæ fertilitatem, & cultorum ſolitudinem exploraſſet, Athenas repetit: ciuibus ſuis auctor fit, vt coloniam eò deducerent:ſed quum non perſuaderet, acceptis ex Eubœa magno numero Chalcidenſibus,partim Ionibus,partim Doricis,& præcipuè Megarenſibus iterum in Siciliam vela facit. Fuit is annus (niſi fallunt Chronologi) Olympiadis quintæ ſecundus; quum quarto eiuſdem Olympiadis Syracuſæ,ab Archia occuparétur: Septimo antequam Romulus vrbem conderet anno. Theocles ſtatim vt in terram deſcendit, tribus ab
D Aceſinis fluuij oſtio paſſuũ millibus,in flexu eius quam diximus cherſoneſi Naxon condidit:mox & Archagetæ Apollinis,cuius oraculo ad NAXOS CONDITA.
ſecundum nauigationis curſum proſperè vſus fuerat,aram erexit. ſequẽti deinde tempore fanum quoque Veneris celeberrimum extra vrbem Naxij conſtruxerunt.Ager Naxius, quum campeſtri planicie ab AEtna monte decliuis longo tractu porrigeretur,frequenti Aceſinis fluuij aliorumque torrẽtium è niuibus in AEtna ſole ſolutis inundatione ſtagnabat, aut cœno & illuuie aquis in alueum relapſis tectus grauem & peſtilentem ciuibus aërem exhalabat. Hinc factum vt quamuis ea ciuitas ſtatim & ab exordio in magnam ſeſe amplitudinem extendiſſet, præcipua

pũa tamen ac maior Naxiorum pars, vt aëris inſalubritatem euitarent, A quincto vt Polybius; ſeptimo vt Thucydides ſupputat anno, Theocle duce Leontinis pulſis vrbem ipſorum & agros occuparent. Biennio inde proximo, quum reliqua quoque ciuium pars Naxon ob aëris inclementiam atque inſolentiam deſerere cogeretur, Catanam quoq; viginti octo à Naxo paſſuum millibus, duce Euagrio condiderunt. De Callipoli apud ſcriptores antiquos excepto ſolùm nomine obſcura admodũ memoria eſt. Naxios inde Hieron ſenior, etſi eos in poteſtate haberet, quòd tamen de eorum fide dubitaret; & vt dominationis ſuæ ſubſidia vndique confirmaret, patria eiectos in Leontinos tranſcripſiſſe; & Græcos Syracuſanoſque in eam colonos deduxiſſe ſcribitur. Hinc quum B vrbs iterum coaluiſſet, anno primo Olympiadis quartæ & nonageſimæ à Dionyſio ſeniore, quia ab eodem ob tyrannidis metũ deſciuerat, Procle vrbis præfecto muneribus & pollicitationibus corrupto, per proditionem capitur in occupatam Tyrannus omni crudelitatis genere deſæ-
NAXOS EVERSA. uijt: ciues enim ſub corona vẽdidit; fortunas ipſorum militibus ſuis diripiendas conceſſit, agros Siculis finitimis diuiſit, inde vrbem funditus euerti, ita vt vix ruinarum veſtigia relinquerentur, iuſsit. Andromachus autem quotquot ex ciuibus diſperſis colligere potuit, benignè habuit; & Tauromenium ex vrbis euerſæ ruinis, vt iam præfati, & deinceps proſequuturi ſumus, condere cæpit. ſupra Naxum tribus paſſuum C millibus Catanam verſus, Aceſinis fluuij, (qui plæriſq; Aſines, recẽtio-
ONOBALA FL. ribus quibuſdam Onobala dicebatur) oſtium in mare ſeſe exonerabat. Vltra paulò maiore interuallo Acis flumen in mare irrumpit; ſic dictum quod quaſi telum arcu emiſſum cum maximo impetu & curſus rapiditate ferebatur; Ἀκίς enim Græcis telum ſignificat. Poëtarum carminibus
ACIS FL. hic fluuius celebratur: & additur fabula, quod quũ Galathea Acis pueri forma capta eſſet, Polyphemum ob id amoris ſtimulis & Zelotypia incenſum, Acim puerum peremiſſe: Neptunum cæſi adoleſcentis, commiſeratione eundem in fontem & fluuium qui nomen retineret, transformaſſe. Præterea quum Polyphemum Vlyſſes oculo orbaſſet, ipſum in D Vlyſſem fuga elapſum ex huius fluminis ripa ſaxa vibraſſe produnt. Ab antiquitate obſeruatum eſt, & recens adhuc experientia confirmat, etiãſi Acis octo ferè ſtadijs à mari, ex AEtna perpetuis ignibus flagrãte erumpat, aquam tamen habere omnium fluuiorum frigidiſsimam. Vltra eius
XIPHONIVM PROMONTORIVM. fluminis oſtium verſus orientem longa fronte in mare Ionium Xiphonium promontorium ſeſe in metam faſtigiat: cui tres in Trianguli formam ſcopuli Cyclopum nominati prætenduntur. Xiphonium promõtorium, à xiphiorum piſcium copia, quibus hoc mare abundat vocatum nonnulli opinantur. Xiphio piſci à parte roſtri ſuperiore quam

in

A in enſis formam à capite exſerit, nomen factum eſt. Is Thunno capitalis hoſtis & ipſum & ſeſe nimio inſectandi ſtudio in piſcatorũ inſidias præcipitat. Mirum quoque quod de Xiphio ab antiquitate proditum etiã nunc experientia conſtare affirmant, ſi piſcatores dum Xiphijs inſidiantur, Græco vtantur ſermone, eoſdem allici; ſin barbaro quocunq;, eoſdẽ veluti ominoſa voce deterritos dilabi. Ceterùm vt vnde digreſsi ſumus eò redeamus: ſunt qui Tauromeniũ Zanclæorum, eorum qui Hyblam incoluerant coloniam faciunt. eam controuerſiam numiſmatum antiquorũ auctoritas tollere poteſt; quæ Tauromenij originẽ procul dubio à Naxijs repetunt: argumento eſſe poterit, Apollo Archagetes; quem
B Naxij ſtatim à condita vrbe, vti ſupra diximus, vt tutelarem deum venerabantur; eundem enim & Tauromenitani in nummis ſuis, vt originem ſuam à Naxijs, eius numinis tutelaris tanquam cultu & Symbolo teſtarentur, excuderunt. Tauromenitanis ex legibus & inſtitutis Andromachi coaleſcentibus pax & otium aliquamdiu fuit: donec ſub Agathoclis tyrannide crudeliter habiti, ab eodem deficerent: quòd optimates ipſorum, ſimul & Catanẽſium quos ſub ſpecie colloquij vſq; ad ſexcentos ad ſe euocarat, quia impotenti & crudeliſsimæ ipſius dominationi ſemper infeſti fuiſſent, iugulari iuſſerat. Quumque præter Tauromenitanos reliquæ quoque Græcanicæ ciuitates eandem calamitatẽ
C perpeſſæ conſpiratione facta contra vim Agathoclis per Dinocratẽ exſulum ducem Pœnorum ſocietatem impetraſſent, hoc ſolis ferè Tauromenitanis impune fuit, quòd Agathocles contra Pœnorum duces nunc in Sicilia, mox etiam in Africa grauiſsimo bello diſtractus, eos vlciſcendi occaſione prohiberetur. Ceterùm quum M. Valerio Læuino conſule, Sicilia quà regnum Hieronis fuerat, in Prouinciæ formam redigeretur, Tauromenitanos vt quietis ſtudioſiores, nec peſsimè de Po. Ro. meritos inter fœderatas ciuitates fuiſſe receptos obſeruo: idque ea lege, vt ne decumæ eorum venirent; ne naues, nautas, ſumtuſúe in nauarchos dare cogerentur. Seruili inde bello, quod ab Euno quodã Syro & Cleo-
D ne ſeruis cum maximo totius Siciliæ motu, nec ſine varijs Po. Ro. cladibus conflatum fuerat, Tauromenitanos quoq; graui calamitate affectos fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Verum eo bello poſt triennium tandẽ auſpicijs P. Rupilij conſulis confecto, prouinciaque iterum conſtituta Tauromenitani eadem lege qua prius in amicitiam fidemque Po. Ro. recepti ſunt. Poſtea quũ Verres rapinis & flagitijs in Siciliæ adminiſtratione nobilitatus, contra fœdus quod ipſis cum Po. Ro. erat, nautas & naues ijs imperaret, plurimaque contra ipſorum libertatẽ iniquiſsimè decerneret, ſtatuam quæ Verri in foro poſita fuerat euerterunt: Baſin tamẽ manere voluerunt: quod grauius in Verrem conſultum iudicarent, ſi

TAVRO. MENITANAE REIPVB. STATVS.

TAVRO. MENITANI FOEDERATI PO. ROM.

ſcirent homines ſtatuam eius à Tauromenitanis eſſe deiectam, quàm ſi A
nullam ipſi vnquam poſitam arbitrarentur. Grauem inde calamitatem,
quum Siciliam & Sardiniam Sex. Pompeius claſsibus teneret, & com-
mercia impediret, ex improuiſo ab eodem occupata accepit. Sed poſt-
quam Cæſar Octauianus ex Leucopetra ad Tauromenium appuliſſet,
ciueſque de deditione compellaſſet, ijdem quamuis aliàs ad imperata
promti, à præſidiarijs tamen qui numero & viribus prævalebant prohi-
biti, Cæſarem non admiſerunt: qui quum ad Onabalæ fluminis oſtiũ
exſcenſionem feciſſet, Apollini Archagetæ ſacra feciſſe ſcribitur: quum-
què Pompeius ex inopinato apparuiſſet, claſſem Cæſaris ad Euripum
Tauromenitanum occupatam depreſsit; nec multum abfuit quin & ſo B
cios nauales, vnà cum reliquis Cæſaris copijs in terram expoſitos oppri-
meret: ſaluti fuit, quòd Cornificius Cæſaris Legatus ab Agrippâ cũ ex-
ercitu miſſus Pompeianos in ſe conuerteret. oſtentum quoque Cæſari
factum poſtquam Archagetæ ſacris operatus eſſet traditur: piſcem vide-
licet è mari proſilientem ſeſe ad pedes eius proieciſſe; quibus ipſi maris
imperium à Neptuno portendi augures interpretabãtur. Ceterùm Tau-
romenitanis apud Cæſarem victorem fraudi non fuiſſe, quod à Pompeij
præſidiarijs oppreſsi, neq; deditionem imperatam feciſſent, neque alio-
qui ſuppetias ipſi tuliſſent; argumento eſſe poterit, quòd profligato Põ-
TAVRO- peio Coloniam eo cum iure ciuium Romanorum deduxerit: eoſq; be- C
MENIVM nignè ſemper habuerit. Timæum Andromachi filium hiſtoricum, ciuẽ
COLONIA Tauromenitanum fuiſſe ſupra retulimus: hunc longè eruditiſsimum, &
CIVIVM ROM. ipſa verborum compoſitione non impolitum. rerumque & ſententia-
rum varietate copioſiſsimum Epithimæi cognomine donatum fuiſſe
obſeruo: quòd laceſſendo, inſultandoque non Platoni, non Ariſtoteli,
non ipſi Thucydidi neque alteri cuiquam vel hiſtorico vel Philoſopho
(tanto carpendi ſtudio tenebatur) parceret: interim ſibi quod in alijs re-
prehendebat, indulgeret. Scripſit libros viginti de rebus in Sicilia & Ita-
lia geſtis; quos adhuc ſupereſſe, etiam ſi non appareant, nonnulli teſtan-
tur. Eum Agathocles Sicilia eiecit; quumque de viuo vlciſci ſe Timæus D
non poſſet, mortuum omni cõtumeliarum genere, nimia animi impo-
tentia cæcus, ſcriptis ſuis laceraſſe traditur. Tauromenio nomen inde
factum veriſimile eſt. quòd Naxij patria expulſi ad collem Tau-
rum aliquamdiu cum Andromacho manſionem feciſſent,
περὶ του μένειν πρὸς τὸν ταῦρον, eius longitudem Geo-
graphus XXXIX s. latitudinem XXXVIII. fe-
rè temporibus definiuit.

MES-

A

ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ.

MESSANA Meſſeniorum Colonia.

MESSANA vrbs Siciliæ vt originem & ſitum, ita & nomen colonorum & ciuium varietate, ſubinde ab initio mutaſſe antiquitatis memoria proditum eſt. quare operæ precium me facturum credidi; ſi maiores, nomina & colonos vrbis paullò altius & à primis initijs breui enumeratione complecterer. A Peloro itaque auſtrum verſus paſſuum XII.M. degreſsis, ad curuum litus, quod ſinuoſo flexu in Orientẽ ſeſe aperit deſcenditur: ad eius concauam in interiore ſinu oram Siculos

B vrbem condidiſſe ſcribitur, quam à loci inſtar falcis repãdi ſitu Zanclam (ζάγκλαν namque falcem Siculi vocabant) nuncuparunt. alij nominis originem ad Saturnum, qui ibi falcem qua patris ſui Cæli virilia præſecuerat, abieciſſet, referunt. nonnulli verò Zanclum gigãtem ibidem ſepultum vrbi nomen feciſſe affirmant. Variant alij, qui ab Orione Eunopionis filio, nobili architecto vrbis originẽ repetunt; eamque à Zanclo, qui id temporis in Sicilia regnabat dictã volunt. Quemadmodum autem Zancle conditores varij recenſentur; ita & conditæ vrbis ſæculũ ex tradentium auctoritate incertum eſt. In eo tamen præcipui auctores conueniunt, quòd eodem ferè tempore condita ſit, quo diluuium ſub

C Ogyge factum refertur; quum & AEgyptus ſub Amenophi rege fame laboraret. Si igitur Chronologi non fallunt, condita fuerit Zancla ante Troiam captam annis quingentis & triginta; ante Romam conditam nongentis ſexaginta quattuor. Ceterùm quum Cumæi ex Eubæa profecti omnia latè maria & latrocinijs & piratica infeſtarent, Zanclam ob portus commoditatem, qui & tutum receptum, & ſitum ad inſidiãdum admodum opportunum propter incuruitatem habebat, expulſis inde Siculis occuparũt. Verùm quum aduerſus Siculorum vires, qui arma in ipſos mouerant, ſe haud ſatis firmos ſentirent Cratæmene, Sanno & Periere Chalcidenſi ducibus, ex Cumis patria ſua & Chalcide Eubææ

D inquilinos adſciuerunt, quorum copijs freti externam vim facilè propulſarunt, & vrbem mœnibus & propugnaculis munierunt. Zanclæi opibus & ciuium frequentia confirmati, alios iterum gentiles ſuos duce Anthineſto Chalcide, cõdendæ coloniæ gratia, euocarunt: quibus quũ & è Meſſenijs quamplurimi armis Lacedæmoniorum pulſi ſeſe coniunxiſſent, ij Zanclæorum auxilio vſi, Rhegium (quod in Bruttijs oppidum, ſexaginta ſtadiorum interuallo, à Siculis conditum diſtabat) magno impetu terra marique adorti capiunt: eiectiſque ciuibus ibidem ſedem figunt: inſtituuntque ne aliunde quàm ex ijs qui è Meſſeniorum ſtirpe cum ipſis è Peloponeſo appulerant, Rheginorum princeps elige-

ZANCLA VRBS.

ZANCLA A CVMAE IS OCCVPATA.

RHEGIVM A MESSENIIS CAPTVM.

retur.quorum primum nonnulli Alcidamidam,quartum ab eo Anaxilam Critinei filium, rebus geſtis claros numerant. Zanclæi ea Meſſeniorum neceſsitudine & potentia confirmati, ſicuti fortuna ac populo, ita & imperio maximo per ea tempora incremento aucti ſunt: vſque adeò, vt primùm Mylas, mox & Himeram vrbes ac colonias in ea Siciliæ ora quæ Etruſcum mare reſpicit condiderint. Oenycinus inde Scythes Zanclæorum Princeps, Samios Darij Perſarum regis armis fractos & incerta ſede vagantes, per Legatos ad coloniam condendam iuxta Καλὴν ἀκτὴν, (loci nomen id in Sicilia, qua Tuſcum mare proſpicit, à litoris commoditate dictum erat) inuitat. Samijs audita Legatione oblata opportunitate, qua non ſolùm à Medorum ſeruitute, ſed & ab AEacis qua premebantur tyrannide liberarentur vti placuit in Siciliam vela facere. Accidit fortè, vt eodem tempore Scythes vrbem quandam Siculorum copijs è Zancla eductis oppugnaret. Anaxilas itaque Rheginorum tyrannus, cui Zanclæorũ potentia formidabilis erat, capto tẽpore vtendum ratus, Samiorum animos (iam enim ad Locros Epizephyrios appulerant) à noua vrbe condenda alienat: oſtẽdit paruo labore, nullo ferè periculo, Zanclam ciuibus & præſidio nudatã ab ipſis occupari poſſe. Hinc Samij Anaxilæ cõſilium ſequuti, Zanclam ex inopinato inuadũt. Zanclæi vnà cum Scythe, vt ſuis ſuppetias ferrent, Hippocrate Gelæ tyranno, cum quo fœdus & amicitiam coniunxerant, in auxilium euocato, Zanclam citato agmine contendunt. Ceterùm Hippocrates fidem (quia armis plus poterat) cum fortuna mutauit: Scythæ itaq; tanquam vrbis ſuæ deſertori & Pythogeni fratri ipſius vincula inijci iuſsit: eoſque in oppidulum Inueſſam relegauit. Zanclæorum verò exercitum, ea pactione Samijs prodidit; vt dimidium prædæ, eiuſq; quod ex manubijs ac captiuis conficeretur, haberet; dimidium item eius quod in agris prouentuum aut. culturæ aut fundi eſſet: ea Samiorum perfidia, Hippocratis ſcelere; Anaxilæque artibus, Zanclæi dum vicinis ſuis bella mouẽt, proprijs ſedibus eiecti ſunt. Scythes fuga ex Inueſſa elapſus, atque ad Darium in Aſiam profectus, ab eodem benignè habitus & iuſtitiæ laudę commendatus, reliquum ætatis ibi tranſegiſſe ſcribitur. Sed ea Samiorum perfidia non diu inulta manſit: decimo namque poſtquam Zanclæos expulerant anno, Anaxilas fœdere quod cum illis pepigerat violato; Meſſenios qui Era à Lacedæmonijs expugnata, nouas ſibi terras & ſedes querebant, (Sardiniam namque animo præceperant) accerſit; hos docet perpetuum ſibi cum Samijs, qui Zanclam occuparãt bellum eſſe; poſsidere illos fuberem, ac luculentum agrum. & vrbem valdè opportuno loco ſitam: qua ſi Meſſeniorum opera adiutus potiri poſſet, illam ſe quamprimũ Meſſenijs vt pote ſocijs & neceſſarijs traditurum. Placuit

MYLAE ET HIMERA CONDITAE.

ZANCLA A SAMIIS OCCVPATA.

A B C D

Meſſenijs

A Meſſenijs conſilium & fœdus; Anaxilas itaque hoſpites & gentiles ſuos in Siciliam traducit, ac ſtatim Zanclæos ille nauali, Meſſenij verò terreſtri prælio fuderunt. quumq; ipſa vrbs terra mariq́ue hinc à Meſſenijs, illinc à Rheginis obſideretur, magna iam murorum parte deiecta; ita vt, Zanclæi vrbem ſuam amplius defendi poſſe diffiderent, ad aras ac deorũ templa confugerunt. Imperauerat Anaxilas, vt ſupplices nulla religionis reuerentia trucidarentur; reliqui cum vxoribus & liberis ſub corona venderentur. Ceterùm Gorgus & Manticlus Meſſeniorum duces facinoris atrocitatem deprecantes, Anaxilam rogarunt, ne quæ per ſummã iniuriam ipſi à cognatis Spartanis paſsi fuiſſent, aduerſus Samios & Gręcos committere cogerentur: impunitas itaque ijs conceſſa qui ad aras confugerant: ac fide vltro citroque data & accepta, imperium cum victis communicatum eſt. Ceterùm Zanclem Anaxilas funditus euerti iuſsit; aliamq́ue nouam mille ab ea paſsibus diſtantem condidit, quam à ſua ſociorumq́; ſuorum patria Meſſenam, aut vt Dorica fert pronunciatio, Meſſanam appellauit. Manticlus Herculis templum in noua iam Colonia erexit; quod Herculis Manticli fanum deinceps, ſumpto à conditore nomine vocatum eſt: non alia ratione quàm Iupiter in Africa Ammon, & in Babylone Belus dictus; hic à Belo AEgyptio Libys filio; ille ab Ammone paſtore, qui templa Ioui dedicarunt. Cõditam fuiſſe Meſſanam auctores prodidêre Olympiade vndetriceſima; quo tempore annus à cõdita Roma octogeſimus nonus, Tullij verò Hoſtilij Romanorum regis octauus agebatur. Anaxilas vt nouam vrbem conſilio & opibus iuuaret, Micytho ſeruo Rheginorum rempublicam permiſit, ipſe cum Meſſanenſibus comitate & ſumma erga omnes beneficentia vſus, breui effecit, vt vndique ſibi probitatis & virtutis commendationẽ ſumma cum laude colligeret. Poſtquam autem in Olympijs mulabus viciſſet, epulo ob victoriam Græcis exhibito, Meſſanam reuerſus nummũ cum binis iunctis mulabus ſignari iuſsit. qui etiam num hodie ſpectatur; pars eiuſdem nummi altera leporẽ habet; additur cauſſa, quod quũ Sicilia prius lepores non gigneret, Anaxilas eos primus à ſe importatos nutrierit. Conſtituta inde optimis legibus republica, vrbem munimẽtis & propugnaculis inſtruxit. & vt neceſsitudine aliqua opes quoq; ſibi confirmaret, Cydippam Terilli Himerenſium tyranni filiam vxorem duxit. ea affinitas, niſi Gelonis Syracuſani regis fortuna auertiſſet, exitioſa Anaxiliæ futura erat: nam quum Terillus ſocer eius à Therone Agrigentinorum tyranno magna vi ab Himera eiectus & imperio exſutus eſſet; Anaxilas eius vlciſcendi gratia, cum Amilcare Carthaginienſium duce viro impigro, & militari prudentia claro, ſocietatem & pactionem iniuit; vt coniunctis opibus Terillum reſtituerent, atque in eius rei fidẽ

ZANCLA AB ANAXILA CAPTA.

MESSANA CONDITA.

B

C

D

filios quos ex Cydippa duos procreauerat Amilcari obſides dedit. Pœni itaque trecentorum millium vt quidam tradunt ex varijs gentibus exercitum duce Amilcare conſcribunt; & Theronem Himeræ mœnibus ſeſe includentem, profligatis qui eruperant obſidione premunt. Theroni Gelon Syracuſanorum rex ex Demærata filia gener, cum quinquaginta equitum, peditum verò quinque millibus auxilio venit; Amilcarem ſacris Neptuno operantem ex inſidijs trucidat: claſſem Pœnorum iniecto igne comburit; eorumque exercitu iuxta Soloëntem deleto, Anaxilæ libertatem & filios reſtituit; & pacem cum eodē facit. Mortuo inde Gelone, quum Anaxilas Locros Epizephyrios funditus delere conſtituiſſet, Hiero qui Geloni fratri ſucceſſerat, Anaxilam ab eo impetu minis reuocaſſe traditur. Paullò poſt ipſo quoque Anaxila vita functo, Hiero filios eius iam adultos ad ſe Syracuſas accerſit; eoſdemque quàm benigniſsimè habitos donis inſuper & muneribus ornat; ſocietatem & amicitiam cum ijſdem coit: & quo fidem datam magis cōfirmaret, oſtēdit. quantum Gelonis fratris ſui virtuti deberent; qui patrē ipſorum, ipſoſq; à Pœnorum ſeruitute aſſertos, incolumes & liberos dimiſiſſet. mox ijſdē auctor fit vt Meſſanam reuerſi à Micytho qui in adminiſtrationē tutelarem ex teſtamento pupillorum nomine ſucceſſerat, imperij adminiſtrati rationem repoſcerent. Fratres Hieronis conſilium ſequuti Meſſanam redeunt; abrogataq; Micytho omni poteſtate regnum paternum ita partiuntur, vt primogenitus Meſſanam; ſecundo loco natus Rhegiū poſsideret. Ceterùm quum iam ſuæ poteſtatis facti & per iuuenilem licentiam in libidinem & voluptates prolapſi, ciues etiam ſuos iniqua dominatione vexare, & in optimum quemq; inſolentius ſæuire cæpiſſent, conſpiratione facta à ciuibus ſuis eiecti ſunt; & reſpublica Meſſanenſiū ab vnius dominatione liberata, quum Romæ S.P. Poſtumius Albus. Q. Seruilius Priſcus conſulatū adminiſtrarēt. anno ab vrbe cond. CCXXVII. Meſſanenſes ea occaſione libertatem adepti magna opum acceſsione, & commerciorum ob portus commoditatem frequentia vrbem ſuam auxerunt. Quumque eo bello quod Athenienſes cōtra Syracuſanos Leontinorum cauſſa gerebant Athenienſium claſsi quæ ad ipſos appulerat ſe dedere coacti fuiſſent, ab eorum iterum imperio à Syracuſanis liberati: mox quum & Leontinorū obſidione iterum premerentur, eruptione facta poſtquam Leōtinos magna clade affeciſſent, ipſos quoq; Athenienſes, qui exſcenſione è nauibus facta vt Leontinis opem ferrent, accurrerant, magna vi profligarunt. Poſtea quum Athenienſes ſpe occupandæ Siciliæ bellum denuo Syracuſanis mouiſſent, Meſſanenſes in fide Syracuſanis data perſiſtentes, Alcibiadem qui miris artibus & blanditijs ipſos ad defectionem ſollicitabat excludunt. Quumque Alcibiades nonnullos

MESSANA TYRANNIDE LIBERATA.

A nonnullos vt vrbem proderēt muneribus corrupiſſet, haud multò poſt indignatus, quòd à ciuibus ſuis imperio priuatus ad cauſſam dicendam Athenas reuocaretur; atque animi impotentia victus eoſdem cum quibus prius proditionem pactus fuerat, apud Syracuſanos per indicium detulit. Quibus interemptis, Syracuſani Meſſanam firmiori frequentioriq́ue deinceps præſidio munitam, contra Athenienſium aſſultus defendunt. pax inde Meſſanenſibus fuit, etiamſi ab vtriuſq́ue Dionyſij tyrannide interim oppreſsi ſeruierint: donec eo quoq; bello quod Timoleon pro aſſerenda à ſeruitute Sicilia cōtra Pœnos geſsit, à Giſcone Carthaginienſium duce, ciuibus per id tempus partim ſtudio & factionibus

B inter ſe diſſentientibus capta, in Hipponis tyrannidē prolaberetur. Ceterùm quia Hippo trecentos, quos Timoleon in præſidium Meſſanenſibus præfecerat, trucidari iuſſerat, & Icetam profugum receperat: eam vlturus iniuriam Timoleon contra Hipponem mouet; atque vrbem terra mariq́ue arctiſsima obſidione cinctam acriter oppugnat. Hippon dum fuga elabi conatur, à militibus interceptus & vnà cum filijs in vrbem retractus trucidatur: ita Meſſanenſes Timoleontis virtute in libertatem reſtituti, eadem vſi ſunt: donec Agathocle Syracuſanorum tyranno, poſtquam aliquamdiu vires ipſius ſuſtinuiſſent, tandem per pactionem in vrbem recepto, optimatibuſq́ue ipſius mandato capite plexis, in

C eiuſdem denique dominationem recidérent. Ceterùm nulla grauior aut ciuibus magis exitioſa ſeruitus incubuit, quàm ea qua mortuo Agathocle à Mamertinis oppreſsi, deſpoliati ac demum ciuitate eiecti, mutato inſuper nomine pro Meſſanēſibus Mamertini dicti ſunt. Mamertini namq́; vt nonnulli produnt, ex Samnio patria pulſi, quū circa Tauromenium aliquandiu conſediſſent; Meſſanenſibus auxilio profecti, eorum vrbem eiectis ciuibus occuparant. Alij (quorum auctoritatem conſenſus ſcriptorum confirmat) occupatæ vrbis cauſſam, in hanc ferè ſententiam referunt. Mamertinos fuiſſe Campanos, qui ſub Agathocle rege in Africa ſtipendia fecerant: ij in Siciliam reuerſi, Meſſanam ni-

D hil hoſtile metuentem, immò per amicitiam intra mœnia admiſsi occupant: ciues partim vrbe eijciunt, partim trucidant: vxores liberoſq́ue eorum, mox & fortunas, agroſq́ue ſorte ducta inter ſe partiuntur. Eo ſcelere perpetrato pro Meſſanenſibus Mamertini appellari cœperunt: vrbemq́uedeinceps non ſolum defendebant, ſed eo audaciæ progreſsi ſunt, vt Catanenſium & Tauromenitanorum agros infeſtis excurſionibus depopularentur. Sub idem ferè tempus quum Pyrrhus in Italia pro Tarentinis contra Romanos bellum gereret, Rhegini terrore & hoſtis ferocia perculſi, præſidium à Po. Ro. petierant: miſſa eſt cum Iubellio præfecto legio Campana; ea fœdiſsimum Mamertinorum facinus ſequuta

HIPPO MESSANAE TYRANNIDEM OCCVPAT.

AGATHOCLES MESSANAE TYRANNIDEM OCCVPAT.

MAMERTINI.

MESSANA A MAMERTINIS OCCVPATA.

MESSANENSES MAMERTINI APPELLATI.

quuta, vrbẽ capta occaſione inuadit; ciues partim trucidat, partim eijcit, fortunaſq; eorũ inter ſe diſtribuit: cũ Mamertinis deniq; & freto & ſcelere iuncti fœdus percutiunt. quorũ auxilijs freti Mamertini vſque adeo inualeſcebant, vt pleriſq; etiã Siciliæ vrbibus tributa imperarent, vicinoſque laceſſerent; donec à Pyrrho qui Syracuſarum & Siciliæ rex declaratus erat. prælio victi, præſidijſque ipſorum multis è locis deiectis, Mamertinorum inſolentia refrenaretur. Verùm poſtquam idẽ Pyrrhus breui poſt tempore Siciliæ imperium tam cito amiſiſſet, quàm facile obtinuiſſet. dum in Italiam tranſmittit, Mamertini (decem millia fuiſſe putantur) quum Signa conferre non auderent, Pyrrhi exercitum à tergo carpere, & in loca iniqua ſubeuntẽ impetu facto, duobus elephantis, plurimiſque ex ijs qui agmen poſterius claudebãt cæſis turbare; Pyrrhus autem conuerſis in hoſtem ſignis, etiamſi vulnere tardaretur, prælium inſtaurare: mox Mamertinus quidam robore corporis ferocior, vulnerato regi inſultans, eundem ad ſingulare certamen prouocat. Pyrrhus ira & dolore excandeſcens tota vi & impetu in Barbarum inſurgens, eundẽ magno ictu in duas partes diſſectum proſternit: hinc Mamertini Pyrrhi vires ac robur admirati conterritiq; fuga dilabuntur. Mox quum poſt Pyrrhi diſceſſum factionum partiumque ſtudijs res Sicula ad Pœnos inclinare videretur, Mamertini occaſione vſuri Syracuſanis (qui ſoli in tota Sicilia cum Mamertinis Pœnorum imperium detrectabant) bellum mouent. Syracuſani ea neceſsitate coacti Hieronẽ Hierocliti filium viginti tunc annos natum, primò vrbis Præfectum, mox etiam imperatorem creant. Is vt Syracuſas & exercitum à ſeditioſis militibus purgaret, ſimulata in Mamertinos expeditione, caſtriſque ad Centuripam (vrbs ea ſupra Catanam AEtnæis propinqua montibus ſita erat) poſitis, ad Cyamoſori fluminis ripam aciem ex mercenario milite contra Mamertinos inſtruit: hinc quaſi alio itinere hoſtem inuaſurus, Syracuſanos equites peditesque ſecum deducit: quo ſtratagemate quum militem cõductitium & nouarum ſemper rerum auidum Mamertinis trucidandũ obieciſſet, ipſe conuerſo agmine cum Syracuſanis profectus in vrbem incolumis reuertitur. Purgato ea ratione à ſeditionum materia exercitu, habitoque in ſupplementum copiarum nouo delectu, Mamertinos recenti victoria exſultantes, ad Longani fluminis ripas (labitur is per Mylæum agrum) aſſequutus, cæſis præcipuis ipſorum ducibus magna clade afficit: atq; hanc potiſsimum ob victoriam Syracuſas reuerſus rex omnium ciuium acclamatione ſalutatur. Mamertini aduerſo prælio ab Hierone fracti; quum & Rhegium à L. Genucio Conſule expugnatum, legionarios autem, qui fidem violauerant, Romæ virgis cæſos & ſecuri percuſsos ſeuero admodum exemplo nunciaretur; ſibique ſimile ſupplicium

MESSANORVM ADVERSVS PYRRHVM RES GESTAE.

MESSANORVM ADVERSVS HIERONEM SYRACVSANVM RES GESTAE.

A B C D

A plicium metuerent, ad externa auxilia, ſed variantibus ſententijs reſpicere cæperunt: pars ad Carthaginienſium opes nonnulli quibus ſanior mens erat ad Romanas inclinare. Romani intellectis per Legatos Mamertinorum poſtulatis, poſtquam diu deliberabundi facta vtilis ad honeſtum comparatione dubitarent, an Mamertinis fidei violatoribus, Romani qui ſeuerum ob eandem noxam in ſuos exemplum paullò ante ſtatuiſſent auxilium ferrent? conſultique ſuper ea patres nihil decreuiſſent, placuit rem populi comitijs & ſuffragijs peragere, populus Mamertinis opem petentibus auxilium eſſe ferendum iuſsit. Mouebat potiſsimum, quòd metuerẽt ne Carthaginienſes, quorum præſidium iam
B in arcem à Mamertinis receptum nunciabatur, Siciliã vniuerſam, quã præter Syracuſas & Meſſanam iam tenebant, hac vſi opportunitate occuparent. Bellum itaque Punicum, quod cum Pœnis viginti tribus deinceps annis Romanus pro Sicilia terra mariq; geſsit, Ap. Claudio Cõſuli populi iuſſu ob hanc occaſionem populi iuſſu mandatum eſt. cui quòd primus caudicem, hoc eſt nauem belli in Siciliam gerendi cauſſa cum exercitu conſcenderit, Caudici cognomentum factum fuiſſe obſeruo. Mamertini de ſocietate & auxilio Po. Ro. certiores facti, arcis præfectum quem Pœni miſerant eijciunt: in hunc Carthaginienſes veluti proditorem, alioqui non tam facile loco munito ceſſurum ſeruili ſupplicio in crucen ſublatum ſæuierunt. Mox contractis vndique copijs, terra
C ab ea parte qua Auſtrum; qua Pelorum ſiue Septentrionem reſpicit mari obſident. Hiero quoque vti Mamertinos, qui vniuerſæ iam Siciliæ ob rapinas & partium ſtudia graues erant deleret, capta occaſione ſocietatem cum Pœnis cõiungit; caſtraque ad Chalcidicum montem (diſtabat is ab vrbe duobus millibus paſs.) metatus vrbem arctiſsima obſidione cingit. Ap. Claudius interea Conſul nocte ſilenti Pœnorum claſſem præteruectus, Meſſanam cum exercitu appellit; omniumque gratulatione exceptus, poſtquam arctiſsima obſidione vrbem premi; Mamertinos fame laborare intellexiſſet; dum ſe hoſtiũ copijs imparem metuit;
D pacis conditiones proponit: eas quum hoſtis reijceret, ſumto ex neceſſitate conſilio, Hieronem ſeorſim inuadit: prælioque fractum à Meſſana repellit: Carthaginienſes vt Hieronem profligatum acceperunt, obſidione ſoluta in vrbes quæ ipſorũ imperio parebant dilabuntur. Ap. Claudius interea fugientem Hieronis exercitum magna celeritate aſſequutus, & ad Syracuſas vſque non ſine magna ſtrage perſequutus, Hierone cum reliquijs copiarum intra vrbem recepto, Syracuſas etiam ipſas obſidione cingit. Proximo inde anno. M. Valerius Maximus & M'. Otacilius Craſſus Coſs. in Siciliam cum quatuor Legionibus traijciunt. xvi. millia peditum, mille ducenti equites, præter ea quæ à ſocijs erant auxilia re-

BELLI PVNICI PRIMI INITIVM.

MESSANA A PORNIS OBSESSA.

 cenſebantur.

censebantur. pleræque itaque Siciliæ ciuitates quia vim & opes Roma- A
FOEDVS S.P.Q.R.CVM REGE HIERONE. norum metuebant, eiectis Pœnorum præsidijs ad Consules deficiunt: ipso quoque Hierone iam rebus suis diffidente, Consules pacem cum ipso ijs legibus faciunt, vt captiuos, qui ciues sociúue Romanis essent sine precio dimitteret: argenti talenta centum penderet: socius deinceps atque amicus Po. Ro. esset. Quam pacem Hieroni, Syracusanisque ac populo vicissim Ro. salutarem fuisse euentus docuit. Re itaque a consulibus in Sicilia fortiter ac fœliciter gesta, Tauromenitani, Catanenses & quinquaginta vrbes in fidem Po. Ro. acceptæ sunt. Valerium autem Consulem à Messana capta Messallam deinceps fuisse cognominatum à Latinis scriptoribus memoriæ proditum est. Vicesimo inde anno B
C. Lutatius consul in Siciliam missus magnaque celeritate vsus summã victoriæ imposuit: dum altero quo hostem primum viderat die, classem Punicam commeatu grauem, proprioque apparatu & instrumento impeditam oppressisset, Pœnos ad pacis conditiones cogit.

MESSANENSES FOEDERATI PO. RO. Mamertinos siue Messanenses inter fœderatas Po. Ro. ciuitates numerari obseruo, & immunitate donatos: præterquam quòd naues nautæque & sumptus in nauarchos eisdem imperarentur. Ceterùm Messanenses eo Po. Ro. fœdere felices, pace & opibus floruerunt: bellis quoque Seruilibus, quibus Sicilia vsque in perniciem ferè afflicta fuit, seruos suos, quod ipsis saluti fuit, in potestate habuerunt. Quumque bello ciuili C
quod contra Marium Sulla gesit, Messanenses Cn. Papirium Carbonẽ & Q. Valerium Perpernam Marianarũ partium duces proscriptos hospitio excepissent; Cn. Pompeius ad motum Siciliæ componendũ missus, in Messanenses velut hostium hospites ac fautores seuerius consulturus erat, nisi deprecatione mitigatus, & fœdere quod ipsis cum Po. Ro. erat obstrictus sententiam mutasset. Carbonem tamẽ & Q. Valerium ibidem deprehensos capitis supplicio affecit. Postea etiam sub iniqua C. Verris Prætura, qua Siciliam rapinis & furtis laceraſſe traditur, in gratiã Heij primarij ciuis benignè habiti sunt. in eius Heij domo sacrarium fuisse celeberrimum eo sæculo tradit Cicero, in quo præter cetera qua- D
tuor signa pulcherrima visebantur: vnum Cupidinis marmoreũ Praxitelis opus; alterum Herculis æneum egregiè a Myrone politum, reliqua duo signa non quidem magna, sed eximiæ & artis & venustatis erãt; quæ virginali habitu ac vestitu, manibus sublatis sacra quædam more virginum Athenienſium in canistris reposita super caput sustinebant, & Canephoræ vocabantur, Polycleti opera: erant & tabulæ, quæ totius sacrarij religionem statuarum numerum ac nomina cum suis auctoribus recenserent. Conuẽtum quoque quotannis Messanæ à Prætoribus indici solitum iuris dicendi causſa, ab antiquitate proditum est.

Siculo

A Siculo inde bello quod Cæſar Octauianus cum Sex. Pompeio mutuis magniſque cladibus, per annos complures geſsit; Cæſar euocato tandem ex Africa ad auxilium cum duodecim legionibus Lepido, coniunctis cum ipſo copijs Meſſanam obſedit: Cæſare autem ad Pompeiũ bello perſequendum digreſſo; Pompeio verò propter ſummas quibus vndique premebatur anguſtias relicta Sicilia, Cephaleniam verſus turpi fuga curſum tenente, Plemminius qui fugato Pompeio Meſſanam tenebat, Lepidum certis pactionibus intra Meſſanam receperat: Lepidus autem vrbem tam ſuis quàm Plemminij militibus ad prædam conceſſerat. Ceterùm Cæſar intellecto Lepidum animo à ſe alienatum quod
B eo non tam collega, quàm legato vteretur: atq; hinc proprijs commodis ſtudentem pacta cum Pompeio occulta inijſſe, poſtea reuerſus Lepidum imperio & exercitu exutum, Circeioſque relegatum, Sicilia expulit: & poſtquam ciues Meſſanenſes metu dilapſos ſummo ſtudio vndique collegiſſet, vrbem ipſorum pridem inter fœderatas receptam nunc inſuper latinitate poſtea etiam ciuitate donauit. Ager Meſsanenſium ab occaſu montium iugis, continuiſque collibus neque tritici neque frumenti feracibus claudebatur; vinetis tamen abundabat, vinoque laudatiſsimo; quod apud priſcos Iotalinum poſtea Mamertinum dictum ſuaue ac robuſtum in publicis epulis & cœnis triumphalibus,
C Cæſar Dictator appoſuiſse ſcribitur. quattuor enim vini genera ex maiorum inſtitutis præbebantur; inter ea Mamertinum quartum obtinebat locum: ita vt Falernum, Chium, Lesbium & Mamertinum deinceps præberetur. Surgit inter eos colles mõs celſiſsimus, qui Neptunius dicebatur: è cuius ſpecula in Adriaticium vſque mare atque Thyrrenum proſpectus erat: vertex in altiſsimum hiatum, perpetuo ventorum flatu mirandum deſpiciebat. Dionyſius quoque fluuius, ab auri ramentis quæ alueo ſuo vehere creditur, Chryſorrhoas dictus, ijſdẽ è collibus delabitur. Metallis hunc agrum diuitem fuiſse argumento eſt, quòd ſpecus & cauernæ in rupibus exciſæ, in quibus auri argentique
D fodinas priſci exercuerint, etiam num viſantur. In ijſdem & alumen effoditur: ferrum item & marmor Porphyreticum. A Meſsana Pelorum vſque per XII. M. P. Põpeium Magnum viam ſtrauiſſe quæ ab ipſo Pompeia dicta, vti & à Valerio Lilybæum vſque Valeriam veterum monumentis proditum eſt. A Peloro Euripus ſiue fretum Meſsanenſe incipit, propter Scyllam & Charybdin, naufragijs infame. Scylla enim ſublime ſaxum, Calabriæ litoribus imminens, procul intuentibus in humanam ſuperiore ſui parte formam ſenſim veluti è mari emergere videtur: latentibus ſubter breuia acutis aſperiſque ſcopulis, naues cæco impetu alliſas frangit: ij ſcopuli in cauernoſos anfractus dehiſcunt, in

MESSANENSES LATINITATE ET CIVITATE DONATI.

MAMERTINVM VINVM.

SCYLLA.

quos quum mare ſuo æſtu violentum abſorbetur aut reſpirat, tumultuando efficit, vt canes latrantes & lupi vlulantes exaudiri videãtur. Charybdis mare feruentiſsimum, immenſo receſſu profundum & vorticum ſæuitia vertiginoſum eſt: diſtat à Scylla Meſſanæ imminens quindecim millib. paſs. Quum namque fretum Meſſanenſe Peloro & Cæny promontorijs, tum gemino litore & ſinuoſis flexibus coarctetur; inde ſenſim paulatimque pandentibus ſeſe ad Auſtrum anguſtijs, ampliori ſpatio diffundatur; accidit vt maris fluxus per continuatas vorticum circũgyrationes in altiſsimam pyramidem deorſum faſtigiatus, veluti in abruptam abyſſum dehiſcat: mox quum impetu & vorticum colliſorum fragore, ſupina facie reſilit mare, ſubitò in vaſtum hiatum & immenſam voraginem reſorbeatur; vſqueadeo vt vel maxima nauigia gurgitibus ſuis in gyrum contortis ſecum rapiat, & violentia ſua deprimat, eãdemque aut ſcopulis alliſa aut abſorpta ad Tauromenitanũ Euripũ eijciat. Fretum verò ipſum vbi anguſtiſsimum eſt in paſſus mille quingentos, vbi latiſsimum in duodecim millia paſs. patet: æſtuumque reciprocationem ſtatis horis tãta velocitate ſimul & atrocitate patitur, vt æſtibus alternatim modò in Etruſcum, mox in Ionium mare verſis, vẽtos etiam ac nauigia ſuo curſu fruſtretur & ſiſtat, vel ſecum auferat. Hinc Scylla & Charybdis in prouerbia cõceſſerunt; & Poëtarum carminibus in monſtra & canes latrantes transformatæ ſunt. Corallum in freto Meſſanenſi laudatiſsimũ gigni ſcribitur: fruticis id genus eſt, quod ſub aquis herbeſcit; vbi aërem ſenſerit in lapidem purpurei coloris oculis gratiſsimũ dureſcit. Capiuntur in eodem & Xiphij piſces omnium laudatiſsimi: adhæc veteribus Græcis Plotæ, Latinis quod ſummis in aquis fluitent Flutæ dictæ, omnium ſapidiſsimi verno tempore; præterea murenæ lautorum menſis expetitæ, adeo obeſæ, vt ſagina ſua in nimijs ſolis ardoribus obtorpeſcẽtes, aduſta cute ſeſe neque mergere queant, & piſcantium manibus veluti offerre ſe in prædam videantur. Meſsanæ quidem longitudinem Geographus XXXIX s. temporibus, latitudinem XXXVIII s. menſurat. Ceterùm quia Mylas Zanclæorum coloniam fecimus, enumeratione breui, quantum apud ſcriptores de ijſdem exſtat complectemur. eas ad Cherſoneſi, (quæ III. P. M. in mare Etruſcum procurrebat) ceruicem fuiſse conditam, nomenque ipſi à Myla flumine (quod nigras veheret aquas) factum; adhæc id oppidum poſtea Sex. Pompeio præcipuam belli quod contra Cæſarem Octauianum geſsit ſedem fuiſse obſeruo. Quumque ager frumenti, vini, oleique feraciſsimus ſit, ibidem Solis boues fuiſse paſtos, Vlyſsis ſomnium, & ſacrilegium à ſocijs ipſius commiſſum Poëtæ prodiderunt. fabulæ originem hinc nonnulli repetunt; quòd mare prope Mylas purgamẽta fimo ſimilia in litus expuat.

CHARYBDIS.

MYLAE ZANCLAE ORVM COLONIA.

auctores

A auctores habeo, qui circa Mylas hieme fontes areſcere, æſtate verò ita exundare prodant, vt etiam amnem conficiant. Phocylidem Poëtam qui Theocriti Syracuſani tempore ſcripſit, Mylis oriundum veterum monumentis teſtatum eſt.

ΤΥΝΔΑΡΙΕΩΝ.

TYNDARIS Laconum Colonia.

TYNDARIN Lacones condidiſſe, eiq́ue nomen à Tyndaro Ledæ patre (ea mater Helenæ deinde Caſtoris & Pollucis fuit) fe- TYNDARIS CONDITA.
B ciſſe à veteribus memoriæ proditum eſt. Sita erat in colle edito: à mari præcipites & inacceſſas rupes habebat: ceterùm quũ radices earum maris æſtu vorticibuſque ſenſim exeſæ eſſent, ſæuientibuſq́; tempeſtatibus vndarum inſultus magna cum violentia in eaſdem ingruerent, dimidia pars vrbis reuulſa, ſubſidentibuſq́; rupibus in Pelagus ſubitò prolapſa traditur. Eam vrbem vt vetuſtiſsimam ac nobiliſsimam; ita commeatu fecundam & ciuium fortunis opulentam, bello quoque maritimo commendatam fuiſſe obſeruo. Apud Tyndaritanos Mercurij fanum erat ſolennibus ſacris frequens & celebre; & in eo Mercurij ſimulachrũ precio, artificio ac pictura illuſtre: quod capta à Carthaginienſibus vrbe
C Carthaginem delatum, à Scipione AEmiliano deleta Carthagine Tyndaritanis reſtitutum fuit, ac ſumma ciuium aggratulatione ſuis ſedibus repoſitum. Tyndaritani eo potiſsimum Africani beneficio commoti, fœdus quod cum Romanis percuſſerant, fideliter ſeruarunt. Medio in foro equeſtres M. Marcelli ſtatuæ erant, magno artificio elaboratæ. Ceterùm Tyndaritani improba C. Verris auiditate ob illud Mercurij ſimulachrum vexat iafflictiq́ue ſunt: inter quos Proagoras nobili loco natus præcipuam iniuriam tulit: qui quum Meſsanam ſignum illud à Verre deferre iuſsus, id ſibi inconſulto ſenatu ſub capitali pœna non licere reſpõdiſset; virgis cæſo, maleq́ue multato, Verres etiam capitis ſup-
D pliciũ, ni illud quam primũ referret, minatus eſt. quumq́; Proagoras neq; lacrimis aut ſui cõmiſeratione id à Senatu impetrare poſſet; neq; ipſe ſua auctoritate ſtatuam demoliri auderet; à Verris lictoribus veſtibus ſpoliatus ac iterum virgis cæſus, vrente etiam bruma per diem ac noctẽ ad Marcelli ſtatuas ſub dio, in imbre, in frigore relinquitur; donec populi tandem commiſeratione ſimulachro promiſſo, vix viuus inde abductus eſt. Quam ob ſæuitiam Verres à Zoſippo & Iſmenia patricijs Tyndaritanis apud Senatum P. Q. Ro. accuſatus, Cicerone perorante Prętura ſe abdicare coactus eſt. Salutare Tyndaritanis fuit, quòd ſemper in omnibus Punicis Siculiſq́ue bellis amicitiam Po. Ro. ſequuti, omnia

eidem ſemper cum belli adiumenta, tum pacis ornamenta adminiſtraſ- A
ſent. Eo verò bello quod Cæſar Octauianus contra Sex. Pompeium
geſsit, M. Agrippa deiecto Pompeij præſidio Tyndarin occupauit, eaq;
pro belli fide vſus, Mylis receptis Pompeium ad Naulochos prælio na-
uali victum profligauit: quo bello confecto, Tydaritani, quia operam
TYNDARITANI LIBERI ET IMMVNES. quoque ſuam Agrippæ in eijciendo Pompeij præſidio præſtiterant, ei-
que naues inſtructas ſocios nauales, ſumtusque in Nauarchos ſuppedi-
taſſent, à Cæſare victore libertatem & immunitatem impetrarunt. Sunt
qui memoriæ prodant, Oreſtem Tyndari ex Clytemneſtra filia nepotẽ,
poſtquam in Taurica ſeſe à matricidio (matrem namq; ob adulterium
cum AEgyſtho, vt patris Agamemnonis cædem & domeſticam iniuriã B
DIANA FASCELIS. vlciſceretur, furore correptus occiderat) expiaſſet, occiſo Thoante, Dia-
næ Faſcelidis ſimulachrum ſurripuiſſe: cognomẽ autem Dianæ, inde fa-
ctum eſſe; quod eius ſimulachrum, vt melius falleret Oreſtes, faſcibus
circumdatis opertum abſtuliſſet. Longa inde peregrinatione Oreſtem
ad Tyndaritanos, vt ad gentiles & neceſſarios appuliſſe. quod ideò pau-
lò latius à nobis relatum eſt, vt prudenti lectori cogitationem iudicium-
que relinqueremus de Tyndaritanorũ numiſmate, quod ſolũ ad manus
VENVS HEGEMONES. noſtras peruenit, in quo Dianæ caput aduerſa; auerſa parte Veneris He-
gemones quæ Cupidinẽ manu ducit, imago Myrtea circumducta ſigna-
ta ſunt. Obſeruo etiam Dianæ cognomentum apud Lacones Lygode- C
ſmo fuiſſe; (cuius hic iccirco mentionem facio, quod Tyndaritani La-
DIANA ΛΥΓΟΔΕΣΜΟΣ. conum coloni ſint) nomen autem illud ipſi à Lygo arbuſcula, ſiue vitice
factum fuiſſe; quod eius flagellis ob lentitudinem ad aram Dianæ, ipſi ſe
mutuo pueri exercebant: vt corpus ad patientiam & obedientiam tole-
rando indurarent. A Tyndari in Septentrionem digreſsis, oſtium He-
liconis fluminis ſeſe aperit: in occaſum verò, editus mons erat, in quo
templum Iouis olim fuiſſe conditum ſcriptores nonnulli prodiderunt:
ab eo deſcendẽtibus Timethi fluminis oſtium occurrebat: a quo in oc-
caſum mille paſsibus Lipara inſula diſtabat. ſecundum litus in Auſtrũ
AGATHYRSVM. ad XXX.M.P. progreſsis Agathyrſium vrbs ad radices editiſsimi montis D
ſitum erat; quod Agathyrſus AEoli filius condiderat. Ea vrbs Marcel-
lum & Læuinum Conſules Romanos comiter habuit, & omni ope
adiuuit. Ceterùm quod ad Tyndaris ſitum ſecundum globoſam
terræ ſuperficiem pertinet; eum Geographus ſecundum lon-
gitudinem XXXVIII. partibus cum quadrante; ſe-
cundum latitudinem XXXVII. partibus
menſurat.

AGY-

A

ΑΓΥΡΙΝΑΙΩΝ.

AGYRINA Corinthiorum Colonia.

SVbiecimus Tyndaridi Agyrinam, maritimæ ciuitatis mediterraneam: in eo non ſequuti litoralem vt hactenus tractum, ſed ordinem potius Geographicum. Vtraque enim vrbs æqualiter ab inſulis fortunatis, horis duabus cum ſeptunce in ortum vergebat: etiam ſi a medio habitati orbis inæqualiter: Agyrina namque Tyndaride LX. M.P. Auſtralior, exiguo quidem ſpacio citra Ennam (quam Siciliæ vmbilicum eſſe opinabantur,) diſtabat. De Agyrinæ conditore, & primis colonis, AGYRINA OPPIDVM
B etiamſi vetuſtiſsimam eſſe vrbem ſatis conſtet, obſcura tamē apud ſcriptores memoria eſt. Sita erat in monte editiſsimo & aſperrimo, ad Auſtrum Aſorinis campis & collibus cingebatur: a ſeptentrione agrum lætiſsimum & feraciſsimum, qui Chryſa flumine irrigabatur deſpiciebat: colles verò frequētes admodum, ſiluis veſtiti, venationibus, & aucupio, ipſiusque Dianæ venatricis luco celebres erant. Fama tenet, Herculem DIANA VENATRIX.
adhuc viuum ab Agyrinenſibus pro Deo cultum; templumque ei atq; Iolao ipſius ex Iphicle fratre nepoti, cultu ac donarijs magnificū fuiſſe exſtructum; in quo vtrisque veluti Dijs Olympicis diem feſtum & ſolemne frequenti totius Græciæ conuentu celebrabant. Iolai vt Hercu- IOLAVS.
C lis patrui ſui laborum ſocij & peregrinationum comitis fama apud ſcriptores nobilitata eſt. commēdatur eius potiſsimum virtus, eo nomine, quòd Sardiniam inſulam domeſticis malis oppreſſam liberauit; quod Sardos gentem vagam nullis legibus, nulla ſocietate aut neceſsitudine coniunctam, Athenienſibus & Theſpienſibus ſibi adiunctis ad concordiam & agrorum culturam ciuilemque ſocietatem, condita Olbia ceterisque vrbibus, legibus & inſtitutis compoſuerit. atq; ob ea merita Sardi Iolao ad ſepulchrum eius vt numini tutelari tēplum poſuerunt; ac ſeſe ab eodem Iolenſes nuncuparūt. Herculem præterea vt Iolaum poſteritati commendaret, Agyrinenſes ceremonias, ac ſolemnes ludos docu-
D iſſe, quibus eūdem Heroem colerēt auctores prodiderunt. præcipuum inter cæremonias fuiſſe obſeruo, quod ingenui comas ſuas Iolao ſacras tamdiu alerent, quoad ætate legitima, & conſulto per victimas Deo, eas tondendi poteſtatem ſibi factam obſeruaſſent. Magna eius voti concepti apud Agyrenæos relligio erat; ſiquidem ij qui negligentius comas nutriebant, aut votum legitimo tempore non ſoluebant, ſtatim ex ira numinis, linguæ vſu orbati obmuteſcebant; totoque corpore ſquallidi donec Iolao ſeſe expiaſſent, contabeſcebant. Porta vrbis per quam ad ludos ſolemnes egrediebantur. Heraclea in Herculis honorem vocata erat. Ludi ex pugilum paribus & equeſtri certamine dabantur. Additur

fabula

fabula: quum Hercules per viam Agyrinenſium ſaxis ſtratam, armenta A
duceret, veſtigia boum ijſdem ſaxis veluti ceræ impreſſa fuiſſe relicta: at-
que eo prodigio commotos Agyrinēſes, Herculi dum adhuc inter mor-
tales ageret, haud aliter quàm ſi iam inter Deos relatus eſſet, ipſiusq; ne-
poti Iolao ſacris operatos: quæ ſacra magna cum religione ad poſteritā-
tem propagata ſint. Agyrinenſium opes & potentiam in magnam ſeſe
amplitudinem extendiſſe argumento eſt, quod Agyris, ipſorū ſub Dio-
AGYRIS AGYRINENSIVM TYRANNVS. nyſio ſeniore tyrannus poſtquam optimatibus trucidatis dominationē
ſibi confirmaſſet, oppida, arces, caſtellaque vicina in poteſtatem redege-
rit; viginti ciuium millia armare potuerit; pecunia, commeatu, omniq;
inſtrumento bellico abundauerit. Ceterùm cum idem Agyris a Mago- B
ne Pœnorum duce in ſocietatem ſollicitaretur, ad Dionyſium flexit: ac
fœdere cum eodem percuſſo, exercitum ipſius ſtipendio & commeatu
recreauit. Magonem verò ob regionis & viarum imperitiam a cōmea-
tu intercluſum, magna inſuper clade oppreſſiſſet: ni Dionyſius dum Sy-
racuſani pugnæ poteſtatem ipſo recuſante tumultuoſius poſcunt, militū
ſuorum ſeditione perturbatus, pacem cum Pœno facere coactus fuiſſet.

Affectam deinceps Agyrinenſium rempublicam, ſub Dionyſio Iu-
niore, multosque ciuium in alias vrbes, ob tyrannorum odium vel me-
APOLLONIADES TYRANNVS. tum commigraſſe; vrbemque ciuium infrequētia ſub Apolloniadis do-
minatione per annos aliquot deſertam fuiſſe obſeruo. Verùm Timo- C
leon poſtquam deiecto Apolloniade, Agyrinenſes libertati reſtituiſſet,
miratus in tanta agrorum multitudine, in ea ſitus amœnitate ac ſoli fœ-
cunditate, vrbis ampliſsimæ ob bellorum motus, & tyrannorum odium
ſolitudinem, decem millia Græcorum partim è Corintho, partim è reli-
quis vrbibus, quæ cum Corinthijs aliquam reipublicæ neceſsitudinem
habebant delegit; eosque in Agyrinenſium vrbem colonos & ciues cō-
ſcripſit: optimisque legibus & inſtitutis eam rempublicam conſtituit.
Ita Agyrinenſes in pacis artibus diu floruerunt; Theatro interea omniū
excepto Syracuſano per totam Siciliam pulcherrimo a ſe exſtructo. Inde
poſt Agathoclis mortem Pœnorum armis denuò in ſeruitutem præci- D
pitati, bello Punico ſecundo eiecto Pœnorum præſidio Romanum ad-
miſerunt; & Marcellum primò, inde Læuinum, Cōſules auxilio, com-
meatu & hoſpitij iure coluerunt. Ita vt ne vel contra infimum etiam ci-
uium Ro. Agyrinenſes poſtea vllo in officio defuiſſe, aut aliàs obfuiſſe
teſtatum ſit. Quibus meritis obtinuerunt, vt in conſtituenda Siciliæ
prouincia, eodem iure eſſent, quo antea fuiſſent: eadem cōditione Pop.
Romano parerēt, qua ſuis antea paruiſſent; illud tantū ipſis etiam aſſen-
tientibus inſtitutum, vt ager ipſorum decumanus eſſet, hoc eſt vt Agyri-
nenſes decumam prouentuum ſine præcio ſoluerent. Fuit itaq; Agy-

rinenſium

A rinenſium deinceps reſpublica, tum Quinque primorum, tum aliorum magiſtratuum dignitate; adhæc ciuium locupletium, & ſummorũ aratorum fide Populo Ro. commendatiſsima. Quinque primos autem in Prouinciarum ciuitatibus, vt Decemprimos in Municipijs, ex ordine Decurionum delectos, ijſdemque tributorum exactionẽ & ærarij curam fuiſſe commiſſam obſeruo. Magiſtratuum Agyrinenſium magnam animi fortitudinem & conſtantiam fuiſſe, argumẽto eſt. quòd quum Verris iniurijs & contumelijs premerentur, adhæc decumis contra fœdera eſtimatis, iniquiſsimo eaſdem precio ſoluere maximo cũ aratorum detrimento cogerẽtur; ſeſtertium ſexagies ſeſe multari malue-
B rint quàm ad eius conditiones pactionesq; quidquam concedere. Agyrinam a multis ſæculis etiam ſuis ruderibus obrutam & ſepultam, (intereunt enim vrbes regna & reſpublicæ; mortalium omnia caduca & fragilia ſunt, niſi hiſtoriæ beneficio poſteritati monumenta ſui relinquant) vix aliud vſqueadeo ab interitu & obliuione vindicauerit, atque id quod Diodori hiſtorici patria fuerit. vixit ille ſub Iulio Cæſare & ſub Auguſto. Cæſarem Dictatorem DEI cognomento ſuis in ſcriptis frequenter ob rerum geſtarum magnitudinem afficit. Huius vrbis nomen variè apud auctores proditum fuiſſe obſeruo. Stephanus Ἀγύρινα & gentilicium Ἀγυρινᾶιος vti & numiſmata antiqua etiamſi ex Dionyſio Ἀγύριον
C laudet. Agurium etiam Ptolemæus nuncupat; & Cicero, Agyrinenſem populum & Agurium vrbem probat. quibus Argyra placet, & ab argẽto nomen deducunt, vitioſa ſcriptura deceptos eſſe, & Stephani ordo in vrbibus recenſendis & numiſmatum auctoritas cõuincit. Agurium Geographus ita definit, vt ab inſulis fortunatis XXXVIII. partibus cum quadrante; ab AEquatore XXXVII. abſit. Quumque Enna Secundum longitudinem habitati orbis, vnius partis ſextante in occaſum tantum ab Agurio recederet; verſus Septẽtrionem vncia ſuperaret; operæprecium me facturum, (etiam ſi nulla hactenus celeberrimæ vrbis numiſmata ad manus noſtras, peruenerint) putabam, ſi breui enumeratione vrbis ſitũ,
D conditores; & incunabula Cereris, ſedemque & raptum Proſerpinæ in gratiam lectoris, antequam ad maritima loca redirem complecterer. Enna itaque Syracuſanorum colonia, anno poſtquam Archias Syracuſarum potitus eſſet Sexageſimo, duce Enno (vnde & nomen vrbi factum) deducta eſt. vrbs ipſa loco præcelſo atque edito condita; qui locus quòd in media inſula ſitus eſt vmbilicus Siciliæ nominatur. Quo in ſummo æquata agri planicies & aquæ perennes erant. Ea planicies omni ambitu circumciſa atque diremta, vno tantùm loco & prærupto vndiq; a ſingulis hominibus adiri poterat: aliunde verò aut a pluribus ſimul nõ poterat. circa eam planiciem lacus lucique erant plurimi; & lectiſsimi quo-

QVINQVE PRIMI AGYRINENSIVM.

ENNA CONDITA SYRACVSANORVM COLONIA.

quo anni tempore flores, tam ſuaui odore flagrantes, vt etiam canum ſa- A
gacitatem obtunderent. Inſula verò Sicilia quãuis tota Cereri & Li-
beræ ſiue Proſerpinæ conſecrata erat, his præcipuè tamen in locis Cere-
rem ortam, fruges primùm repertas, & Proſerpinam dum flores legeret
eſſe raptam ſcriptorum conſenſu proditum eſt. etenim verſus Aquilo-
nem ſpeluncam immenſa altitudine depreſſam Ennenſes oſtendebant,
quà Ditem patrem repente cum curru exſtitiſſe, abreptamque ex eo lo-
co virginem ſecum aſportaſſe, & ſubitò non longè a Syracuſis ſub terras
penetraſſe, fontemque Cyanen eo in loco repentè erupiſſe credebant,
vbi vſque ad Ciceronis etiam tempora Syracuſani anniuerſarios dies fe-
ſtos frequentiſsimo virorũ mulierumq; conuẽtu celebrabant: quòd his B
in locis certiſsima rerum dictarum veſtigia ac propè Deorum incuna-
bula reperirentur. Templum quidem Cereri magnificentiſsimũ apud
Ennenſes Gelo Syracuſanorum rex condidit. Erant in eo duo Cereris
ſigna vtrumque in templi penetralibus, ex marmore vnum, alterum ex
ære omnium antiquiſsimum, ac artificio ſingulari commendatum, In
ædis veſtibulo alia duo ſigna erant; vnum Cereris, cuius manu dextra
ENNA CE RERI SA- CRA. pulcherrima victoriæ imago tenebatur; alterum Triptolemi. nec mirũ
tot in vnius Cereris templo eiuſdem ſigna fuiſſe, cuius tanta ibi eſſet re-
ligio; tamque aſsiduus & promiſcuus cultus, vt Enna non vrbs, ſed to-
ta Cereris fanum videretur: in qua nõ Ennenſes ſolùm & Siculi omnes C
ſed & exteræ nationes; ac ipſi etiam Romani Cererem habitare arbitra-
bantur; ciuesque ipſi omnes non tam ciues, quàm Cereris ſacerdotes &
templi antiſtites crederentur. Quin etiam exteri & barbari tantam huic
templo dignitatem ac reuerentiam tribuebant; vt quum fugitiui ac bar-
bari vrbem occupaſſent, ciuiumque fortunas hoſtiliter diripuiſſent, Ce-
reris tamen templum auro gemmisque ornatiſsimum ditiſsimumque
non ſolum attingere, verùm etiam metu numinis ne aggredi quidẽ auſi
fuerint. Erat & ante Cereris tẽplum in aperto, ac loco propatulo ædes
Proſerpinæ præclariſsima atque pulcherrima. Numiſmata autem anti-
qua Ennenſium nonnulli ſeſe vidiſſe teſtantur, in quibus aduerſa par- D
te Ceres, auerſa verò ſpica tritici ſignata ſit. Enna autem quum præcipi-
ti in loco ſtaret, tẽporis proceſſu cum montis viſceribus in præceps quo-
que collapſa eſt. Ennæ longitudinem Geographus XXXVIII. partium cũ
particulæ vncia, latitudinem XXXVII. partium cum particulæ vnciola fa-
cit. Sed antequam a Mediterraneis ad litoralẽ oram redeamus Mena-
nine mediterranea vrbs nos adhuc remoratur: in eius ſitu locoque recẽ-
ſendo numiſmatum ſeriem non ſumus ſequuturi; ſed ordinem Geo-
graphicum, neque hoc quiſquam nobis vitio vertere debet, quod huc re-
uocemus Menaninos ad rationem ſitus, non ad vltimam ſiue XII. Sici-
liæ tabulam,

A liæ tabulam,quo loco Menaninos collocare coacti fuimus; quòd Menaninorum numiſmata vti poſtrema ferè, & opere tantum non abſoluto,ita etiam vetuſtate ita attrita, vt vix apices litterarum oculis conſequi potuerimus,ad manus noſtras peruenerint.

ΜΗΝΑΝΙΝΩΝ.

MENANINEN Siculorum vrbem Ducetius Siculorum rex & armis & opibus potentiſsimus,patria Neetinus arduo colli ſuperimpoſitam condidiſſe, agrumque finitimum colonis eo deductis vi- MENANINE CONDITA.
B ritim diſtribuiſſe, eo tempore quo Romæ: A.Poſtumius Regillenſis, & S P.Furius Medullinus conſules erant; ab auctoribus memoriæ proditũ eſt. Fama tenet Cererem accenſis ex Aetna facibus,quum filiam a Plutone raptam quæreret,primùm in huius vrbis agro apparuiſſe; eiq; hanc ob cauſſam Δαδόχω ſiue Tediferæ cognomen factum fuiſſe. quod & Menaninorum numiſmata cõfirmant; in quorum auerſa parte binæ faces ſignatæ ſunt. Hinc etiam Menaninos in Cereris ſacris teda deinceps fuiſſe vſos ex eadem ratione multi ſcripſerunt. In agro Menanino Symæthus flumen quinque fontibus exortus, in Leontinorum primò cãpos, inde ad Catanenſium deflectens XXX. M. P. ſpacium emenſus in Io- CERES TEDIFERA.
C nium ſeſe mare exonerat. celebratur huius fluminis origo ob Palicos fratres, vti in Catanæ deſcriptione retulimus; & ob lacũ Ephintiam ſiue Phintiam qui Palicis Dijs ſacer credebatur; & a Menanina duob.millib. paſs. ad radicem collis cuiuſdam diſtabat.Lacus ille non magni quidem circuitus (cẽtum enim paſſuum ambitu includebatur) ſed alioqui memorabilis: is enim turbidas & tetri odoris aquas ſed ſtagnantes;circa crepidinem habebat: in medio verò tres crateres, qui perpetuas aquarũ ſcaturigines ad decem ferè pedum altitudinem, non aliter quàm ſubiectis ignibus feruentes,erumpentibus ſubinde inter aquæ feruores flammarũ globis eructabant: ipſæ tamen aquæ ad perpendiculũ relabentes neque
D intumeſcente, neque feruеſcente lacu ſed ſtagnante tantùm reſidebant. huic lacui,quod Palicorum Deorum numẽ Siculi perpetuò adeſſe crederent,diuinos honores deferebant, ac crateres ipſos ſumma veneratione colebant: templumque eo loci porticibus ac alijs ſumptuoſis operibus conſpicuum Dijs Palicis, erexerunt. Additur, quia ſtagni eius fundus ſulphuris & bituminis materia plenus ſit, aſpirationes vſqueadeo craſſas & fetidas exhalaſſe;vt aues etiam præteruolantes plærumque interirent, & ſi aquas eius animalia ante Solis ortum hauſiſſent,repentina quaſi ſuffocatione conciderent: Quumque illecta rei nouitate ac miraculis multitudo frequens ad iſtud templum cõueniret; Ducetius in col-

PALICA CONDITA.

le qui ſupra lacum aſſurgebat vrbem condidit; eamq; Palicam a dijs vicinis nominauit: quam poſtquam muro ſatis firmo munijſſet, colonis agros finitimos diuiſit. Ea vrbs etſi hubertate ſoli, & ciuium frequentia exiguo admodum tempore in iuſtæ ciuitatis amplitudinem coaluiſſet, paullò poſt tamen ab hoſtibus euerſa ac proſtrata ſcribitur. Obſeruatum quoque eſt, quum Sicilia ægro ob ſiccitatem prouētu laboraret, hunc lacum exaruiſſe; è crateribus præter ventorum furentium flatus, etiã puluerem denſiſsimum eiaculari ſolitum, ſed vt ad Menaninos redeamus, eos ſtipendiarios Pop. Ro. fuiſſe, & a Verris quoque auaritia vexatos inuenio. Eius vrbis nomen apud ſcriptores variaſſe obſeruo, Ptolomæus Μενάς multitudinis numero; Diodorus Μενάνινον, aut vt apud ipſum variant exemplaria Μέναιον habet. Cicero ciues eius Menenios; Plinius Menaninos edidit, quod etiam cum numiſmate ſignato conuenit. eius vrbis longitudinem Geographus XXXVIII. partium cum deunce; latitudinem XXXVII. partium cum quincunce menſurat. A B

ΘΕΡΜΙΤΑΝ.

THERMAE HIMERENSES Zanclæorum Colonia.

HIMERA ab Annibale Pœno deleta, quos ciues belli calamitas reliquos fecerat, ij ſeſe Thermis in eiuſdem Himeræ agris collocarunt, VI. M.P. ab oppido antiquo. nouæ vrbi nomen a calidis, quibus ea litoralis ora abundat aquis, Thermis factum eſt. Ceterùm ſi Thermarũ originem ab initio repetendam putabimus opus erit vt Himeræ, quæ ad VIII. P.M. a litore recedebat, ſitum fatumque breui prius enumeratione complectamur. Himeram itaque vrbem ad ſiniſtram Himeræ fluminis ripam a Zanclæis, quibus ſeſe Chalcidenſes aliquot & Syracuſani per factiones patria pulſi conſociauerant, ducibus Euclide, Simo, & Sacone Olympiadis vndequadrageſimæ, anno primo, conditam fuiſſe memoriæ proditum eſt. Hæc ſola Græcarum vrbium mare Hetruſcum proſpectat; nomen ab Himera flumine præterlabente, vti & aliæ pleræque Siciliæ vrbes ſortita, Mineruæ numen præcipuè ab Himerenſibus cultũ fuiſſe obſeruo: quumque eius Deæ iuſſu in gratiam Herculis aquæ calidæ è terræ viſceribus erumpentes ſubitò ſcaturijſſent; ijſque membra a labore puluereque recreata Hercules fouendo molliuiſſet, nomen aquæ Himeræ ἀπὸ τοῦ ἱμέρεσθαι hoc eſt a fouendo fuiſſe factum. Non deſunt auctores, qui Thermas omnes, quarum quidem origo naturalis eſt, Herculi in genere ſacratas, referant. Ceterùm quòd numiſmata antiqua Thermitanorum & Himeræorum nomina diſcretim referant: ea nominis diſtinctio, priuſquam ſcriptorum auctoritate ſatis confirmati eſſemus, C D

THERMAE HIMERENSES CONDITA.

HIMERA CONDITA.

&

A & alios aliquot haud indoctos nobiſcum eò opinionis induxerant; vt Himeræorum numiſmata, quæ huc pertinebant, in tractum oramque Auſtrinam ante vrbem & flumen Gelam (quæ & ipſa plurimis Himera vti ſuo loco oſtenſuri ſumus, nuncupatur) nominis & rationis ſimilitudine inducti tranſpoſuerimus. In ijs namque Himeræorum numiſmatibus, Minerua Herculi balneanti ſacris operatur; ab altera parte Ergoteles δολιχόδρομος, adparet. quæ ex hiſtoriarum conſenſu ad Himeram poſtea Thermas dictam pertinent. Huc itaque ea quæ ad Himerenſium eo loco tranſpoſitorum numiſmata & hiſtoriam pertinēt, ob prædictas rationes tranſlaturi ſumus. Himera a prima ſtatim ori-

HIMEREN SIVM REI PVBLICAE STATVS ET CONVERSIO.

B gine felicia & magna incrementa accepit; legibusque & inſtitutis optimis compoſita, auctoritatem & potentiam confirmauit: vſque adeo vt quum Rhegini domeſticis malis & factionibus grauiſsimè perturbati laborarent, eiectis Himerenſium auxilio atque opera factioſis, Rheginorum ſtatus ad tranquillitatem redierit. Ceterùm quum Himerenſium plerique vltionis ſtudio & propagādæ ditionis cauſſa Rempublicam inclinare molirentur reuocati ſunt ab eo conſilio per Stheſichori Poëtæ apologum in hanc ferè ſententiam feſtiuiſsimum. Olim, inquit, equus lætiſsimis in paſcuis ſolus exſultabat & laſciuiebat, irrumpēte deinde ceruo pabuli vaſtatore, equus vltionis ſtudio exardeſcens, homi-

C nis conſilio vſus eſt: is ſi frenum inquit, & me ſeſſorē patieris, tum equidem te de cerui petulantia vlciſci potero. accepiſſe equum eam conditionem, admiſiſſe ſeſſorem, & ſimul in ſeruitutem incidiſſe dum nimio vltionis ſtudio animi impotentiam ſequitur. tam feſtiua & opportuna fabula ciues Himerenſes ad ſaniora conſilia reuocati, imperium Phalaridi abrogarunt: ſuamque aliquamdiu libertatem tutati, poſtea ex nimijs opibus inſolentiores facti; ac in libidinem & voluptates proiecti, adhæc partium ſtudijs exagitati, in Cydippi tandem tyrannidem prolapſi ſunt. Cydippo Terillus ſucceſsit. Terillum verò Anaxilæ Meſſanenſium domini ſocerum, Theron Agrigentinorum princeps, occupata per vim Hi-

CYDIPPVS ET TERILLVS TYRANNI.

D mera expulit. verùm poſtquam Terillo Anaxilas ſeſe coniunxiſſet, ac Pœnorum copias duce Amilcare cum trecentis armatorum millibus, vt Theronem ex Himera eijcerent, in ſocietatem vocaſſent; Thero cū Gelone genero ſuo Syracuſanorum rege fœdus paciſcitur; ſeſeque Himeræ mœnibus includi patitur. Ceterùm poſtquam eruptione facta hoſtem aggreſſus vna atque item altera clade fractus fuiſſet. Gelo ipſi in ſubſidiū properat; citatoque agmine accurrens Theronis cladem magna Pœnorum cæde vlciſcitur: mox cæſo ex inſidijs Amilcare Pœnorū duce, aperto cum ceteris copijs Marte congreſſus, centum quinquaginta hoſtium millia trucidat; reliqui capti partim in ſeruitutem venditi, partim in ſer-

HIMERA A THERONE OCCVPATA.

uiles operas diſtributi ſunt. Theron virtute Gelonis ea ratione ab obſi- A
dione liberatus, Himeræque dominatione iam potitus, ipſe Agrigentũ
THRASY-DAEVS THERONIS F. HIMERENSIB. PRAEFECTVS. reuerſus Thraſydæum filium Himerenſibus præfecit. Qui quum per ſu-
perbiam & dominandi impotentiam ciuium patientia abuteretur, Hi-
merenſes ad Hieronem qui Geloni fratri ſucceſſerat, vt a Thraſydæi ty-
rannide liberarentur reſpiciunt. Ceterùm ea defectio ob fluxam Hiero-
nis fidem, Himerenſibus propemodum exitio fuit. Hiero namque re-
gni ſui opibus nec dum confirmatis, Polyzeli fratris ſui minoris virtu-
tem, qua Syracuſanorum animos ſibi demeruerat, ſuſpectam habens,
eidem exitium moliebatur. Verùm Polyzelus impia fratris fraude depre-
henſa, ad Theronem Agrigentinum generum ſuum fuga elapſus, ab eo- B
dem armis quoque contra Hieronem protegebatur. Himerenſes hac
occaſione vſuri & vt ſeſe de Thraſydæi iniurijs vlciſcerentur, ſocie-
tatem Hieroni & deditionem offerunt. interea Simonides Poëta Ly-
ricus inter Theronem & Hieronem iam affinitate iunctos (Hiero namq;
Theronis ſororem in vxorem receperat) pacem certis legibus facit. mox
Theron etiam Polyzelum fratri ſuo Hieroni cõciliat. Hiero tot benefi-
cijs deuinctus, Theronem de Himerenſium pactione ſibi contra Thra-
ſydæum oblata certiorem facit: qui re exactiſsimè explorata, omnes eos
qui defectionis conſcij fuerãt, capi & trucidari iubet. Qua laniena quum
reſpublica a ciuibus exhauſta eſſet, Theron Dores, & quotquot Græca- C
nicæ gentis & originis colligere poterat, colonos magno numero eò de-
duxit, in ciuitatem Himerenſium adſcripſit: ſincerior inde Himerenſiũ
fides in Syracuſanos quàm Hieronis erga Himerenſes fuit. quum nam-
que Syracuſani grauiſsima Thraſybuli (qui Hieroni & frater & ſucceſ-
ſor erat) tyrannide opprimerentur. Himerenſium potiſsimùm auxilio
vſi tyrannum decimo quàm regnare cœperat menſe eiectum Locros in
exſilium abire coëgerunt. Floruit deinde vſqueadeo opibus & potẽtia
Himerenſium reſpublica, vt quum Athenienſes qui Leontinis auxilio
venerant impetum in Himeram vrbem feciſſent, eoſdem proprijs opi-
bus ab vrbe ſua repulſos agris etiã & limitibus ſuis haud difficulter ex- D
pulerint. Ceterùm Athenienſibus Syracuſanorum potentia profliga-
tis, quum Segeſtani bello quod contra Selinũtinos gerebant oppreſsi,
BELLVM HIMERENSIVM CVM POENIS. Pœnos duce Annibale Amilcaris a Gelone cæſi nepote in ſocietatẽ vo-
caſſent, Annibal expugnatis Selinuntijs, vt patris ſui Giſconis manibus
parentaret, omni rapinarum & ſeuitiæ genere in capta vrbe graſſatus,
ferro flammaque eandem proſtrauit. Inde vt & Amilcarem auum vl-
ciſceretur, Olympiade tertia, & nonageſima cum centum hominũ mil-
HIMERA A POENIS OBSESSA. libus in Himerenſes mouit, vrbemque omni tormentorum ac machi-
narum genere oppugnare adortus, mox quum actis cuniculis, magna
murorum

A murorum & vrbis pars ſubſediſſet, etiam in vrbem irrumpere conatus eſt. Verùm Himerenſes quibus ex deſperatione animus creuerat Pœno acriter repulſo, mœnia collapſa inſtaurant. Interim & hoc obſeſſos in ſpem meliorem induxit, quod Diocles cum auxiliaribus Syracuſanorũ copijs adpareret. Hinc Hemerenſes ne ſeſe veluti imbelles feminas circumſederi paterentur, facta eruptione hoſtem palantem ac ſecurius vagantem ita conſternarunt, vt pauore metuq; turbatum, ac proprio etiã terrore impeditum, pecorum in morem ad viginti Pœnorũ milia proſtrauerint: reliquis ſaluti fuit, quod Annibal vt ſuos effuſos vidit, ſubitò cum quadraginta millibus in aciem deſcendẽs, at ſuorum fugam ſiſtẽs,
B Himerenſes victoria exſultantes acerrimo prælio, cæſis ad tria millia, ceteris verò profligatis, magna cum clade in vrbem reijceret. Diocles poſtquam Himerẽſium vires fractas vidit; ſuas verò copias infirmiores quã vt Annibali victori ſeſe obijcere auderet, vaſis conclamatis, magna imbelliq́ue Himerenſium multitudine qui iam de patriæ ſalute deſperabãt, ſecum deducta, Syracuſas reuertitur. Annibal arctè acriterq́ue vrbem nocte dieq́ue corona oppugnare; nihil ciuium laboribus otij, nihil quietis fatigatis remittere: inde quum crebris arietum tormentorumq́; ictibus bona mœnium pars corruiſſet; magno ardentiq́; impetu cum Pœnis in vrbem irrumpens, obuios quoſq́ue trucidat; tandem ſanguine ſa-
C tiatus, a ciuium cæde per preconem abſtineri iubet: fortunas tamẽ ciuiũ militi diripiendas concedit: mox tria captiuorum millia ad eum locum vbi auus ipſius Amilcar a Gelone cæſus fuerat ducta, vt Amilcaris quoque manibus poſt octauum, & quinquageſimũ quàm ille ceciderat annũ parentaret, iugulari ad vnum omnes imperauit. vrbem quæ ducentis & quinquaginta iam ſteterat annis, proſterni demoliriq́ue, templa fanaq́; detractis ornamentis ſpoliari iuſsit. Signa quoque ex ære plurima ſecũ Carthaginem abſtulit, quæ poſtea Carthagine a Scipione AEmiliano euerſa, Thermitanis Himerenſium poſteris reſtituta ſunt. Inter præcipua ſigna erat Himera ipſa cornucopiæ manibus tenens, oppidi & præ-
D terlabentis fluminis nomine, in formam muliebrem habitumq́ue formata; quæ ſuis liniamentis & figura ipſa intuentes mirè afficiebat. Statua quoque Steſichori Poëtæ Himerenſis, ſenilis incuruaq́ue cum libro in manu ſumma arte elaborata. Steſichorus enim Poëta inter nouem Græciæ Lyricos cenſetur. Is quum ab infantia Tiſias vocaretur, poſtea, quia cum Citharæ cantu chorum primus coniunxiſſet, Steſichorus appellatus ſcribitur. inter omina refertur, quòd Luſcinia ex eius adhuc infantis ore cecinerit, lætiſsimo ad Poëticam amœnitatem augurio. hic quum Phalaridis tyranni vt ſæuiſsimi ita & immaniſsimi tempore viueret, eundem tamen frequẽter carminum ſuorum illecebris a crudelitate auertit,

HIMERA A POENIS EVERSA.

& in

& in ſui amorẽ rapuit: ita vt Sthesichoro vita defuncto, diuinos honores Poëtæ tribuendos Himerenſibus tyrannus perſuaſerit; eiuſq; filias conſolatorijs litteris a luctu reuocauerit. Auctores habeo, qui prodant Steſichorum quum contra Helenam, neſcio quid acerbius per vituperationem ſcripſiſſet, ſubitò oculis orbatum; ſimulatq; Palinodia ſiue diuerſo argumento ea maledicta recantaſſet, viſum recuperaſſe. Edidiſſe ipſum carmen Dorica dialecto XXVI. libris comprehenſum, quod ex tribus partibus, Strophe, Antiſtrophe & Epodo conſtans Epodicum vocatum ſcribunt: annum verò agens quinctum & octogeſimum Olympiade LVI. Catanæ vita defunctus, magnifico & ſplendido ſepulchro primo extra vrbem lapide a Catanenſibus ornatus eſt: porta etiam ipſa quæ ad eius monumentum ducebat Steſichorea appellata. Criſon quoque Himeræus inter curſores prodigioſæ velocitatis refertur. Himera verò flumen, cuius mentionem fecimus, ad occidentalem Nebrodis mõtis partem exortum & aliquot fluuiolis auctum, perpetuo alueo a capite ad oſtium vſque XX. P. M. decurrens, in mare Tyrrhenum ſeſe exonerabat. Proditum ab antiquitate eſt, Himeram flumen eodem fonte ortum, ſtatim a capite Siciliam diuerſo aluei tractu diuidere: eum qui in Septentrionem & mare Thyrrenum dulces; qui in Auſtrum & Libycũ mare deflecteret, qui & Gela nuncupatur ſalſas vehere aquas. ita ex eodem fonte aquas naturam variare; vt quæ hîc ob ſalſedinem potabiles non ſint, illic ſuauitate & liquore ſuo palato gratas eſſe. Quod ad aquarum differentiam cum vtriuſque fluminis alueo pertinet, conuenit in eo etiam noſtri ſæculi ſcriptoribus cum priſcorum auctoritate; in eo variant, quod vtrimq; flumen etiam ſi eiuſdem nominis non ex eodem tamen fonte deriuari, ſed ex diuerſis & ipſo cæli tractu & magno interuallo diſtantibus affirment. Himeræ enim ſiue Gelæ fluuij qui in Auſtrum flectitur fontes, ad Nebrodis montis Auſtrinam partem erumpere; eius aut Himeræ quæ ad Septentrionem curſum ſuum flectit; ad occiduas eiuſdem montis partes oriri. Hactenus de Himera vrbe, eiuſq; ſitu & fato dictum ſit. Himerenſes autem qui poſt eam belli calamitatem reliqui fuerant, Thermas cognomento Himerenſes, eo quo deſcripſimus loco condiderunt: quumq; Sicilia in prouinciæ formã redigeretur, quia ſemper in amicitia fideq; perſtitiſſent, Populus Ro. Thermitanis vrbes, agros legeſq; ſuas reddidit. P. etiam Rupilius quum Siciliam a bello fugitiuorum liberaſſet, eam Thermitanorum rationem habuit, vt de decem Legatorum ſententia, & ex. S. C. Thermitanis ſuis inter ſe legibus agere & iudicia exercere permitteret. P. inde Africanus deleta Carthagine Thermitanis vt Himerenſium poſteris, quidquid ſignorum recuperare potuit, reſtituit. Quibus receptis Thermitani ſe patrum

HIMERA FLVMEN.

GELA FL.

THERMAE HIMERENSES.

A B C D

A trum fortunam ac dignitatem recuperaſſe arbitrabantur.

Ceterùm quum Thermitani otio & longinqua pace fruerentur, bello ciuili Mariano propemodũ ſubuerſi ſunt. nam quũ ex Sthenij ciuis primarij cõſilio Marianas partes ſequuti eſſent, ipſumq; Mariũ calamitate fractũ hoſpitio fouiſſent; L. Sulla victor, vt erat irarũ impotens, Cn. Pompeium tum quidem crudelitatis ſuæ ſatellitem, in Siciliam ad delẽdas Marianarum partium reliquias cum exercitu miſit; qui Thermitanis excidium & oppidi euerſionem minabatur. hic Sthenius magni vir animi & vitæ etiam propriæ ob patriæ ciuiumq; amorem prodigus, omnẽ in ſeſe ciuium noxã recepit; profeſſuſq; ſe illũ eſſe, qui ciues, qui amiB cos induxiſſet; inimicos verò coegiſſet, vt Marianas partes ſequerentur, petijt vt ſtatuto de ſe capitali ſupplicio, reliquorũ ciuiũ culpam in ſe ſolo Pompeius expiaret. Pompeius autem tanta in ſocios fide & in ciues ſuos pietate mitigatus, Thermitanis veniam dedit: Sthenium abſoluit, eiuſq; deinceps hoſpitio liberaliter vſus eſt. hic idem Sthenius quum Verres Siciliam rapinis & cupiditate ſua laceraret, ſaluti reipublicæ ciuiumque ſuorum honori contemto etiam vitæ fortunarumque ſuarum periculo conſuluit, vſqueadeo vt Verres apud Thermitanos nullum ſignum, nullum ornamentum, nihil ex ſacro, nihil ex publico (vbi tamen complura erant præclara & a Verris libidine concupita) vnquam attingere potueC rit. Verres ira & iracundia exardeſcens, vt Sthenium vſciſceretur, eidem capitis periculũ ex calumnia, qua ipſum litteras publicas corrupiſſe cauillabatur; ſtruere conatus eſt: atqui vbi intellectum fuit, id ipſum agere, vt poſtquam Sthenium ſine vllo argumento, ac ſine teſte damnaſſet, virgis cæſo ſupplicium de eodẽ crudeliſsimè ſumeret; Sthenius de amicorum hoſpitiumq; ſententia Thermis Romam profugit. Abſens tamen Pacilio etiam accuſatore abſente a Verre cõdemnatur, & ſeſtertiũ quingenties Veneri Erycinæ ex eius bonis ſacrantur; re poſtea Romæ in Senatu acta, ex decreto Patrum, accedente etiã plebiſcito Sthenius a Verris crudelitate abſolutus eſt. Ceterũ bello quod Cæſar Octauianus cõtra D Sex. Pompeiũ geſsit, Thermitanos Cæſaris partes, atq; amicitiã ſequutos, argumento eſt. quod Auguſtus coloniam Auguſtam Thermitanorum Himerenſium deduxerit. vti Epigramma antiquum quod hodieque apud Thermitanos legitur, teſtatur. Ambiguitate nominis & Plinij auctoritate abutuntur, qui ius illud coloniæ ad Thermas vrbem quæ Agathoclis patria ad Libycum mare pertinebat referunt. Thermas Himeras Geographus ſecundum longitudinem in partibus XXXVII. & partis vnius vncia, latitudinem XXXVII. & partis vnius triente reponit. vltra Thermitanos Panormum verſus ad IIII. P. M. Soloëntum vrbs antiquiſſima, quæq; originem ſuam ad Pœnos referebat, ſita erat. quæ bellorum

STHENIVS THERMITANVS.

THERMAE HIMERENSES COLONIA AVGVSTA.

SOLOENTVM.

procellis,quibus vndique ac ſæpenumero iactata proſtrata,proprijs ob- A
ruta ruderibus nunc ſepulta iacet.

ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ.

PANORMVS Pœnorum Colonia.

PANORMI vrbis originem vetuſtiſsimi quique ſcriptores a Phænicibus repetunt: addunt hiſtoriam, quumprimum Græci colonijs Siciliam frequentare cæpiſſent, Phænices quoque ſiue Pœnos extrema inſulæ,quà Carthaginem reſpiciebat,& in promontoria extendebatur,aut in portuum commoditatem ſinuabatur, negotiandi cum Si- B
culis gratia occupaſſe: quumque Græcorum plurimi eò quoque ſuis cũ nauibus occaſione commerciorum quæ cum Pœnis exercebant frequẽter appuliſſent; coniuncta cum Græcis ſocietate,ſedes ſibi ſimul ac Græcis ob breuem ex ijs locis in Carthaginem traiectum Motyam, Soloëntum & Panormum tunc quidem Elymis propinquas condidiſſe, vrbis ſitus ita ſe habebat, vt vna eius pars mari Tyrrheno allueretur;ceteræ tres agro viginti quinque plus minus Paſs.M.patente,arboribus quidem nudo, ceterùm arduis & aſperis collibus incluſo in Theatri formam cingerentur. Ager perenni fontium copia,ſoli hubertate, & feliciſsimo tritici prouentu; adhæc collibus olei viniſque feraciſsimis celebratur. Nomen C
vrbi Panormo a tuta nauium ſtatione factum; quod portum haberet, qui M.P.ad ſeptentrionalia vſque vrbis mœnia, quolibet etiam vento ad excipiendas naues opportuno patebat. Eius vrbis incrementa ab initio, apud auctores quorum quidem nobis videndi copia fuit, tenuia admodum exſtant, creuit tamen in eam magnitudinem vt pomerio aucto veteri vrbi nouam addere, quæ inde Neapolis dicta eſt, neceſſe fuerit.

PANORMVS CONDITA.

NEAPOLIS PANORMITANORVM.

Panormũ & ſi ab Hermocrate Syracuſano tentata fuerit,Pœnis tamẽ ſemper fidam fuiſſe argumento eſt,quod primo bello Punico a L. Cornelio Scipione, & C. Aquillio Floro Coſs. quum præſidio Pœnorum maximè teneretur, duobus a lateribus oppugnata, inde machinis ac vi D
tormentorum concuſſa proſtrataque arce, ea vrbis pars quæ Neapolis vocabatur,primo militum ardore capta,mox etiam veteris vrbis præſidium in poteſtatem Romanorum conceſſerit. Panormus poſteaquam in Pop.Rom.poteſtatem redacta eſt.Romanorũ deinceps armis ſemper contra Pœnos protecta fuit. Ceterùm quum poſt deuictum & captum ex Africa M.Atilium Regulum,& ſæuiſsima aliquot naufragia Romani a mari abſtinerent; Pœni ex ea occaſione ſpem recuperandæ Siciliæ capientes,Aſdrubalem cum exercitu in inſulam mittunt: qui quum C. Furium Pacilum L. Cæcilij Metelli collegam cum media copiarum parte Romam

A Romam reuerſum ex transfugis didiciſſet, Panormum verſus, vt Metellum opprimeret, mouit. Is vt hoſti confidentiam augeret, exercitum intra mœnia continens, foſſam in agro qui ante Panormum patebat eo conſilio altiſsimam agit, vt quum Elephanti, qui potiſsimùm Romanis terrori erant, (centum enim & viginti Pœni adduxerant) ad crepidinem foſſæ a Pœnis acti acceſsiſſent, eoſdem ex aduerſo telis ferirent & laceſſerent: ſi verò belluæ cum impetu ſeſe molirentur, ipſi in foſſam ſeſe demitterent, & ex tuto ictibus peterent: Hoſtibus itaque Eleutherum flumen, quod Panormum a meridie præterlabebatur, tranſgreſsis Metellus hanc potiſsimùm rationem in oppugnandis belluis ſequutus, dum

ROMANORVM CVM POENIS AD PANORMVM PVGNA.

B & præſidiarij ex mœnibus Elephantos iaculis ſagittisque infeſtant, quũ vltra aggerem ob foſſæ altitudinem ſeſe moliri non poſſent, vulnerum cruciatu in iram rabiemque acti, in ſuorum agmen ſeſe conuertunt, magnoque impetu obuios quoſque proterunt, atque aciem perturbant. Metellus turbatis ſigna ex obliquo infert; Pœnosque magna clade diſsipatos prælio vincit: capta cæſaq; feruntur viginti hoſtium millia. Aſdrubal cum ijs qui fuga ſalutem quæſierant, Lilybæum euaſit. Metellus autem Romam reuerſus XIII. hoſtium duces CXX. Elephantos in triumphũ duxit. Bello adhæc Punico ſecũdo Panormitanos tria auxiliariorum millia, ceteros verò qui amicitiam fidemque Po. Ro. ſequuti

C fuerant, mille tantum Marcello Conſuli Syracuſas obſidẽti miſiſſe obſeruo. Quibus potiſsimùm atque alijs in Po. Ro. meritis obtinuerunt, vt dum prouincia conſtitueretur, Panormitani ſine fœdere immunes & libertate donati, hoc eſt a magiſtratus Romani iuriſdictione ſoluti eſſent. Coloniam quoque eò militarem Auguſti vti opinor temporibus, deductam, nonnulli tradunt. Mineruam cognomento Coryphaſiam a Panormitanis fuiſſe cultam argumento fuerit, quod in auerſa numiſmatum Panormitanorum facie in Siciliæ ſiue Trinacriæ typo inter tria femora Gorgonij ſiue AEgidis ſignum, cui & pinnæ annexæ ſunt; aduerſa verò galeatæ Mineruæ caput adpareat. Ea inter Mineruas

PANORMITANI IMMVNITATE ET LIBERTATE DONATI.

PANORMVS RO. COLONIA MILITARIS.

MINERVA CORYPHASIA.

D priſcorum monumentis celebratas quincta (totidem enim numerãtur) a matre Coryphe Coryphaſia appellata fuit: patremque Corypallantem virginitatem ſuam violare conatum interemiſſe dicitur: atque hinc ob celerem perpetrato parricidio fugam eius ſimulachro pinnas ac talaria fuiſſe affixa priſcorum auctoritas confirmat. Panormi latitudinem & longitudinem Ptolomæus æquales deſcribit, vtranq; partium XXXVII. Hactenus itaque quantum ex antiquitatis monumentis colligere potuimus de Panormo dictum ſit. Ceterùm quum totus ille tractus inter Panormum & Drepanum, vrbibus antiquis, & rerum geſtarũ memoria celebretur, ora Segeſtana a priſcis appellata; quæ Motya, Hyc-

caro, Elyma, Segeſta, vrbibus, tum etiam Eryce & vrbe & monte habi- A
tata fuit: haud alienum fuerit ſi paucis earum quoque vrbium ſitum &
MOTYA A POENIS CONDITA. fatum proſequamur. Pœni quo tempore Panormum, eodem
& Motyam ſinuoſo in litore, quo Sicilia in Africam prominet, XX. P. M.
a Panormo diſtantem condiderunt. ad hanc Annibal Giſconis filius (vt
in Thermitanorum hiſtoria memorauimus,) claſſem ſuam facta ad Li-
lybæum exſcenſione, veluti in tutum receptum tranſmiſit; vt Syracuſa-
nis a belli conſilijs auerſis Selinuntios & Himerenſes, antiquam a Syra-
cuſanis defendi poſſent, opprimeret. Motyenſes etiam magna clade per-
turbauit Hermocrates Syracuſanus. Tres in Sicilia Motyæ a veteribus
MOTYAE TRES. celebrantur: ea, cuius iam mentionem fecimus: altera ſecundum inſulæ B
totius longitudinem ad Pachynũ promontorium huic aduerſa, ab Her-
cule condita, & a Motya muliere ob indicatos ei boum ipſius fures ſic
denominata. Tertia Agrigento vicina erat, & a Ducetio Siculorum rege
HYCCARVS VRBS. præſidio Agrigentinorum deiecto expugnata. Motyam a
Pœnis conditam, ad III. ferè P. M. ſequebatur Hyccarus oppidum mari-
timum, quod a Sicanis exſtructum Segeſtanis infeſtum erat: id a Nicia
Athenienſium duce qui Segeſtanis contra Selinuntios auxilio miſſus
fuerat expugnatum & direptum, in Segeſtanorum poteſtatem venit.
Lais admodum puella, in Hyccaro a Niciæ militibus capta traditur; in-
de Corinthi vendita ſcortum poſtea & forma & corporis quæſtu nobi- C
ELYMA VRBS. liſsimum. Vltra ad XII. M. P. in colle edito & aſpero Elyma vrbs
ab Elymo, vti haud procul inde, nempe quinque. P. M. ab oſtio Criniſij
fluminis, Egeſta ab Egeſte Troianis nomina habebant: totaque hæc ora
EGESTA VRBS. deinceps ab vrbe Egeſta, Egeſtana fuit appellata. itidem Egeſtanum ad
Criniſij oſtia ſiue Segeſtanum emporium. Vtriuſque vrbis originem
antiquitas a Troianis repetit. additur occaſio quum apud Laomedontẽ
qui Ilienſibus imperabat, purpuratorum quidam, vt qui res nouas moli-
retur, delatus eſſet, in eundem eiuſdemque virilis ſexus ſtirpem Laome-
dontis iuſſu ſæuitum fuiſſe: placuiſſe tamen imbellis ſexus rationem ha-
beri: & clemẽtius cum mulieribus agi: ceterùm quia neq; publicæ tran- D
quillitati, neque ſuæ ſecuritati ſatis conſultum fore rex verebatur, ſi filias
Troianis ciuibus elocaret, mercatoribus eaſdem in peregrinam regionẽ
tranſportandas tradidit. Cùm his eadem in naui honeſto loco natus
adoleſcẽs vehebatur; qui alterius virginis amore captus eandem in vxo-
rem duxit: quumque ad oram Drepanitanam delati exſcenſionem ibi-
dem feciſſent, a Sicanis ea loca incolentibus benignè excepti, incertis diu
ſedibus vagabantur; ex ijs parentibus, ijs in locis natus Egeſtes a matre
Egeſta, vt nonnullorum fert opinio ſic nominatus, iam adultior linguã
& mores regionis edoctus, poſt obitum parentum a Priamo rege reditũ
in ve-

A in veterem patriam impetrauit; quumque diuturni illius belli quo pro Helena repetenda Troianos Græci fatigauerant, erumnas cum reliquis ciuibus tollerasset, tandem capta ab hostibus patria, vnà cum Elymo regij sanguinis viro fuga elapsus, tribus nauibus quas Achilles saxis latentibus adhærētes neglexerat occupatis, iterum in Siciliam nauigauit: quūque post septennij tandem errores AEneas quoque ad istas oras appulisset; Egestes eundem cum comitibus hospitio exceptū benignè habuit: conditisq; Elyma & Egesta vrbibus paruo interuallo inter se distātibus, exercitus Troiani partem in hæc oppida colonos adscripsit; vt a maris vexatione & laboribus fracti tuto in loco quiescerent. Sunt qui scribant,

TROIANORVM IN SICILIAM ADVENTVS.

B detrimentum ibi classis esse acceptum, nauibus feminarum opera ob erroris tædium incensis; hinc AEneam coactum turbā quam post amissas naues excipere non poterat, reliquisse. Quidam ad huius originis occasionem exprimendam referendum esse opinantur, numisma illud Segestanorum, quod exolescentibus ob antiquitatem litteris; eius tamen lectionem tandem perductus vestigiaq; elementorum assequuti, tabula xij^a. vltimo loco expressimus: in quo duo Troiani sarcinas ex nauibus raptas colligere videntur. Obseruo etiam ab ijs, quibus Siciliæ antiquitates prodere curæ fuit, numisma describi, in quo ex aduersa parte, caput humanum cum inscriptione ΣΕΓΕΣΤΑΝΩΝ; ex auersa volucris si-

C gnata sit. qui nummus vt ad manus nostras non peruenit; ita de eodem iudicij ferre nihil possumus. Nec dubitandum sanè quin multa adhuc insignia numismata tota in Sicilia aut terræ visceribus contineantur, aut eruta ab antiquitatis studiosis conseruentur; quorum si fruendi nobis aliquando copiam fecerint, & ea lubenter publicaturi sumus; vt lectoris vtilitati consultum sit. nunc eorum tantum quæ nanciscī potuimus notas & exemplaria bona & sincera fide expressimus, & candidè communicauimus. sed ad omissam descriptionem redeamus. Eæ quas iam diximus sedes profugorum cum Egesto & Elymo fuerunt; appellatique sunt in vniuersum Elymi, quòd huius propter genus regium maior esset

ELYMI.

D dignitas. Aram quoque Veneris AEneiadis in gratiā matris apud Elymos AEneam erexisse traditur. vti & Egestanos ipsi AEneæ templum ob beneficij memoriam veluti conseruatori suo exstruxisse. in eo inter reliqua signa Dianæ ex ære simulachrum singulari artificio confectum in summa veneratione erat, ætate & habitu virginali, pendebant ab eius humero sagittæ; sinistra arcum, dextra facem ardentem ferebat. quod signum Segesta a Carthaginiensibus capta dissectaque, cum reliquis omnibus signis ornamentisque Carthaginem deportatum est. Postea a Scipione AEmiliano diruta Carthagine Segestanis restitutum. Egestam ab initio nominatam, postea Segestam cœpisse vocari obseruo: Sunt qui

EGESTA POSTEA SEGESTA APPELLATA.

Egeſtæ nomen, vt pote egeſtatis vocabulo ominoſum, a Romanis in Segeſtam ob ſegetum eo loci prouentum lætiore omine conuerſum opinentur. Ceterùm ſicuti de Elyma apud ſcriptores obſcura admodũ memoria exſtat; ita Segeſta,& Segeſtana ora de qua deinceps dicturi ſumus celebrior eſt. commendantur ob ſalubritatem aquæ Segeſtanæ; celebris eſt & fons Herbeſus; mox Criniſius fluuius,& emporium Segeſtanorum, ad oſtium eius fluminis ſitum. Aquæ Segeſtanæ è ſcaturiginibus ſuis calidæ proſiliunt: quæ ſi ſub dio refrigerentur potabiles fiunt: calidæ verò vt ſunt ſulphureæ, ita varijs morbis medentur. Herbeſus fõs ingentem lacum eumque ſulphureum facere, ſubitaque eructatione frequenter æſtuare & feruere ſcribitur. Labitur per Segeſtanum agrum Criniſius fluuius, Timoleontis contra Pœnos victoria nobilitatus: hic quia a priſcis vti & alij plerique fluuij, forma virili pingebatur, antiquis ſcriptoribus fabulandi occaſionem præbuit. Longa eſt fabula, quam iccirco lectori ab auctoribus repetendam permittimus: Egeſtam enim a Criniſio in vrſæ figuram transformatam compreſſamque, & ex ea Egeſtem, cuius originem & vitę curſum paullò ante proſequuti ſumus, natũ fabulantur, Segeſtanorum agros ad Lilybætanos vſque pertinuiſſe,& ab eis Mazara flumine; vti a Selinontinorum agro Amphisbete fuiſſe diſtinctos; ad hæc Scamandrum fluuium in Segeſtanorum agris, ad Scamandri fluminis in Phrygia forſan memoriam, ita a Segeſtanis dictum obſeruo. Bellum Segeſtani cum Lilybætanis geſſerunt ob agrorum fines, idque ſub mortem Hieronis primi. ſed mutua tandem clade ac prælijs fracti, pacem inter ſe componere coacti ſunt. Pace cum Lilybætanis confecta, belli cauſſæ inter Segeſtanos & Selinontios ob quædam ſponſalia, tum & ob agrorum limites a Selinontinis perturbatos, octingentos ferè poſt Troiæ excidium annos oriuntur. Selinontini qui armis plus poterant, Amphisbete flumine ſuperato, in agrum Segeſtanum excurrunt, eumque qua citeriore ripa præcingebatur occupãt; inde cuncta late populationibus & terrore miſcentes; agunt feruntque omnia. Segeſtani dum res ſuas per Legatos repetunt, illuduntur. placuit itaque armis illatam a Selinontinis iniuriam vlciſci. verùm Segeſtani victi, ad externa auxilia reſpexêre. Quumque Agrigentinorum & Syracuſanorum ſocietatem fruſtra ſollicitaſſent; quòd vtriſque cum Selinontinis fœdus intercederet, populum inde Athenienſem magnis promiſsis implent; callidoque vſi conſilio auxilium impetrant. Athenienſes namque, quum Segeſtani elatius atque confidentius opes ſuas & ſubſidia quæ pollicebãtur commendaſſent, Legatos qui Segeſtanorum opes & potentiam propius inſpicerent, miſerant: eos Segeſtani in Veneris fanum deducunt; quidquid facti infectique auri argentiúe aut etiam ſignati

AQVAE SEGESTANAE.

HERBESVS FONS.

CRINISIVS FL.

BELLVM INTER SEGESTANOS ET SELINONTINOS.

A B C D

A ſignati erat, ad hæc Veneris donaria ac vaſa ſacra, omnia veluti ex ærario prolata Legatis cumulatim congeſta oſtentant: rogatoq́; in vſum a vicinis, cognatis aut etiam confœderatis populis copioſo auri argentiq́ue inſtrumento, Legatos magnifico & ſplendido apparatu exceptos comiter & amicè habuerunt: nec caruit ſucceſſu dolus benè diſsimulatus. Legati namq́ue Athenas reuerſi, omnia affatim ad belli ſumptus neceſſaria a Segeſtanis ſocijs ſuppeditari poſſe referunt. auxilia itaque Athenienſes Segeſtanis cõtra Selinontinos Nicia, Alcibiade, ac Lamacho ducibus decernunt. Leontinis, qui in eius belli cum Segeſtanis ſocietatem veniſſent, libertatem promittunt: Selinontinis verò & Syracuſanis con-
B fœderatis ſeruitutem minantur. Nicias ſimulatque ad oram Segeſtanã appulit, Hyccarum expugnatione captum Segeſtanis tradit: & ab ijs ex fœdere triginta talenta in ſtipendium nauticum accipit. Ceterùm quum neglectis Selinontinis, Athenienſes cupidius quàm felicius rem contra Syracuſanos gererent; ab eiſdem in Sicilia deleti ſunt. hinc Segeſtani deſerti, ſuis quoque rebus metuentes, agros quorum cauſſa bellum ſuſceperant, Selinontinis vltrò cedunt: quumq; ij quicquid per vim poſſent, magna licentia ſibi vſurparent; & plus agrorum quàm ex fœdere debebatur eiectis aratoribus occupaſſent; Segeſtani imploratis per Legatos Pœnorum auxilijs, vrbem agrumq́ue quem ipſi a Selinontinorum in-
C iuria liberare poſſent, Carthaginienſibus dedunt. Placuit itaque duce Annibale Giſconis filio auxilium Segeſtanis contra Selinontinos mittere. Selinontini nihil eo Segeſtanorum cum Pœnis fœdere commoti, quamuis etiam præſidium Pœnorum ab ipſis receptũ nunciaretur; contemtius longè quàm antea in Segeſtanorum agros irruptionem facere, ſed magna clade repulſi domum reuertuntur. Interim Annibal exſcenſione ad Lilybæum facta, Selinontinos nequidquam Syracuſanorum auxilia exſpectantes maximo impetu adortus, expugnata nono die Selinonte vrbem ipſam funditus flamma ferroq́ue euertit. Segeſtani autem deleta Selinonte in Pœnorum ſeruitutem prolapſi ſunt: donec Timoleõ
D qui deiectis tota Sicilia tyrannis, Carthaginienſes quoque magna clade fractos ad eas pacis condiciones coëgit, vt Græcanicæ in Sicilia ciuitates a Pœnorum dominatione liberæ eſſent, Segeſtanis, libertatem reſtitueret. Ceterùm Segeſta quum opibus & potentia conualuiſſet, ſub Agathocle a cuius dominatione deſciuerat, magnam cladem accepit, ciuibus enim ferè vniuerſis ad flumen Scamandrum interfectis, Agathocles fortunas ipſorum exſulibus & transfugis diſtribuit; agrosq́ue Segeſtanorũ eiſdem vt colonis aſsignauit. vrbem verò ipſam non vt antea Segeſtam, ſed a iuſta in ciues animaduerſione Dicæapolin deinceps appellari vo- DICÆA-POLIS.
luit. Obſeruo & AEmilium Cenſorinum (tempus non additur) ſæuiſ-

ſimam

ſimam & immanem dominationem in Segeſtanos exercuiſſe: nouorumque & inauditorum cruciatuum & tormẽtorum inuẽtoribus præmia propoſuiſſe. Sicilia verò in poteſtatem populi Ro. redacta, Segeſta non ſolùm libertate donata; ſed amicitia quoque & cognationis neceſſitudine, (quod haud ſecus quàm Romani genus ſuum ad Ilienſes Segeſtani referrent) cum Pop. Ro. coniuncta eſt: interim & ipſa Verris libidine, qui Dianæ ſimulacrum (cuius iam mentionem fecimus) ijs eripere conabatur, nonnihil turbata. Segeſtam, Segeſtanum emporium, & Drepanum Ptolemæus ſub eadem parallelo incluſit, ſed meridianorum ſpacijs diſiunxit: vſqueadeo vt quum Segeſtam a Segeſtano Emporio triginta trib. Paſſuum M. verſus ortum ſummouerit; Drepanum Segeſta occidentalius VIII.P.M. faciat. Vltra Segeſtanũ emporium prominet in Africam AEgytharſus promontorium. Huic oræ & Drepano mons Eryx antiquorum monumentis celebratus imminet. monti nomen & vrbi in eo ab Eryce Buthæ & Veneris filio in fabulas relatum eſt, qui hiſtoriæ fidem laudant; in hanc ferè ſententiã (vt rem in pauca conferamus) ſcribunt. Buthen regis maioris Phrygiæ filium fuiſſe; eius patrem (nomen non traditur) a Polluce ab tyrannidem in cæſtuum certamine cæſum. Buthen ob patris odium regno paterno expulſum fugatumque, ad oram Drepanitanam quum nouas quæreret ſedes appuliſſe. additur, Lycaſtam feminam, opibus & forma, tantaque oris venuſtate commendatam, vt Veneris cognomine donaretur, id tẽporis ijs locis imperaſſe: eam Buthæ amore captam, ipſique; fœdere & matrimonio coniunctam Erycem peperiſſe; Erycem Buthæ & Veneris, ob Lycaſtæ matris formoſitatem, filium vulgò fuiſſe creditum: qui quum in regnum patris ſucceſsiſſet, iuxta verticem montis, qui Drepano imminebat, vrbem condidiſſe; vrbique nomen & monti de ſuo Erycem feciſſe. templum quoque ingens in eius verticis planicie Veneri cognomento Erycinæ erexiſſe ac dedicaſſe. quod non ſolùm ab indigenis deinceps excultum, & donarijs ampliſsimis locupletatum fuit; ſed ipſius etiam Dædali artificis præſtantiſsimi ingenio exornatum, & ab AEnea quum ad hanc inſulæ oram appuliſſet, magna pietate cultum: denique Athenienſium & reliquorum Græcorum veneratione frequentatum, omnium tamen ampliſsimè Romani Sicilia in poteſtatẽ redacta ſignis argenteis, aureis, alijſque omnigenis precioſiſsimiſque donarijs id ditarunt: impoſitoque in eius tutelam ducentorum militum præſidio, tributum quoque annuum tum in ſtipendium præſidiariorum, tum in reliquũ templi vſum ſeptemdecim Siciliæ vrbibus imperarunt. Quumq; ſub Tiberio Cæſare templum iſtud vnà cum Eryce colonia deſertum eſſet, Tiberij iuſſu ex ærario Po. Ro. reſtitutum fuit: qui eo promtius ac lubentius

SEGESTANI LIBERI AMICI ET COGNATI PO. RO.

ERYX MONS ET VRBS.

ERYCINA VENVS.

A B C D

A lubentius eam inſtaurationem ſuſcepit, quòd Segeſtani a Troianis vt & Romani, originem ſuam repeterent. Sollemnia Veneri apud Erycinos Ἀναγώγια ſiue Reducis feſta fuiſſe obſeruo; eaque neque ſtato anni tempore, aut die, ſed incerto; quem tamen ex Deæ in Africam quotannis profectione, & poſt nonum diem reditu ex columbarum auſpicijs & volatu obſeruabant. quum enim columbæ maxima frequentia circa DEAE templum (cui ob fecunditatem conſecratæ erant) ſemper obuerſari cernerentur, eædem ſi fortè ad tẽpus non apparerent, Venerem profectã, ac volucres in ipſius comitatu ſimul diſceſsiſſe credebãt: donec nono inde die vna è columbis veluti Deæ redeũtis prænuncia cum ala-
B rum applauſu ex toto grege præuolante, ſequentibus mox gregatim reliquis, Veneri tanquam reduci gratularentur: eumque diem epulis ac lætitia publica celebrabant. Legimus & Romanos duo Veneri Erycinæ templa Romæ condidiſſe: vnum in Capitolio quod Q. Fabius Dictator dedicauerat. alterum extra portam Collinam; in quo Deæ ſignum a M. Marcello capta Segeſta ex Sibyllę Cumanæ oraculo Romã tranſportatũ collocauerãt. eſt & Erycinę Veneris apud Pauſaniã in Arcadicis mẽtio. Erycen verò corporis robore ferocẽ, & opum licẽtia impotentius dominantem, Hercules quem Eryx ad ſingulare ceſtuum certamen magna virium ſuarum confidentia fretus prouocauerat, cum eodem cõ-
C greſſus interemiſſe & in ea quam Eryx condiderat vrbe regio more ſepelijſſe proditur. hinc republica legibus cõſtituta ſanxiſſe, ne alij deinceps ab Erycinis in principatum aut magiſtratum aſſumerentur, quam qui gentis Heraclidarum, aut ipſorum neceſſarij eſſent. qua lege Erycini poſtea Dorieum, quum eò loci exſcenſionem feciſſet, quòd is ſeſe de Herculis ſtirpe oriundum oſtenderet benignè exceperunt; & in condenda Heraclea auxilio fuerunt. In ipſo monte, quà Lilybæum aſpicit, Anchyſen AEneæ patrem ſepultum fuiſſe memoriæ proditum eſt. ANCHYSIA.

Erycem aut vrbem paullò infra montis verticem in planicie conditam fuiſſe diximus; aditu quidem longiſsimo ac difficil-
D limo. Ceterùm quum belli Punici primi anno decimo octauo Pœnorũ præſidio defenderetur, L. Iunius Pullus Conſul, quia Lilybæi obſidio Romanos diu nulloque ſucceſſu tenebat atque ipſe claſſem vi tempeſtatis & naufragio amiſiſſet, anxius ac ſollicitus diſpicere cœpit, qua ratione cladem acceptam aliquo cum Pœnorum detrimento corrigeret: cogitare ſecum, Gallos eſſe mille & linguæ & ſcelerum neceſsitudine cõiunctos, qui Pœnis ſtipendiarij Erycem fidei ſuæ cõmiſſam tenerent: eos quia domi fidem violaſſent a gentilibus patria ſua expulſos, Pœno quoque ſi præmia proditionis proponerentur parũ fidos futuros; vt qui vitã venalem haberent. argumento eſſe, quòd paulò ante ob non ſoluta ſti-

ERYX A ROMANIS CAPTA.

pendia Agrigenti ſeditionem mouiſſent. Conſul itaque in hanc ſpem A incumbens, cum ijſdem per interpretes de prodenda Eryce agit: Galli præmio corrupti, poſtquam Veneris Erycinæ tẽplum deprædati eſſent, ad Conſulem transfugientes Erycem deſerunt. Conſul occupata vrbe quamuis vel ſitu ſuo ſatis munitam perſpiceret, quò tamẽ vndique eam a Pœnorum vi & impetu protegeret; cohortes aliquot in vertice, mox alias ad radices mõtis quà aditus a Drepano erat, præſidio collocauit. Interea perlato Carthaginem de Eryce capta nuntio Senatus vt rebus in præceps euntibus aliquid ſubſidij ferrent, Amilcarem cognomẽto Barcam virum acrem & rei militaris prudentia nobilem cum claſſe & exercitu in Siciliã mittunt. is exſcenſione non longè a Drepano facta, octin- B gentis a Conſulis exercitu paſsibus, in monte prærupto & excelſo caſtrametatus, magnis præclariſque rebus contra Romanos geſtis, Erycẽ (quã mediam inter verticem montis & Romanorum vtrinque preſidia fuiſſe oſtendimus) per fraudem recepit. quod facinus Romanum iuxta ac Pœnum pari contentione & æmulatione ac gloriæ ſtudio ad labores & periculorum contemtum accendit. Romani enim qui verticem tenebant, a Pœnis qui medio in loco erant, veluti intercluſi, ſummo in diſcrimine verſabantur; nec minus Carthaginienſes omni rerum inopia præmebãtur; duobus Romanorum præſidijs, altero ſupra verticem, altero a radicibus montis obſeſsi; adhæc vnico duntaxat eoque admodum impedi- C to ad commeatus importandos aditu. ſaluti Pœnis fuit Amilcaris vigilantia, & inuicta in periculis animi fortitudo; & quòd Romanos frequẽti excurſione laceſſendo, ſuos ſubinde commeatu & ſuppleméto recreabat. Romanis autem gloriæ ſtudium & militaris diſciplinæ ſeueritas, tum eorum qui Lilybæum obſidebant contra Amilcaris impetum conſtantia & pertinacia animos faciebat. Ita obſeſsi inuicem, & obſidentes ſumma animorum vtrinq; contentione, contemtis periculis & ad extrema infracti per biennium durabant; donec Pœni prælio nauali ad AEgates a Lutatio conſule fracti, Amilcare ad conditiones pacis concedente ab Eryce atq; a deò ab vniuerſa Sicilia præſidia deducere & militares copi- D as in Africam transportare ex legibus pacis coacti ſunt.

ERYX A POENIS RECEPTA.

ΔΡΕΠΑΝΩΝ.

DREPANI ORIGO.

DREPANVM Græcæ originis eſſe multorum opinionibus creditum; nulla tamen quam adferre poſſum, veterum auctoritate teſtatum eſt. Situm erat a Lilybæo XVIII. P. M. in peninſulæ cuiuſdam ceruice inſtar falcis repandæ: vnde & ipſi nomẽ Drepanum, Græci enim δρέπανον falcem vocant. Quibus vera fabularum inuolucris inuoluere moris

A moris est, Saturnum postquam Cœlo patri virilia præsecuisset hoc loco falcem abiecisse, & inde vrbem ab eo euentu Drepanum cæpisse vocari (quod & de Zancla quæ postea Messana dicta est supra annotauimus) fabulantur. Portum olim habuisse insignem, AEneæ & aliorum receptu nobilitatum antiquitas testatur. Lycasten Erycis matrem tanta formæ dignitate & venustate conspicuam, vt non solùm Veneris cognomen mereretur, sed & pro ipsa Venere coleretur, huic vrbi olim imperasse traditur. Hinc verisimile est Lycastæ faciem, quæ magnam adhuc formæ venustatem & elegantiam ostentet, in Drepanitanorum numismate signatam fuisse: nisi aliorum coniecturam sequuti; faciem illam Veneris
B AEneiadis, cui, vt matri eò loci AEneas aram erexerat, credere maluerimus. Mare Sardoum quod Drepanum alluit, omni piscium genere copiosissimum, præcipuè tamen locustis & leonibus marinis abundat; adhæc laudatissimo inter Drepanum & Heliam insulam corallo. ad radices verò Erycis etiam argenti fodinas olim in agro Drepanitano fuisse memoriæ proditum est. ceterùm ea ora qua post ceruicem, quam diximus Lilybæum vsque per XVIII.P.M. incuruatur, Euripum habet; eique tres in mari Sardoo insulæ obiectæ sunt, veterum scriptis & Romanorũ Pœnorumque circa eas rebus gestis præclaræ: Phorbantia frontem contra Drepanum ab eo XII.P.M. auulsa porrigit; AEgusa siue AEgate, variat
C enim apud scriptores nomen contra Lilybæum; Tertia Hiera siue Hieronesus latinis sacra dicta, longius in altum proiecta a Drepano XXX.P.M. distans, cum AEgusæ & Phorbantiæ situ trianguli ferè verticem claudit; hæc thymo flagrans, melle apiario commendatur. AEgusa a letissimis prouentibus, aquarum salubritate, & tutissima classium statione celebratur. C. Lutatius Catulus Consul Annonem Pœnorum ducem, quũ ille Amilcari commeatum & subsidium ex opportunitate allaturus, ad Hieronesum triduo classem in statione tenuisset commisso ad AEgatẽ insulam prælio nauali, nauibus quinquaginta partim fractis conuulsisque, partim depressis, alijs septuaginta vnà cum decem Pœnorum milli-
D bus captis, reliquis in fugam versis superior, bello Punico primo, quod per XXIIII. annos mutua magnaq; clade pro Sicilia gestũ est finẽ imposuit. Circa Drepanum quod semper a Pœnorum præsidio contra Romanorum impetum vsque ad pacificationem defensum fuit. Res Romana temeritate Ap. Claudij Consulis grauissimam cladem accepit: qui inconsultius nocte intempesta cum Adherbale congressus, è centum viginti nauium classe, nonaginta tribus ab hoste captis, vel depressis, ægre cum triginta elapsus turpi fuga salutem tutari potuit. Hanc tam insignem cladem contemptæ religioni Po. Ro. acceptam tulit: Ap. Claudius enim cõsul, cum Pullarius auspicanti obnunciasset, quod pulli cauea

PHORBANTIA INSVLA.

AEGATE INS.

HIERA INS.

ROMANORVM AD DREPANVM CLADES.

emiſsi neque tripudium ſoliſtimum facerent, neque eſſe vellent acerba illuſione inſultans; vti biberent in mari proijci iuſſerat. hinc poſtquam conſulatu ſe abdicaſſet populi iudicio condemnatus. Ceterùm Lutatius poſtea Drepanum magno impetu, multoque militum labore terra mariq; aggreſſus ob Annonem, qui tunc cum claſſe Pœnorum ad Hieroneſum vt diximus appuliſſe nunciabatur, ab eius oppugnatione diſtractus eſt. victoque tamen poſtea Annone, & Amilcare, qui pacem cũ Romanis fecerat, è Sicilia diſcedente Drepanum in Populi Ro. poteſtatem venit. A

ATHENIO FVGITIVORVM BELLO SERVILI DVX.

Athenionem fugitiuorum in Sicilia ducem, qui fax altera bellorum ſeruilium fuit, Drepani ortum fuiſſe a nõnullis ſcribitur: alij genere Cilicem, conditione ſeruum, dominum ſuum audaci ſcelere interemiſſe prodũt. B Is quum maximas fugitiuorum copias, liberatis etiam ex ergaſtulo ſeruis coegiſſet, regium ſibi nomen & regia inſignia ſumpſit; vicos, caſtella, oppida diripienda ſuis dedit, in dominos & ſeruos etiam qui ad ipſum non transfugerant, atrocius quam in transfugas ſæuire; Prætorum exercitus profligare; caſtris Seruilium, & Lucullũ prætores exſuere Ceterùm a M'. Aquillio Conſule locis arctiſsimis quaſi indagine intercluſus, & fame ob intercœptos commeatus cum ſuis in rabiem actus, quum ob ſuppliciorum metum ſeſe dedere nollẽt, mutuis inter ſe ictibus concurrentes confecti ſunt. Ipſe Athenion dux inter rixantium & luctantium manus a Romanis militibus diſcerptus traditur. C A Drepano verſus Lilybæũ litora optimo ſale & quod in æſtuarijs a ſole concoqueretur abundabant: mare ipſum a Thynnorũ piſcatione commendatur. Drepanum verò omnium totius inſulæ vrbium longiſsimè ab Italia & a Neapoli, CCC. P. M. diſtare ſcribitur. eius longitudinem Ptolemæus XXXVII. partibus, latitudinem XXXVI. s. menſurat. Sunt qui Erycem nunc Drepanum montanum; vt alterum in Cherſoneſo ſitum Drepanum Ciſmontanum appellari confirment.

ΛΙΛΥΒΑΙΙΤΑΝ.

LILYBAEVM Pœnorum Colonia. D

LILYBAEVM tertium Siciliæ promontorium & extremum quod Africæ prætenditur, in occaſum Brumalem vergit vrbs eodem loci a Pœnis condita proditur. huic aduerſum Mercurij promontorium, quod ab Africa haud longe ſupra Carthaginem prominet, ab eodem CXXV. P. M. diſtare Polybius auctor eſt, etiam ſi nonnulli hoc ſpatium ad CXXC. P. M. extendant, alij rurſus ad C. P. M. contrahant, Lilybæum tribus paſsim millibus, cæco admodum vado aſperiſque ſaxis vix ad quinque pedum altitudinem ſub vnda deliteſcentibus extenditur. flexuoſo

A xuoſo inde litore & in brachij modũ ſinuato portum natura tutiſsimũ & ampliſsimum habebat, ceterùm per ſtagna ad eius fauces, difficilis admodum & impeditus nauibus ingreſſus, & non niſi a perito tentandus patebat. Lilybæum vrbem a Pœnis poſt Himeram & Selinontem ab Annibale Giſconis filio deletam conditam fuiſſe veterum auctoritate teſtatum eſt. vrbem Sibyllæ Cumanæ, quæ volumina de rebus arcanis & vaticiniorum plena Tarquinio Priſco regi obtuliſſe legitur, hoſpitio & ſepulchro celebrem fuiſſe; itidem puteum in vrbe Lilybæum nomine iccirco cõmendatum, quòd ij qui ex eius aqua bibiſſent, pythico furore afflati oracula ac reſponſa daret obſeruo. nec dubium eſt quum eam ob

LILYBAEVM CONDITVM.

B cauſſam Lilybætani Apollinis capite, Gryphoque Apollini ſacro, & Tripode Apollinis ſymbolo ac Lyra ſua numiſmata ſignauerint. Hoc quoque ab antiquitate memorię proditum eſt, Lilybætanum quendam tam acuta oculorum acie præbitum fuiſſe, vt ex huius promontorij vertice, claſſem quæ è portu Carthaginienſium ſoluebat conſpicatus, nauium numerum, velorumque ſeriem renunciaret, & ſunt qui hoc quoq; ſæculo (quod credibilius eſt) ex promontorij huius ſpecula Mercurij promõtorium ſereno & liquido cælo aſpici confirment. qui ſi non fallunt, argumento eſt Lilybæi verticis perpendiculum ad quinque millia paſſuum a loci eiuſdem planicie vt ratio Spherica docet aſſurgere. Vrbem

C primo bello Punico, poſt Cæcilij Metelli victoriam, C. Atilius Regulus & Cn. Cornelius Blaſio Coſs. duplici obſidione oppugnaturi foſſa & aggere, turribus inde & machinis bellicis clauſerant: eandem præter vrbanam multitudinẽ Imilco præfectus cum decem Pœnorum millibus defendebat: qui indefeſſo labore ac vigilantia incredibili vbique accurrens dum laborantibus ſubſidium fert, mœnia conquaſſata aut collapſa inſtaurat. hoſtium cuniculos actis in cõtrarium cuniculis obſtruit, Romanorum impetus & conatus infregit, eoſque magna cum clade repulit. Quumque ea obſidio diutius teneret, quo minus per proditionem quam quidam ex præſidiarijs ordinum ductoribus cum Conſulibus pa-

LILYBAEVM A ROMANIS OBSESSVM.

D cti fuerant oppidum in Romanorum poteſtatem veniret. Alexonis Achiui indicio factum eſt. Lilybætani & ſi ea Alexonis fide a proditionis diſcrimine liberati, ob arctam tamen qua a Coſs. premebantur obſidionẽ, fame & omnium rerũ inopia laborabant. quod ſuſpicati Carthaginienſes, claſſem quinquaginta nauiũ cum commeatu & decẽ militum millibus duce Annibale Amilcaris filio Imilconi ſuiſque in ſubſidium mittunt. Is ſecundo ab AEguſa vento vſus in ipſas Lilybætani portus fauces ſuis omnibus ad prælium inſtructis delatus, dum Conſules inopinato hoſtium aduentu attoniti ſtupent, & vi tempeſtatis aduerſæ ſuperati conſilijs fluctuant, portum incolumis cum ſua claſſe tenuit, & cũ

copijs omnibus Lilybæi exſcenſionem fecit. Imilco commeatuum & A
ſupplementi acceſsione recreatus ac confidentior factus, quum per eruptionem in Romanorum machinas ferro, igne, telis magno impetu inueheretur, ſtrenuè a Conſulibus magna cum ſuorum clade in vrbem repulſus eſt. Annibal cum ijs quas deduxerat nauibus, nocte intempeſta ſoluens, ſuperatis Romanorum ſtationibus Drepanum verſus, vt ſe cum Adherbale coniungeret vela facit. Ceterùm quum arctiore indies obſidione premerentur Lilybætani ita vt ne nuncius quidem, qui ſocios de ipſorum neceſsitate certiores faceret elabi poſſet: & Carthaginienſes ſuper ea re anxij deliberarent, Annibal Rhodius Senatui promittit, ſeſe cum vna naui, plenis velis vel ſub oculis hoſtiũ exploraturum quo B
ſtatu res Lilybætanorum eſſent, cum dicto fides ſequuta eſt: ſecundum namque ab AEguſa ventum nactus, pleno die contemta etiam Romanorum claſſe, fauces ſuperat: & de ſtatu Lilybætanorum edoctus, multo etiam num die per medias hoſtium naues elapſus ac Carthaginem reuerſus, ad Senatum ea quæ explorata haberet retulit. Eius exemplum & alij deinceps inſequuti Romanorum conatus nauium celeritate eludebant. viſum itaque Romanis coniectis & aggeſtis molibus fauces portus obſtruere: ſed quum ne hoc quidem tum ob vaſtam Maris altitudinem omnia deuorantem; tum ob reciprocos æſtus qui iniecta conuellebant procederet; opportune accidit, vt nauem quandam Pœnorum celerri- C
mam indagine caperent, qua potiti & Rhodiam illam cum Annibale eadem nauis agilitate intercipiunt: ac vtranque deinceps inſtrumento & naualibus ſocijs inſtructam circa fauces vt Pœnos ab omni Lilybætanorum commercio prohiberent diſponunt. Creuit ex ea re obſeſsis pariter & obſidentibus pertinacia Lilybætanis præcipuè; quum ſubitò exorta ab auſtro vis procellarum machinas turresque Romanorum aliquas proſternit; ceteras ipſi Lilybætani eruptione facta iniectis in eas facibus igne conſumunt aut corrumpunt. Ad hunc modum exarmati a machinis & oppugnationis inſtrumento Conſules; aggere & foſſa vrbem quà terra poterant cingentes, hoſtem ſedendo frangere, & D
fame ad deditionem cogere conſtituunt. P. inde Claudius Pulcher cum ſupplemento in Siciliam miſſus cladem ferè reipublicæ pernicioſam ad Drepanum ſua temeritate ab Annibale, vt in Drepanitanorum hiſtoria diximus, accepit. Mox & Carthalo Annibalis Legatus claſſem Romanã, quæ ad portum Lilybætanum in ſtatione erat ex improuiſo adortus; erumpẽte ſimul ex vrbe Imilcone naues complures cum cepit tum incendit. Interea Iunius Conſul cum magna iterum claſſe in Siciliam miſſus, quum in loca importuoſa, vt ſe contra Carthalonis impetum protegeret, naues ſubduxiſſet claſſem vniuerſam fœdiſsimo naufragio afflixit:

qua

A qua tanta clade deiectus nihil magni postea, præterquam quod Erycem per proditionem (vt memorauimus) interceperit, gesit; Amilcare Barca omnes Romanorum conatus per biēnium frangente; continuisque infestationibus commeatuum commercia intercludente. Cum itaque quinquennium iam Romani a mari abstinuissent; decreuit Senatus nouam iterum classem instaurandam; & instar eius Rhodiæ, quam antea captam scripsimus, ducentas quinqueremes ædificatas omni instrumento nautico instruunt: ijsque C. Lutatium Consulem cum imperio præficiunt. Is aduersus Pœnos ineunte vere missus, summam victoriæ sua celeritate imposuit: Postero enim quàm in conspectum hostis venisset
B die, classem Punicam commeatibus reliquoque apparatu & instrumento grauem atque impeditam oppressit; Pœnosque ad pacis condiciones accipiendas coëgit: vectigalesque. Po. Ro. & stipendiarios fecit. Lilybæū verò ipsum in potestatem Romanorum deditum est. Ceterùm bello Punico secundo dum Romani Hannibale trans Alpes in Italiā degresso, rebus aduersus Hannibalē in Italiam gerendis distinerentur, Pœni instructa viginti quinqueremium & aliarū aliquot nauium classe, mare circa Siciliam denuò infestabant; rebusq; nouis studentes circa AEgusam insulam cum triginta nauibus consistentes, Lilybætanos, cum quibus ipsis adhuc aliqua necessitudo erat, ad defectionem sollicitabant.
C quæ postquam Hiero secundus qui per id tempus Messanæ Sempronii P. Scipionis collegam operiebatur, ex captiuis Pœnorum intellexisset, ad AEmilium Prætorem præscripsit: qui dispositis statim in speculis per omnem Siciliæ oram excubijs ac custodijs, Lilybęum simul ad omnem belli euentum communit: Hinc cùm Pœni vigilum solertiam se fallere non posse viderent, necessarioque sibi ad manus veniendum esse, vbi illuxisset, in altum prouecti Romanorum nauibus liberum è portu exitū & pugnandi spacium concedunt. Romani itaque constituto rei summam prælio committere, quum animaduerterent, Pœnos non tam vi quàm arte ac dolo rem gerere, ac suos eludere, nauiumque potius quàm
D virorū certamen inire, toto impetu in Carthaginienses inuecti, septem Pœnorum naues capiunt, ceteras profligant: milites & nautæ mille & septingenti intercepti in his tres Carthaginiensium proceres. Classis verò Romana incolumis vna tantum naui perforata, in portum redijt. Dum hæc circa Lilybæum geruntur, Ti. Sempronius cum centū quinquaginta quinqueremium classe ab Hierone regio apparatu Messanæ excipitur; a senatu in Siciliam missus, vt cum ea quam diximus classe bellum ex Italia in Africam transferret. Is intellecto quo in periculo res Lilybætanorum essent, nulla interposita mora vnà cum Hierone classeque regia Lilybæum profectus, cognita ibidem suorū victoria

LILYBAEVM POP. ROMAN. DEDITVM.

MELITA INSVLA.

ria, Prætore pro concione laudato, eodemque ad tuendam maritimam Siciliæ oram cum Hierone relicto, ipse Melitam insulam, quæ a Carthaginiensibus tenebatur cursu petijt. Aduenienti Amilcar Giscónis filius præsidij præfectus cum duobus circiter militum millibus oppidum cum insula tradit. Inde paucos post dies Lilybæum reuersus, captiuos præter eos qui nobilitate præstabant, sub corona vendidit, ac tantum in Lilybæo vndique apparatum cõgesit, vt mox ipsam Carthaginem obsessurus videretur. Sed litteris Senatus reuocatus, quòd Hãnibal Superatis iam Alpibus Italiam inuasisset, vt sese quàm primùm cum Scipione coniungeret, & Italiæ rebus consuleret, continuato nocte dieque itinere quadragesimo post die ad Ariminum peruenit. Cetera Lilybætanorum nobis incognita, vel iniuria temporum vel incuria hominum permanserunt. Lilybæum Geographus secundum longitudinẽ XXXVII. secundum latitudinem XXXVI. partibus mensurat. vltra ad Lilybæum ad mare Libycum, Mazaram oppidum & emporium ad fluuium stagnumq; eiusdẽ nominis situm, ab Hannibale Giscónis filio dum in Selinontios moueret captum & direptum fuisse Græci scriptores prodiderunt. Entella quoque vrbs in mediterraneis, a Mazara XXV. P.M. in vertice montis quatuor ferè Mill. P. patente, præcisis vndique & præruptis in rupibus, & quæ vnicum tantum aditum eumque perangustum habebat, sita erat. hanc ab Entello Troiano AEneæ socio qui cæstibus cum Darete contenderat, cõditam ferunt. Ea Timoleon potitus, quum in ciues quattuordecim qui ad partes Carthaginiensium rempublicam inclinauerant, animaduertisset, ceteros libertate donauit. Commẽdantur a priscis ob generositatem Entellana vina & agri vbertas; qui Hypsæ fluminis alueo irrigatus, fertilior redditur. Is fluuius tribus ex fontibus ortus & multorum riuulorum alueis longo tractu auctus, tandem amplissimus in Libycum mare sese exonerat: atque a Mazara quem diximus fluuio vsque ad Atys fluuij de quo mox scripturi sumus ostium, totus hic insulæ tractus ora Selinontina a Selinonte vrbe a Priscis dicta fuit; quare ordo postulat vt ad Selinontinos progrediamur.

MAZARA.

ENTELLA OPPIDVM.

HYPSA FLVVIVS.

A

B

C

D

ΣΕΛΙΝΩΝΤΙΩΝ.

SELINVS Megarensium Hyblæorum Colonia.

SELINONTEM Megarenses Hyblæi a mari Ionio, sinuque Megarico duce Pammilio ad Libycũ mare profecti, cis ripas Selinontis fluminis, expulsis inde Pœnis occupauerant. Ceterùm quum Selinontis vrbis origo a Megarensibus Siciliæ repetenda sit; neque vlla hactenus

A hactenus de ijs ſcribendi opportunitas ſeſe obtulerit, operæprecium me facturum nec minus gratũ ſtudioſo Lectori fore arbitratus ſum, ſi ſitũ, colonos & nomina Megaræ vrbis paucis expoſuerimus: vt Selinontios ſuis maioribus reſtituamus. Octauo itaque anno poſtquam Archias Siculorum gente eiecta Syracuſas obtinuerat, quum Lamis è Megara Græciæ coloniam Megarenſium in Siciliam deducturus appuliſſet, iuxta Pantagiam flumen, quod haud procul infra Taurum promontorium in mare Ionium ſe exonerat, Protilium oppidum condidit. qui quum poſtea vnà cum Chalcidenſibus Leontinorum Rempublicam adminiſtraret, a Leõtinis expulſus, Tapſum peninſulam media

PROTILIVM OPPIDVM.

B ferè inter Leontinos & Syracuſanos ora tenui ceruice in mare protẽſam occupauit: & eiuſdem nominis oppidum in ea condidit. Lami defuncto Megarenſes ab Hyblone Siculorum rege in Hyblam haud procul inde diſtantem, & mari imminentem recepti, vrbem de patriæ ſuæ nomine Megaram dici voluerũt; quanquam vſus poſtea obtinuit, vt Hyblæ nomen inualeſceret, Megaræ obſcurius eſſet. Ea itaque vrbs a Siculis conditoribus Hybla, a colonis Megarenſibus, Megara dicta, poſtea confuſo ex vtriſque nomine ciues Hyblæi Megarenſes cognominari cœperunt. eſt & illud vt confuſionem vitemus obſeruandum, tres in Sicilia fuiſſe Hyblas a ſcriptoribus celebratas, ſitu, & nomine diſtinctas. Maiorem

HYBLA MEGARA POSTEA APPELLATA.

C Hyblam in agro Catanenſi cognomento Telliam haud procul a Centoripe vrbe iuxta AEtnam montem collocant: eiuſque ciues ſine alia adiectione & ſimpliciter Hyblæos vocant. Minorem verò Hyblam cognomine Neram in agro Gelenſi reponunt. & Hippocratem Gelæ Tyrannum ibidem in prælio a Siculis interfectum ſcribunt: Hyblæ verò mediæ quæ ad mare Ionium ſita erat, ciues triplici nomine a priſcis cognominatos obſeruo. aut enim Hyblæos ab Hyblone conditore ſimpliciter: aut compoſitè ob cauſam iam a nobis explicatã Hyblæos Megarẽſes; aut a Galeote Apollinis filio Galeotas fuiſſe vocatos, Huius Hyblæ ager quia Thymi & Salicti floribus abũdabat ad quos apes auidiſsi-

HYBLA TELLIA.

GALEOTAE.

D mè conuolant, a mellis præſtantia laudatur. Hæc quoque Hybla (vitióne ſcribentis pro Galeotis, an qua de cauſſa incertũ) Geratis cognomento apud Pauſaniam vocatur: adhæc Hyblæam deam eiuſq; fanum apud Hyblæos, ſumma in veneratione fuiſſe apud eundem traditur; Memoratur apud Hyblæos & Galeotarum ſacerdotum Appollinis collegium, quod Galeoten Apollinis filium pro numine tutelari colebat; & ſomniorum oſtentorumque interpretatione, augurali quoq; arte & aruſpicina præcellebat: quos Dionyſius Syracuſarum tyrannus de futuris euẽtibus conſulere ſolebat. Ceterùm Hybla, ſiue promiſcuo nomine Megara, poſtquam a Megarenſibus habitata in magnam ciuium frequentiam

anno demum centesimo propagata esset, nouaque ex Megara metro- A
poli militum manum ciues acciuissent, Selinontem ad Libycum mare
a Pœnis conditam, eiectis Pœnorum ciuibus inuadunt & occupant. De
Megaræ fato, antequam ad Selinontis descriptionem progrediar hoc
quoque adscribam; Gelonem Syracusanorum regem, ducentesimo &
MEGARA A GELONE DIRVTA. quadragesimo quincto, postquam a Megarēsibus frequentari cœperat
anno, Megaram quia temerè bellum contra ipsum mouerat, dirui iussisse: optimates quosque & qui partes ipsi aduersas sequuti non erant, in
ciuitatē Syracusanam adscripsisse; plebeios & seditiosos in seruitutem
vendidisse. Ceterùm posteaquam ab ea clade recreata, & a Syracusanis
ob situs & portus cōmoditatem post Gelonis mortem instaurata fuis- B
MEGARA INSTAVRATA. set, a M. Marcello quum Romanorum societatem negasset, in terrorē
reliquarum vrbium capta ac direpta, funditusque bello punico secundo
euersa est. Theogenem Siculum Poetam & Cyro familiarem; itidem
Epicharmum comicum ad cuius exemplar sese Plautus composuit, Me-
SELINVS FLVVIVS. garenses fuisse obseruo. sed nunc ad Selinontinos redeamus.

Selinonti Selinus fluuius, qui haud procul ab eiusdem mœnibus prę-
terlabebatur nomen præbuit: fluuius a Selini, quod Latinis Apium est
copia, qua eius ripæ & agri luxuriabant vocatum fuisse etiam Selinonti-
norum numismata, in quibus apij folium & herba signata sunt testan-
tur. Selinon quoque Palmosam a palmarum siluestrium esui gratissi- C
marum frequentia, quibus ager eius abundabat a Poëtis cognominatā
lego. Vrbi Stagnum siue æstuarium imminebat; quod æstate quum
pestilentem ob solis ardores aërem exhalaret, ciuitati pernicio sissimum
erat: quumque pestilitas ob eam caussam grassando euulgaretur, Empe-
docles Agrigentinus sapientia clarus, vt Selinōtinis remedium adferret;
deriuata ex Selinōte & Hypsa fluminibus fossa, & vnico alueo ac maxi-
mo impetu vtriusque fluuij aquis in stagnum irrumpentibus, quum pi-
gras prius ac limo torpescentes, salsas stagni aquas motu copiaque dul-
cium aquarum diluisset, ciuitatem suo ingenio & sumtibus ab ea lue li-
berauit. quo beneficio meritus est vt Selinontini tanquam ciuium libe- D
ratori, alteriq; velut AEsculapio diuinos honores tribuerent. Hinc for-
sitan in Selinontinorum numismatibus sacra faciente aut Empedocle,
aut Hercule Alexicaco Gallus & Parias, serpēs ad aras AEsculapij adscul-
pitur: adhæc num in altera numismatum parte in curribus Apollini Sa-
gittario Galeotes filius, aut Empedocles, aut deniq; Hercules latus clau-
dat, liberam cuique coniecturam & opinionem relinquo. Sunt qui nu-
mismata in agris Selinontinorum inuenta testentur, in quibus ex vna
parte anguis hubera mulieris sugens cum Græca inscriptione ΣΕΛΙ-
ΝΩΝΤΙΩΝ ex altera canis imago, vt ipsis adparebat, signata erat.

Verùm

A Verùm quia nobis tale numiſma videre non contigit, quod de eo pronunciare poſsimus nõ habemus: ſin ipſi qui ea de hoc nummo eiuſque ſigno prodiderunt non allucinentur, ſymbolum illud Salutis fuit & ſublata peſte ob ſalubritatem ex remedio ſequutam nummum ſignatũ indicat. Selinontij Iouem quoque Olympicum venerabantur: nec domi ſolùm Ioui Forenſi templo extra mœnia conſtructo, ſed & in Alti (oppidum id eſt paluſtre in Olympia) Iouem antequã ab Hannibale oppreſsi fuerunt, inſigni theſauro ditarunt. In eo templo & liberi patris ſignum, ore, pedibus, & manibus eburneis Pauſanias fuiſſe ſcribit.

SELINONTINORVM RES GESTAE.

Selinus verò vrbs nouis ijſque Megarenſibus colonis frequentata,
B maximis ſtatim incrementis, progreſsibus vſqueadeo aucta eſt, vt Selinontini Heracleam a Pœnis, & Segeſtanis armis occupauerint. Dorieo atque alijs præter vnum Euryleontem Heracleenſium ducibus, qui cum Dorieo in Siciliam venerant, a Pœnis & Segeſtanis iam antea in prælio interfectis; Euryleon collectis qui poſt Doriei cædem ſuperfuerant reliquijs Heracleam eiectis inde Selinontijs recuperauit. Verùm quum Heraclea ſub Pythagoræ dominatione ſeruiret, Euryleon fœdere cum Selinontinis facto, vrbi libertatem eiecto tyranno aſſeruit. Inde ipſe occaſione temporum vſus, Selinontinorum rempublicam occupauit. Cuius iniuſta dominatione vexati ciues; haud multò poſt impetu in Eu-
C ryleontem facto, in Iouis Forenſis tẽplo, quò vitæ ſuæ conſulturus confugerat, eundem confoderunt; ſimul ab vnius dominatione ſe liberarunt.

EVRYLEON SELINONTINORVM TYRANNVS.

BELLVM SELINONTINORVM CVM SEGESTANIS.

Bellum inde Selinontini cum Segeſtanis ob agrorum fines, quos Amphisbetes amnis diſtinguebat, & ob ſponſalia quædam (vti in Segeſtanorum hiſtoria memorauimus) geſſerunt: victoriaq; potiti, quum Segeſtanis inſolentiùs inſultarent, ad imploranda Athenienſium ſubſidia eoſdem impulerunt: Selinontini autem Syracuſanorum ſocietate & armis protecti, quum Athenienſibus in Sicilia deletis, Segeſtanos iterum rapinis deprædationibusque vexarent; Segeſtani vltionis auidi ſocietatem cum Pœnis contra Selinontinos coëunt; & auxilium
D duce Hannibale Giſconis filio impetrant. Hannibal dux acer & irarum impotens, ipſe per ſe Selinontinis perniciem iam pridem ſtruebat, quod pater eius Giſco a Pœnis exſilio eiectus, & Selinontinorum contumelijs in calamitate ſua exagitatus; ibidem interierat. Qui poſtquam cum centum armatorum millibus ad Lilybæum promontorium exſcenſionem feciſſet, auxilia a Segeſtanis ex pacto promiſſa euocat: hinc in Selinontinos mouet: Mazaram emporium quod ad eiuſdẽ nominis fluuij oſtiũ erat, deditione capit. inde bipertito agmine Selinontem petit, & ſubita obſidione claudit. Accidit ea res Selinontinis præter opinionem: quòd ipſi ſoli Pœnos contra Gelonem ad Himeram vrbem ſubſidio & com-

meatu iuuiſſent,& clade diſiectos benignè & comiter habuiſſent: quare A
pro tanta fide & beneficentia gratiam exſpectabant. Addebat ijs ſecuritatem,quòd Græcarum vrbium ſocietate & armis ſubnixi; minus ſibi a Pœnorum vi metuerent. Inuaſit itaque Hannibal Selinontinos ab omnibus ad obſidionem perferendam neceſſarijs imparatos. Selinontini tamen poſtquam ſe a Pœno vrgeri vident,animos tanto periculo pares ſumunt, conſtitutoque aut ſtrennuè vincere aut fortiter mori. edicunt vt quibus robur & ætas vigeret,vrbem acriter defenderent:quos ætas aut ſexus imbecillitas excuſaret,vt ij propugnatoribus tela, arma,ſagittas, & cibaria,ne a propugnaculis dilabi cogerentur ſubminiſtrarent.& vt ſe ſociorum quoque armis tuerentur; vbi tenebræ ingruiſſent, equis diſpoſi- B
tis celerrimos quoſque cum mandatis emittunt; qui opem a Syracuſanis, Agrigentinis & Gelenſibus labantibus ipſorum rebus peterent. atq; ij benignè quidem a ſocijs auditi ſunt & auxilia promiſſa.Ceterùm dum Agrigentini & Gelenſes,Syracuſanos tardius ſeſe molientes vt ſe cũ ipſis ad ſuppetias Selinontinis ferendas cõiungerent, exſpectant,Selinontini interea iam nonum diem ab Hannibale qui nihil ipſis ad reſpirandum ſpatij dabat oppugnati,feſsi fractique, Pœniſque per collapſam murorũ partem magno impetu irruentibus cedere coacti miſerè contrucidãtur: omniaq; cædi promiſcuæ,ita vt nulli ætati aut ſexui parceretur,miſcen-
SELINVS A POENIS CAPTA. tur. Mulieribus, quæ cum liberis impuberibus ad tẽpla araſq; Deo- C
rum confugerant,Hannibal non ob religionem,ſed ne per deſperationẽ prædam corrumperent parci iuſsit.Sedecim Selinontinorum millia trucidata,quinque capta traduntur. Ceterùm Selinontini qui ad duo millia quingenti ante cladem vrbe ceſſerant, ab Agrigentinis benigniſsimè excepti & comiter habiti ſunt. Vrbe autem iam capta miſsiſque a Syracuſanis in auxilium quattuor millibus, Selinõtini, qui Agrigenti erant, poſtquam ſerum auxilium veniſſe nunciaretur, Legatos ad Hannibalẽ mittunt,vt captiuos redimere liceret; & ne Deorum templa violarentur precaturos: ij ſuperbum & crudele ab Hannibale reſponſum tulerunt: Selinontinos ſeruitutem quam Segeſtanis minabantur habere: Pœno- D
rum quos olim occupata per vim Selinonte trucidaſſent, manibus ſanguine ſuo parentaſſe; Deos ipſos ob tanta facinora iratos vrbe ceſsiſſe, nihil iam in ijs quod prophanari poſſet relictum. Selinontini mox alteram legationem per Empedionem ciuem ſuum, & Pœnis neceſsitudine officiorum coniunctiſsimum mittunt: ſupplicantes ne in vrbem quę ſatis iam pœnarum dediſſet ad exitium ſæuiret. Empedionem Hannibal benignè excepit; eius fortunas,quas per præconem antequã vrbs expugnaretur ſaluas eſſe iuſſerat,reſtituit;vt autẽ tẽplis parceretur impetrari nõ potuit, vrbem verò vti Selinontini, qui reliqui a clade ſupererant inſtaurarent,

A inſtaurarent, modò Pœnorum tributarij eſſe vellent, conceſſum. Seli-
nontinorum deinde oppidum Hermocrates Syracuſanus patria ob fa-
ctiones pulſus, & Dionyſij ſenioris poſtea ſocer, quum reditum ſibi ad
Syracuſas per vim aperire fruſtra conatus eſſet, inſtaurauit; atque ijs qui
a clade ſuperfuerant, vndique conuocatis additisque nouis inſuper co-
lonis, ſex millia ciuium ad frequentandam vrbem collegit. Succedente
deinde bello Punico ſecundo Selinontini M. Marcello Syracuſas obſi-
denti ſubſidia quæcunque potuere miſerunt: hinc quum Sicilia in pro-
uinciæ formam redigeretur, Colonia iure Italico deducta eſt. Id quoq;
addam dum Selinon nobis eius rei memoriam ſuggerit, Apio victores in
B Nemeis ludis coronari ſolitos; idque ab Hercule inſtitutum: qui quum
Leonem ibidem, ſine telo, ferro, aut claua, ſed manibus tãtum confeciſ-
ſet, apio viridi ſeſe coronauerit: atque hanc ob cauſam Selinon a Poëta
Lyrico herbam leonis vocari. Ceterùm qua ratione Timoleon ad Cri-
niſium amnẽ Pœnos inuaſurus, ſuos funeſto apij omine, quod ab aga-
ſonibus ad iumenta ſubſternenda ferebatur cõſternatos, eodem in me-
lius conuerſo, quod apio quoq; victores in Nemeis coronarẽtur ad vi-
ctoriæ ſpem erexerit in Syracuſanis rebus proſequuti ſumus. Obſeruo a
Strabone, iuxta Orobias Eubææ inſulæ Selinuntij Apollinis & oraculi
eius mentionem fieri cetera non prodi. quòd etiam ſi non ſatis conſtet,
C an ad iſtos Selinontinos referendum ſit an ad alios, hoc tamen loco ob
nominis affinitatem addere placuit. Selinontis namque nomen varijs
in locis & regionibus, multis fluminibus commune fuit, in Epheſo
præter Dianæ templum, amnis hoc nomine fluebat: per AEgiorũ quo-
que agrum in Achaica regione Selinus labebatur. itidem in Elide per
Eleam oram: quartus iuxta Cragum Pamphyliæ montem. Ceterum
Selinontis in Sicilia oſtio Coſſura inſula in mari Africo obiecta erat: di-
ſtabat eadem a Sicilia LXXV. P. M. patebat ambitu ſuo XIX. M. P. vrbem ha-
bebat eiuſdem nominis de Coſſurenſibus bis a Coſs. ſemel a Ser. Fuluio
nobiliore, ſemel a M. AEmilio Paullo collegis, & alternis diebus bello
D Punico primo naualem triumphum eſſe actum Faſti Capitolini teſtan-
tur. Geographus Selinontis fluminis oſtium ſub longitudine XXXVII.
partium & trientis, ſub latitudine XXXVI. partium & quadrantis ſeſe in
mare Africum exonerare ſcribit.

SELINVS INSTAVRATA.

SELINVS COLONIA P.R.

COSSVRA INSVLA.

ΦΙΝΤΙΑΣ.

DE PHINTIAE vrbis origine, ſitu, & rebus geſtis, ſiue tem-
poris iniuria, ſiue ſcribentium incuria, ſiue propter ipſam per ſe
loci obſcuritatem, præter nominis memoriam vix aliud ferè ad noſtram

cognitionem peruenit. Ptolemæus ſub Phintiæ nomine vrbium duarum meminit; vnius maritimæ, quam ad oram maris Libyci vltra Selinontem VIII. P.M. in orientem ſubmouet: alterius in mediterraneis Siciliæ, eamque cum Gela vrbe, ſub eadem parallelo, ceterùm verſus occidentem quindecim. P.M. diſtinguit: Phintiam verò maritimã ad Soſsij fluminis oſtia collocat; quumque a Plinio eodem loco Atys oſtium, niſi fallant noſtri ſæculi ſcriptores, deſcribatur; idem qui Ptolemæo, Atys, Plinio Soſsius erit. diſtabitque a Gelæ ſiue Himeræ oſtio verſus occaſum. LX. P.M. Phintiæ maritimæ longitudinẽ Ptolemæus XXXVII. partium cum beſſe; latitudinem XXXVI. cum triente ponit. idem Phintiæ mediterraneæ longitudinem XXXVIII. partium cum beſſe latitudinem XXXVI. S. adſcribit. addit Plinius Phintianos Populo Romano ſtipendiarios fuiſſe. vtrosque ne ſub eiuſdem populi nomine, an alterum tantum complexus ſit, nobis æquè incompertum eſt. Ceterùm quod ad Phintiæ numiſma pertinet, quia aduerſa eius pars faciem regis exprimit, cuius nomen exoleſcẽtibus præ vetuſtate notis a nobis agnoſci non potuit, hanc Gelonis eſſe veriſimile eſt: tum ob oris ſimilitudinem, quam cum alijs nummis qui faciem eius exprimunt, habet; tum etiam quod caput diademate laureato vt & in ceteris Gelonis numiſmatibus reuinctum ſit. auerſa numiſmatis pars cane ſignata eſt. Quod ſi noſtra de Gelone coniectura non fallit, ſimili nec improbabili coniectura, Pyrrhi qui Gelonis canis fuit, ſagacitatem, vigilantiam, & fidem, eo nummo commẽdari credere licet: qui incredibili in Gelonem dominum ſuum dum adhuc in viuis ageret fidelitate vſus, ne a mortuo quidem deſeciſſe, ſed in heri ſui rogum ſaltu ſe cõieciſſe, vnaque cum ipſo crematus traditur. Commendatur & a ſimili euentu maximorum regum, Cyri, Darij, Lyſimachi & aliorum quorundam canum fides. facit etiam Canis imago, vt lupi mentionem, eius inquam qui Gelonem puerum adhuc prodigioſè conſeruaſſe traditur, faciamus. Lupum enim quum Gelo prima Mineruæ tirocinia poſiturus tabulam manu teneret, eandẽ ipſi eripuiſſe; Gelonem verò magno cum clamore lupi veſtigia vt tabulã eriperet inſequutum; & dum ceteri (centum enim eiuſdem collegij pueri erant) in Gymnaſio tumultuãtur; ædes ruina collapſas vniuerſos ipſius collegas vnà cum pueritiæ formatore oppreſsiſſe memoriæ proditum eſt. Hæc hucuſque proſequuti ſumus, vt ſtudioſo lectori liberam coniecturandi opinionem aperiremus: nunc de Selinontinis aquis, quæ ad hunc vſque tractum pertinebant paucis addemus; eas corpori humoribus prauis torpeſcenti ſalubres, quod ſudorem calore ſuo prolicerent, & humorum contumaciam edomarent, efficaci remedio ſaluta-res fuiſſe ſcribitur. in agro quoque Phintiano Lycus fluuius oriebatur, qui

PHINTIA MARITIMA.

PHINTIA MEDITERRANEA.

PHINTIANI STIPENDIARII POPULO.

SELINONTINAE AQVAE.

A B C D

A quí quod pace quam Timoleon cum Pœnis fecit; terminus vtriusque prouinciæ ad occidentem eſſet, a ſcriptoribus celebratus eſt.

ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ.

HERACLEA Lacedæmonium eadem & MINOA prius dicta Cretenſium Colonia.

HERACLEAM ab Herculis nomine dictam Dorieus Spartanus gentis Heraclidarũ in ruinis MINOAE vrbis cis oſtium Lyci fluminis condidiſſe memoratur. Ceterùm quia Heracleam confuſo nomine Minoam quoque dici obſeruo. officioſè nec præter ordinẽ me facturum puto, ſi paucis primùm ea quæ de Minoa apud ſcriptores exſtant recenſuero; denique de Heraclea, quæ ab antiquitate produntur ſubiecero. Minoam igitur a Cretenſibus conditam Græcorum annales teſtantur: addunt cauſſam & occaſionem; quum namque Minos Cretenſium rex, cuius ob iuſtitiam celebre nomen eſt, a Dædalo architecto proditionis pœnas exacturus, eundem auxilio vxoris fuga elapſum, & a Cocalo Sicaniæ rege receptum intellexiſſet; Legationeque miſſa, qua ſontem ad capitis ſupplicium repoſcebat nihil profeciſſet; ipſe cum validiſsima claſſe inſtructa. & maximis copijs vndique coactis in Siciliam vela facit: vt quod amicitia non poterat armis Dædalum in poteſtatem redigeret. Exſcenſione itaque facta, fugitiuũ ſuum ad necem, niſi Cocalus bellum experiri mallet, repoſcit. Dædalus artis peritia & publicis operibus Siculorum animos ſibi demeruerat; & Cocalũ priuatis quoq; officijs ſibi deuinxerat; ſupplicem itaque Cocalus conſeruare ſtatuit. Ceterùm quum Minos armis & opibus vrgeret, & Sicanorum exitio imminere videretur, eundem promiſsis mitigatum dolo, ſtructisq; per filias ſuas inſidijs (quæ Minoi ob gratiam & formam commendabantur) euertere placuit: quæ ad fraudẽ a patre inſtructæ, Minoem in Thermis ſeſe reficientem, immiſſa per canalem feruentium aquarum copia ſuffocant; & quia nulla violentæ mortis indicia adparebant, ſubita ſideratione oppreſſum exſtinctumq; mentiuntur. ſublato Minoe & funere regio compoſito, Cretenſibus iam duce & rege orbatis Cocalus auctor fit, vt noua colonia Siciliam frequentarent. Cretenſes igitur partim tædio nauigationis; tum & quod nullius iam imperio regerentur, atque hinc factionibus laborare inciperent, regis cõſilium ſequuti, ad Lyci fluminis quà in ortum ora maritima flectitur oſtium, Minoam a deſiderato rege Minoe nominatã vrbem cõdunt, anno ſi rectè putãt Chronologi, ante excidiũ Troię quadrageſimo. Minoa deinde euerſa (qua occaſione aut cuius armis incertũ, ex eiuſdẽ ruinis Heraclea, nomine ab Hercule

HERACLEA CONDITA.

MINOA CONDITA.

cule veluti originis auctore repetito; Doriei Lacedæmonij auſpicijs, qui gentis Heraclidarum erat, erecta ſcribitur. Dorieus namque amicorum conſilium ſequutus quum intellexiſſet Erycinos, quos Hercules Eryce cuius tyrannide premebantur interemto, libertate & legibus donauerat, ſanctione ab eodem Hercule obſtrictos, qua nullum niſi qui è gẽte Heraclidarum eſſet regem admitterent: aut dominari paterentur; quumq; idem & Apollo conſultus oraculo reſpondiſſet; claſſem, quam vt Africam repeteret inſtruxerat, Theſſalo, Celea, Euryleõte, Spartanis, & Chilone Athenienſi ſocijs ſibi adiunctis in Siciliam vela facere iubet: exceptuſq; ab Erycinis vrbem Heracleam ab Hercule generis ſui auctore dictam ex proſtratæ Minoæ ruderibus condidit: argumentum etiam nominis ab origine repetiti numiſmata produnt: in ijs namque Hercules Leonem conficiens vario geſtu atque habitu cõſpicitur. Ceterùm cum Heracleæ incrementum & nouorum colonorum vndique affluentium frequentia opesque vrbibus Pœnorum metum & inuidiam mouiſſent; Pœni vt eius potentiam frangerent, inita cum Segeſtanis ſocietate, factaque in agros Heracleenſium excurſione, agunt, feruntque omnia; inde Heracleenſes ipſos congredi auſos, varijſque prælijs fractos, ducibus eorum Dorieo, Theſſalo, Celea, & Chilone trucidatis, vrbem præſidio nudatam diripiunt, ac demùm euertunt. Solus Euryleon cædem ſuorum poſtea vlturus tantæ cladi ſuperfuit. Mox Selinontini vrbem a ciuibus deſertam armis occupantes, nouos eo colonos adſcripſerunt; & Minoæ iterum nomine donarunt. Euryleon verò ciuibus qui poſt captam Heracleam bellique cladem reliqui erant vndique collectis, magno impetu vrbem adortus recipit: ac nouis colonis ad imperium coactis priſtinum vrbi Heracleæ nomen reſtituit. Poſthæc quum Pythagoras eandem dominatione ſua occupaſſet, Euryleon facta cum Selinontinis conſpiratione tyrannum eijcit; reſtitutaque Heracleenſibus libertate, ipſe Selinontinorum tyrannidem inuadit, (vt in Selinontinis memorauimus) Sed Selinontini Euryleontem impotentius ſeſe efferẽtem, facta ſeditione in templo Iouis Forenſis trucidant. Obſeruo & Gelonem Syracuſanum vt Doriei mortem vlciſceretur, bellum Pœnis & Segeſtanis mouiſſe, Spartanis vt gentilis ſui cædem vlciſcerentur, in ſocietatem vocatis: Ceterùm ab ijs neglectum proprijs auſpicijs rem fortiter & feliciter contra vtroſque geſsiſſe; Poſt Gelonis mortem Heracleæ dominationem a Dionyſio quoque tyrãno affectatam fuiſſe inde in Pœnorum poteſtatem conceſsiſſe argumento eſt, quod Dio Syracaſanus bellum Dionyſio iuniori facturus, ad Minoam è Græcia appulerit; quæ id temporis Pœnorum præſidio præfectoque Synalo tenebatur; atque ab eodẽ Synalo ſiue Paralo (variat enim apud auctores nomẽ) Dionem benignè exceptum:

HERACLEA CONDITA.

HERACLEA EVERSA.

A B C D

A exceptum: quodque amicitiæ cum Dione & hoſpitij neceſsitudine antea coluiſſet; tum quoque commeatu, opibus & conſilio adiutum fuiſſe. Adhæc quum Amilcar Siciliam pace quam Agathocles turbauerat, compoſuiſſet, Heracleam inter Græcas ciuitates, quæ ditionis Carthaginienſium fuerant, & deinceps futuræ eſſent, nuncupatam lego: poſtea tamen a Xenodico Agrigentinorum duce, qui Siciliæ ſeruitutem eiecto Agathocle & Pœnis profligatis excutere conabatur, Libertate donatâ. Agathoclem deinde victo ad Agrigentum Xenodico vrbem magna vi adortum expugnaſſe; direptamque in ſeruitutem redigiſſe. Agathocle defuncto, ac Sicilia rurſus Pœnorum armis turbata, veriſimile eſt, eandem
B in Carthaginienſium ditionem conceſsiſſe; quod Pœnorum claſſem atque copias bello Punico primo excepiſſe memoriæ proditum eſt. Circa Heracleoticam oram M. Atilius Regulus Amilcarem & Annonem Carthaginienſium duces nauali prælio vicit, profligatoque Annone, Amilcarem intra Heracleæ mœnia a Regulo compulſum ſcribitur. Inde quum Carthalo Adherbalis, eius qui Claudium Pulchrũ nauali pugna deuicerat Legatus Iunij Conſulis Quæſtorẽ magno impetu inſectaretur; Quæſtor metu & formidine conſternatus, claſſem in proxima Heracleæ litora ſubduxit; atque ex anfractibus & rupibus quæ longo in mare ſupercilio prominebant, ſagittis ac fundarum iactibus, Carthalonis
C naues repulit. Obſeruo tamen eo tempore quo Lilybæum exercitus Romanus obſideret, Romanis ab Heraclea commeatum fuiſſe ſubuectum. Bello inde Punico ſecundo, Himilco qui ad Pachyni promontorium claſſem diu tenuerat, ad Heracleam, ſiue vt Liuius prodit, ad Minoam, quinque & viginti millia peditum, & tria equitum, & duodecim Elephantos expoſuit. Subacta deinde in prouinciam tota Sicilia, quo iure, aut quibus legibus in poteſtatem Po. Rom. venerit, vt nõ ſatis apertè conſtat, ita iſtud veterum auctoritate, confirmatum eſt, quũ Heraclea ciuibus ob bellorum & tumultuum frequentiam exhauſta eſſet, P. Rupilium Conſulem poſt debellatos in Sicilia fugitiuos ex Sena-
D tuſconſulto coactis domum redire veteribus; & nouis ex Siciliæ vrbibus colonis in ciuitatem adſcriptis, Coloniam ibi conſtituiſſe; legeſq; Heracleenſibus de cooptando Senatu, qua ætate, è qua gente, & quo cenſu legeretur dediſſe; & ad ſeditionem euitandam, ſtatuiſſe ne nouorum colonorum numerus veteres excederet. Heracleam Geographus longitudine XXXVIII. & trientis, latitudine XXXVI. partium cum quincunce definit.

ΑΚΡΑΓΑΝΤΟΣ.

AGRIGENTVM Gelenſium Colonia.

AGRIGENTVM vrbs ſoli fecunditate, & ſitus amœnitate, tum rerum geſtarum memoria, & ſecundarum aduerſarumque viciſſitudine inter omnes Siciliæ vrbes poſt Syracuſas ſecunda, ab ora Libyci maris mille quingentis paſsibus diſtabat, nomen ab amne quod eius mœnia præterlabebatur ſortita. Ακραγας verò vocabulum ἐκ τοῦ ἄκρου καὶ γᾶς Dorica forma conflatum volunt: ob ſummam terræ agrique quē irrigabat fecunditatem. AGRIGENTVM CONDITVM. Agrigentum condiderunt Gelenſes, poſtquam Gela ciuitas intra annos centum & octo in tātam amplitudinem creuiſſet, vt etiam magnitudine ſua laboraret. placuit itaque quò ſe a ciuium turba exonerarent, nouam deducere coloniam: creatisque in id Ariſtone & Piſtillo duumuiris, anno poſt Syracuſas ab Archia occupatas, vltra centeſimum quinquageſimo quarto, vrbem ad Agrigentum flumen condere cœperunt: deductisque eò ex Gelenſibus ciuibus magna frequentia colonis, ciuitatis ſtatum Doricis legibus, (vti Strabo tradit) Ionicis compoſuerūt. Vrbs ea a primis ſtatim initijs maxima incrementa ſumſit; agri enim circumiecti fertilitate, vini oleique prouentu & annonæ copia luxuriabant; adhæc commerciorum cum Pœnis & Afris, qui tum ægris prouentibus laborabant, frequentia, tum opibus & potentia florebat. denique affluente vndiq; eò peregrinorum multitudine quæ ſedes ſibi apud Agrigentinos quærebat & impetrabat, vrbis pomerium vſque adeo ampliatum produnt, vt decem millia paſſuum ambitu complecteretur: ciuium verò octingēta millia cenſerentur. mox in ſuburbio ædificijs ſecundum Agrigenti fluminis ripas cum iure ciuitatis extructis & per mille quingentos paſſus ad portum vſque maris continuatis, altera veluti vrbs ad oſtium fluminis condita eſt: quæ a commerciorū & mercatorum frequentia ac foro Emporium Agrigentinum appellabatur. EMPORIVM AGRIGENTINVM. Exſtat facetum Empedoclis de ciuibus ſuis apophthegma; Agrigētinos ædificare, vt ſemper victuros: genio indulgere vt poſtridie morituros. in tanta namque rerum affluentia, etiam luxu & voluptate eneruatos fuiſſe Athenæus prodit; ita vt tabernam meritoriā in qua comeſſationibus & epulis in omne genus luxuriæ, licebat indulgere, publicè exſtruxerint; cui nomen triremis ex ridicula admodum occaſione factū fuerat. conuenerant namque in eam domum adoleſcentes aliquot patricij, qui quum poculorum concertatione, meroque largiore incaluiſſent, & vertigine ac ſenſuum iudicijque impotentia furerent; in triremi ſeſe maris iactationibus periclitari credentes debacchabantur; & quidquid vaſorum & inſtrumenti domeſtici erat, veluti iacturā, vt nauim exonerarent

A rarent facientes è domo in publicum proijcere; votis reditum incolumẽ petere: quumque poſt biduum etiam magiſtratuum & Senatus auctoritate obiurgati vix tandem ad mentem redijſſent, ob rei nouitatem, & fœdiſsimum ebrietatis exemplum ædibus nomen triremis ab Agrigentinis datum fuiſſe ſcribitur. Refertur quoque in luxus oſtentationem Agrigentinos Lecythis, xiſtris argenteis; ac lecticis eburneis vſos fuiſſe. Fluuium autem ſuum Agrigẽtini forma puerili depingebant; eique diuinos honores deferebant; ac ſignum eiuſdem ex ebore apud Delphos dedicauerant. Publicis ædificijs atque octo quorum memoria exſtat Deorum templis; adhæc aquæductu Phæacio, item Theatro, &
B Gelonis portu ſiue piſcina, Agrigentum magna opum oſtentatione, & pari deorum veneratione excultum fuiſſe obſeruo: oblata adea opera conficienda magna operarum commoditate ex captiuis Carthaginienſibus, quos Gelo quum ad Himeram Pœnorum copias fudiſſet, ipſis ad ſeruitutem dono dederat. Templa quæ diximus ad Doricam formam duodecim ex vtraque parte columnis ſtriatis, & canaliculis vndique excauatis ſubnixa erigebantur. quorum moles vſqueadeo inſanæ, tantæq; vaſtitatis erant, vt a Cyclopibus aggeſtæ, tum calce ita ferruminatæ, vt æternitatem toleraturæ viderentur. Primùm itaque AEſculapij templum, quà vrbs occidentem & Heracleam reſpiciebat: in eo ſignũ Apol-
C linis pulcherrimum viſebatur, Myronis auctoris nomine argẽteis characteribus ijſq; minutiſsimis femori impreſſo inſcriptum: quod ſimulachrum quum a Carthaginienſibus expugnato Agrigento ablatum fuiſſet, deleta poſtea Carthagine Scipio Aimilianus reſtituit.

TEMPLVM AESCVLAPII.

Alterum ab AEſculapij fano trecẽtis paſsibus ad orientẽ ſitum erat, Ioui Olympio ſacrum: & omnium quæ vnquã in Sicilia fuerunt maximum. eius namque latera ſecundum longitudinem CCCLX. pedes extẽdebantur: latitudo LX. altitudo quæ ſolo exſtabat CXX. pedum fuiſſe ſcribitur. in porticu templi quæ orientem ſpectabat, gigantum conſpiratio & pugna depicta erat, qua Iouem cælo pellere moliti ſunt, pulchritudi-
D ne & ſtatuarum amplitudine admiranda. In porticu huic aduerſa Troiæ excidium tanto artificio expreſſum erat, vt heroum corpora non tam ſculpta quàm viua crederentur. Tertium erat templum Herculi dicatum propè forum & ſola via a Iouis æde ſeiunctum: haud longè a mœnibus vrbis quæ mare reſpiciebant. In hoc erat Herculis ſimulachrum ex ære fuſum, ita elaboratum, ac tanta arte perpolitum, vt pulchrius ſibi nullum fuiſſe vnquam viſum Cicero oculatus teſtis affirmet: cui & ipſi quum Verres ſacrilegas manus per ſeruos intentaſſet, a ciuibus qui Herculis ſimulachrum armis protegebant, repulſi & eiecti ſunt. In eodẽ fano & tabula viſebatur, in qua Zeuſis pictor Herculem infantem

TEMPLVM IOVIS OLYMPII.

TEMPLVM HERCVLIS.

coram Alcmena matre & patre Amphytrione parentibus, dracones A
ſtrangulantem magno artificio expreſſerat: quam auctor quum nullo precio permutari pateretur, Agrigentinis dono dederat.

TEMPLVM CONCORDIAE. Quartum erat Concordiæ templum quod ab Herculis quingentis ferè paſsibus in ortũ diſtabat; id Lilybætani ab Agrigentinis victi ex fœdere ſuis ſumptibus erexerant, vt Epigrammate etiamnum ſuperſtite teſtatum eſt. Quinctum erat Iunoni Lucinæ ſacrum; in quo tabula Iunonis ſimulacro & Zeuſis artificio nobilitata ſpectabatur. Zeuſis nãq; etſi abſolutiſsimè omnia pingendo exprimeret; dum tamen Iunonem pulchritudine omnibus partibus exacta reddere ſtudet, ex toto Agrigentinarum virginum cœtu, quas nudas exhiberi petijt, quinque forma & B
venuſtate præcipuas delegit; ex ſingulis deinde quod in quibuſq; maximè eximium & præſtantiſsimum erat, in effingenda Iunone expreſsit. atqui id Iunonis templum Gellias (de cuius liberalitate poſtea latius agemus) capto a Pœnis Agrigento, vt ſe ab hoſtium crudelitate & ludibrio tueretur, igne iniecto ac ſeſe ipſo in flammas præcipitato combuſsit.

PVDICITIAE FANVM. Sextum inde fanum pudicitiæ ſacrum erat, omnium excepto Iouis Olympij maximum & celeberrimum. Septimum Proſerpinæ dedicatum ac magna veneratione excultum: ita vt hinc Agrigẽtum a Lyrico Proſerpinæ ſedes vocetur. Deæ feſta duo ſollemnia erant: vnum
PROSERPINAE AEDES. Anacalypteria; quòd Proſerpina a matre Cerere per triduum deſiderata, C
ſubitò apparuiſſet; Alterum Theogamia; quòd poſt longa quærendi faſtidia, tandem a matre reperta, in cœlum ad Iouem redux tranſlata crederetur. Octauum inde templum Caſtori & Polluci exſtructum erat. Agrigẽtini enim Caſtorem & Pollucem præ ceteris heroibus in Olympicis venerabantur; ijſdemq; domi Theogonia feſta inſtituerant. Hæc itaque octo erant apud Agrigentinos templa.

TEMPLVM CASTORIS ET POLLVCIS.

AQVAEDVCTVS PHAEACIVS. Erant & aquæductus ſumptuoſæ admodum ſtructuræ; quibus ex collibus ad quorum radices & latera vrbs condita erat, viciniſq; fontibus aquæ in vrbem deducebantur. ijs conſtruendis quum Phæax Agrigentinus a Senatu præfectus fuiſſet, hoc ſua induſtria & fide promeritus eſt, vt D
ea aqua deinceps Phæacia ab ipſo appellaretur. Theatrum quoque in vrbe maximum & eminentiſsimum fuiſſe Iulius Frontinus teſtatum reliquit. Portus quoque ſiue piſcina ad occidentalẽ vrbis partem ſumtuoſiſsimi operis effoſſa, Geloni regi vt amico & benemerito conſecrata, erat. Ea ambitu ſeptem ſtadia complectens ac in altitudinem triginta pedum depreſſa, omnium vndique fontium & fluuiorum aquas excipiebat: omni piſcium copia abundans & cignorum gregibus frequentata, aſpectu & aëris ſalubritate amœniſsima.

PORTVS GELONIS SIVE PISCINA.

Nunc ad reliqua quæ extra vrbem admiratione digna produntur exſpaciemur.

A ſpaciemur. A priſcis lacus ſiue fons in agro Agrigentino deſcribitur, in quo bitumen pingue, liquorisque oleacei ſupernatet, cuius loco vnguenti in curandis armentorum hominumque morbis vſus erat. Fuit & alter fons dulcis & potabilis, cuius tamen aqua ſenſim in marmor candidiſsimum lapideſceret. Lacus etiam memoratur. cuius aqua ſalſuginem reſipiebat: in quo grauia ſolidaque fluitare traduntur. Ipſe autem ager Agrigentinus culturæ impatiens, & cineribus torridus, quingentis ferè paſsibus in ambitu patebat, qui aquas cineri permixtas varijs in locis eructabat, Eundem ſtata conuerſione ac ſingulis luſtris tempeſtatem & nimboſas procellas magno cum cæli fragore ciere; agrique planicie ad
B nouem ferè pedum altitudinem per idem tẽpus turgeſcere, & poſtquã magnam luti cineroſi copiam vomuerit ſubſidere a noſtri ſæculi ſcriptoribus teſtatum eſt. Salem quoque in agro Agrigentino foſsilem & nunc vti & olim erui ſolitum, qui contraria a cetero ſale ratione igni admotus in liquorem ſoluitur; aquæ immerſus areſcit & crepitat memoriæ proditum eſt. Laudatur Agrigentinus ager & ab equorum generoſitate qui ad Olympica certamina in eodem magna cum cura alebantur ac inſtituebantur: è quibus equis ſi qui victoriam è certaminibus reportaſſent, ijs non ſolùm tumulos ſed & pyramides exſtruebant. Hoc quoq; traditum, quum in Cappadocia generoſa equorum ſoboles olim defe-
C ciſſet; conſultum Apollinem reſpondiſſe, vt ex Agrigentino agro admiſſarios compararent: paruiſſe Capadoces, atque ab eo tempore equorum armenta apud eoſdem nobiliſsima fuiſſe propagata. Celebratur Exæneti Agrigentini magnificentia, qui quum Olympiade ſecunda vltra nonageſimã victor reuerteretur, trecentis cum quadrigis quibus omnibus equos albos iunxerat, magno cum Agrigentinorum applauſu in vrbem inuectus eſt. Commendatur & ciuium Agrigentinorum liberalitas & hoſpitalitas: hinc Empedocles verſibus ſuis fores Agrigentinorum omnibus probis ſemper patere teſtatus eſt. Primas tamen in eo officij genere laudis partes Gellias meritus eſt: is domum ſuam veluti publicæ libe- GELLIAS.
D ralitatis officinã, omnibus tam peregrinis quàm ciuibus aperiebat: inopibus priuatim alimenta; dotes virginibus, pauperibus ſubſidia, aduerſa fortuna fractis ſolatia ſurrogabat. Idem ſeruos ſemper ad portas in ſtatione habuiſſe, qui peregrinos in ſuam domum deducerent traditur. Longum fuerit ſi ſingula eius viri in peregrinos & ciues liberalitatis officia enumerare pergam: id in genere dixiſſe ſuffecerit; opes eius vniuerſas omnium quaſi communem ipſo diſpenſatore poſſeſsionem fuiſſe.

AGRIGENTVM IN TYRANNIDEM PROLAPSVM.

Ceterùm quũ Agrigentinorũ reſpublica ciuium bonorũ frequentia & opibus floreret, omnium prima in Phalaridis tyrannidem prolapſa ſcribitur: cuius originem, genus, vitamque (quia ita hiſtoriæ ordo poſtu-

PHALARIS AGRIGENTINOR. TYRANNVS.

lat) paucis complexuri ſumus. Phalaris itaque, patria Cretenſis, vrbe A
Aſtyphalide Patre Leodamante natus, quum domi affectare dominationem accuſaretur, inuidiæ cedens Agrigentum fortunas ſuas tranſtulit: quumque non opibus ſolùm & potentia, ſed litteris quoque & eruditione apud Agrigentinos gratiam & auctoritatẽ collegiſſet, omnium exterorum primus alienam rempublicam tyrannide inuaſit; eo ferè tẽpore quo & Tarquinius Superbus Romanis dominabatur. Periclem vitijs & virtute æmulatus priſcorum monumentis traditur: ſolerti ingenio; animo maximo; aperta fronte; adhæc ſtudiorum liberalium amãtiſsimus. virtutis eius magna præclaraque documenta exſtant. Inter cetera Steſichorus Poëta Himerenſis quem perdere poterat, non ſolũ con- B
ſeruatus, ſed & arctiſsima poſtea familiaritate cultus; pietate & beneficẽtia etiam in vxorem & poſteritatem eiuſdem propagata. Item & Callæſchrias quem inſidiarum in ipſum conuictum, Polycleti Philoſophi & medici deprecationibus condonauit. Charitonem quoque & Melanippum, qui in eius caput coniurauerant, ob fidem qua mutuo ſeſe ab exitio cum vitæ periculo conſeruare laborabant, Agrigento pulſos exſilio multaſſe contentus fuerat. Exſtant eius epiſtolæ (quas tamen plærique Luciano vindicare conantur.) vt argutijs ſuaues, ita & elegantia eloquentiaque artificio commendatæ. Inter vitia crudelitas præ ceteris
notata eſt: voluptatem namque ex miſerorum cruciatibus traxiſſe; ge- C
mitum quoque ploratum & eiulatum tormentis laceratorum, ac inter carnificum ac tortorum manus morientium exaudire pro delicijs habuiſſe; imò ne coctis quidem infantibus in cibum abſtinuiſſe proditur. Commendatur tamen quòd crudeliſsimi ad tormenta artificis ingeniũ ipſius inuentoris ſupplicio expertus ſimul & vltus fuerit. Bouem Perillus æneum magno artificio conflauerat: cui cum præter mugitum nihil deeſſe videretur, hunc quoque exprimi poſſe docuit; ſi rei & fontes boui incluſi ſubiecto igne ſenſim torrerentur. ita enim fore vt vox miſerorũ inter cruciatum cum gemitu inſtar mugitus è boue erumperet. Phalaris ingenium quidem Perilli admiratus: ad tam prodigioſam tamen carni- D
ficinam exhorruiſſe; ipſumque auctorem, vt ſuam tantæ crudelitatis officinam primus experiretur, ſubiecto ſtatim igne boui incluſiſſe traditur. Phalarica quoque Phalaridis inuentum creditur; id telum erat concauũ, quod rebus ad flammam cõcipiendam idoneis infarctum, ſicubi in hoſtes aut obſeſſos excuſſum adhæſiſſet, incendium excitabat. Vrbes autẽ non paucas, præſertim ſi quæ vel ſitu vel præſidijs munitæ, difficilem expugnationem præ ſe ferebant, vel longinquam obſidionem requirebãt, non tam vi & armis, quàm dolo & aſtutia ſine ſanguine a Phalaride in poteſtatem redactas, memoriæ proditum eſt. Ceterùm quum ab amicorum

A corum præcipuis,magnorumq́; & prudentum virorum conſilio, in his & a Zenone Eleate vt tyrannidem abdicaret liberè admonitus, non paruiſſet, Zeno quod verbis & ratione non poterat, re atque opere effecturus,nonnullos è patriciorum numero in Tyranni cædem ad coniurationem obſtringit. Quæ res poſtquam per indicium ad Phalaridem delata eſſet, Zeno tormentis ſubiectus vt conſcios proderet nullis cruciatibus cogi potuit; contubernales tamen aliquot tyranni & quos habebat fidiſsimos tyrānidis miniſtros accuſauit. inde quum grauioribus longè quàm prius tormentis medio in foro circumſiſtente Agrigentinorum multitudine excarnificaretur: Agrigentinosq́; interea tanquam
B vilia ſeruitutis mācipia,& ocioſos publico in malo ſpectatores, propriæque libertatis immemores acrius increparet. Agrigentini in ſeditionem concitati duce & auctore Telemacho impetu in Phalaridem facto, eundé lapidibus ac ſaxis obrutū anno dominationis ſuæ decimoſexto, ſiue vt Euſebius colligit,triceſimo confecerunt. Agrigentini a Phalaridis dominatione liberati per cētum & quinquaginta ferè annos libertatem conſeruarunt. donec Theron AEneſidemi filius, Agrigentinus quidem ſed qui genus a Thebanorum regibus repeteret, Rempublicam iterum occuparet. Verùm is ſumma cum modeſtia ac pari cum iuſticia & cle-
C mentia per ſedecim annos dominatione vſus, Himerenſibus interim deiecto Terillo,vt ſupra memorauimus,in poteſtatē redactis,Pœnis adhęc Gelonis Syracuſanorū regis ac generi ſui auxilijs ac ſocietate è Sicilia expulſus,ſicuti viuus non mediocrē gloriā, ita & mortuus diuinos apud ciues ſuos honores aſſequutus eſt. Theroni Thraſydæus filius, veluti in paternam hæreditatem ſucceſsit: Ceterùm quòd is etiam viuente adhuc patre,tam Agrigentinos quā Himerenſes, vt ſuo loco meminimus,nullo non iniuriarum genere vexaſſet,a Syracuſanis prælio fractus, ab Agrigentinis expellitur. inde apud Megarenſes ob facinora ab Hierone condemnatus, capitis ſupplicium ſubire coactus eſt. Exinde pace cum Syracuſanis facta breui admodum tempore ſub optimatium ſtatu Agri-
D gentinorum quieuit Reſpublica; Deucetij Siculorum regis armis perturbata. Is enim dum Motyam quæ in agro Agrigentinorum ſita eorundem quoque præſidio tenebatur, obſideret. Agrigentinos congredi auſos prælio ſuperauit, ac Motyam expugnauit. Poſtea tamen Deucetio a Syracuſanis infelici pugna fracto atque a ſuis deſerto, Agrigentini Motyam magna vi aggreſsi trucidatis præſidiarijs recipiunt. Inde ſocietatem cum Syracuſanis, vt Deucetium communem pacis publicæ perturbatorem coercerent,coeunt. Deucetius quum tantis ſe motibus ſe imparem videret,poſtquam ſupplex pacem a Syracuſanis impetraſſet, incolumis ab ijſdem dimiſſus ac Corinthum in exſilium ſecedere iuſſus eſt.

ZENO ELEATES.

AGRIGENTINI A TYRANNIDE LIBERATI.

THERON AGRIGENTINORVM REMPVBL. OCCVPAT.

THRASYDAEVS TYRANNVS.

eſt. Id Agrigentini permoleſtè tulerunt, Deucetium namque commu- A
nem ac publicum ex fœdere hoſtem ipſis inconſultis non fuiſſe dimit-
tendum. Bello itaque tum ex ea occaſione, tum ob mutuam vtriuſque
populi inter ſe æmulationem inter Agritentinos & Syracuſanos exor-
to, prælioque ad Himeram flumen commiſſo vincuntur Agrigentini.
Victi pacis leges a victoribus iniqua cõdicione accipere coacti, cũ Phæace
Athenienſium Legato ſocietatem contra Syracuſanos ineunt. Ceterùm
ea confœderatio, dum Athenienſes pro Segeſtanis confœderatis bellum
Syracuſanis & Selinontijs mouent, calamitatis occaſionem Agrigẽtinis
præbuit. Alcibiades namque eis in Athenienſium amicitia ac ſocietate
ſecurius acquieſcentibus ac ſubito impetu oppreſsis vrbis poteſtatem ſi- B
mul cum libertate ademit, inde quum profligatis ex Sicilia Athenienſi-
bus amicitiam cum Syracuſanis iunxiſſent, quòd cum ijſdem ſubſidia
Selinontijs contra Hannibalem miſiſſent, Pœnorum in ſe arma con-
uerterũt: quorum copijs paullò ante Dionyſij Senioris dominationẽ
AGRIGENTVM EVERSVM. oppreſsi, & a Dapheo ceteriſque Syracuſanorum ducibus pecunia cor-
ruptis deſerti proditique euertuntur: ita vt vix vllam vrbis faciem hoſtis
integram reliquerit. Poſthæc Timoleon poſtquam Siciliam a tyrannis
purgaſſet, & Pœnos vltra lycum flumen ſummouiſſet; nouis ex Elea co-
lonis deductis, vrbe & ciuibus Agrigentinis qui diſperſi erant vndique
collectis, Megello & Pheriſto duumuiris, quinquageſimo poſtquã de- C
AGRIGENTVM RESTITVTVM. ſertá fuerat anno, Agrigentum inſtaurauit frequentauitque. Inde Aga-
thocle apud Syracuſanos regnante, quum a Pœnis denuo vexarẽtur re-
bus Carthaginiẽſium in Sicilia profligatis, non ſolùm in libertatem ſe-
ſe aſſeruerunt; ſed ceteris etiam vrbibus, vt ſeruitutem depellerent, auxi-
lia ſubminiſtrarunt. Quin etiam dum Syracuſanos ab Agathocle de-
ſertos, ad hæc fame & obſidione preſſos torpeſcere vident, capto tempo-
re ipſius quoque Siciliæ regnum affectare auſi, conſcriptis validis copijs,
XENODICVS AGRIGENTINORVM DVX. Xenodicum ijs ducem præficiunt: qui vt lætis admodum auſpicijs rem
tantam aggreſſus eſt, ita triſtiſsimo eandem euentu clauſit. Gelenſes au-
tem omnia qui graui Pœnorum præſidio vrgebantur, quum nocte per D
aliquot factioſos in vrbem receptus eſſet, profligatis Carthaginienſibus
libertate donauit. Ennenſes inde tam læta Xenodici initia ſequuti, poſt-
quam legationem ad Agrigentinos miſiſſent, ſuis legibus vti permiſsi
ſunt. Ab his Xenodicus ad Erbeſſum iunctis ſibi Ennẽſium copijs pro-
fectus eſt. id oppidum acri Pœnorum præſidio defendebatur; Ceterùm
ciues poſtquam Agrigentinorum ſeſe armis protectum iri vident; Pœ-
norum præſidiarios ex improuiſo adorti, contrucidatiſque ijſdem,
poſtquam Xenodici ſe fidei permiſiſſent, ab eodẽ libertati reſtituti ſunt.
Mox & in Echetlam ab Agathoclis milite occupatam, & firmis admodũ
propugnaculis

A propugnaculis munitam mouet eandem obſeſſurus, ſimul & vicinos Neetinorum, Camarinæorumque agros, qui a præſidiarijs vaſtabantur, defenſurus. expugnataque magnis viribus Echetla, Echetlæis libertatē, agris verò pacem reſtituit. Ceteras Siciliæ vrbes iam ad ſpem libertatis ob proſpera Agrigentinorum initia erectas fortuna deſeruit: poſtquam enim Xenodicus cum Leptine & Demophilo Legatis qui Agathoclis exercitum ducebant congreſſus, deſideratis aduerſa pugna è ſuis mille quingentis profligatus eſſet, tantilla clades ita Agrigentinorum animos fregit, vt Xenodicum domi tanquam ipſius vitio malè pugnatum eſſet, calumnijs & contumelijs proſcinderent: atque hinc diſcordiæ & factio-
B num inter ciues initia exiſterent, alerenturque partium ſtudia. Quæ poſtquam Agathocles intellexit, Leptinem cum exercitu in Agrigentinorum agrum mouere, ac agendo ferendoque omnia, Xenodicum ad prælium elicere iubet. Agrigentini itaque poſtquam fumus ex villarum, agrorumque incendijs in oculos atque ora venit, Xenodicum iterum vt pauidum, vt cunctatorem & ſuorum proditorem increpatū ac probris oneratum ad pugnam extrudunt: vbi ad manus ventum eſt, cum Agrigentinus luxu eneruatus & ad ducis ſui monita contumax, ſegniter atq; otioſè rem gerens, hoſtis impetum non ſuſtineret, turpi fuga vrbem repetit: hinc ciues Xenodicum vt & iſtius cladis auctorem ad ſupplicium
C depoſcunt. ſaluti fuit, quòd is vitæ ſuæ & honori conſulturus opportuno fugæ conſilio Gelam ſe receperat. Agrigentini duplici iam clade accepta animis deiectiores pacem cum Agathocle fecerūt: poſt cuius mortem etiam in Pyrrhi amicitiam recepti ſunt. Ceterùm quum Pyrrhus armis & poteſtate nimia efferacior, dominationem ſuperbiùs exerceret, Agrigentini vnà cum ceteris, qui eiuſdem iniurijs vexabantur ciuitatibus, a Pyrrho ad Pœnorum ſocietatem defecerunt. Ceterùm bello Punico primo poſtquam Hiero pacem cum Po. Ro. feciſſet, Pœni contractis copijs & conuecto vndique commeatu Agrigentum pro arce & belli ſede muniūt. L. itaq; Poſthumio Megello & Q. Mamilio Vitulo Coſs.
D priuſquam vires Carthaginienſium in Sicilia confirmarentur, Agrigentum inuadere placuit: & cum Pœnis, ſi pugnandi copiā facerent, de ſumma rei prælio decernere: ſin verò mœnibus ſeſe hoſtes tuerentur; vrbem ſi aliter non poſſent, ſaltem obſidione & fame ad deditionem cogere. Conuenire itaque legiones & auxilia iubent, magnoque cum exercitu contra Carthaginienſes mouēt: & caſtra vix mille ab vrbe paſsibus metantur. Hannibal præſidij intra vrbem præfectus quinquaginta millibus hominum imperabat. Diu tenuit ea obſidio, nō ſine maximis tam Romanorum quàm Carthaginienſium obſeſſorum incommodis ac difficultatibus: dum hi duabus a partibus a Conſulibus Ro. obſeſsi duplicio;

ROMANORVM AD AGRIGENTVM CVM POENIS RES GESTAE.

vallo a ſubſidijs & commeatibus intercluſi omnium ferè rerum inopia A
ac fame premerentur. Romani verò parte altera primùm Hannibalis
& Carthaginienſium eruptionibus, non ſine ſuorum cæde laceſsiti ægrè
caſtra tuerentur: deinde poſt quinctum quàm vrbs obſideri cœpta fue-
rat menſem, ſubmiſſo a Senatu Carthaginienſi cum validis ſubſidijs &
Elephantis Hannone interceptoq; ab eodem per proditionem Erbeſ-
ſo, quo hactenus pro horreo commeatuum Ro. vſi fuerant, ipſi quoque
a duobus exercitibus incluſi non minore quàm obſeſsi commeatuum
rerumq; neceſſariarum inopia, adhæc graui etiam cælo peſtilitate labo-
rarent. vt niſi Hiero ſocius & amicus Po. Ro. ſubminiſtrato peropportu-
nè commeatu in tantis neceſsitatibus ſubueniſſet, obſidionem ſoluere B
coacti fuiſſent. Ita paribus vtrinque difficultatibus conflictati, protra-
ctaque poſt Hannonis aduentum vſq; ad bimeſtre ſpatium obſidione,
non ſine crebris interea vltro citroque velitationibus & leuibus concur-
ſibus, redactiſque inter hæc ad extremam penuriam Carthaginienſibus
obſeſsis ita vt plurimi ex ipſis dum famem tollerare non poſſent, quoti-
die ad Romanos deficerent, Hanno tum crebris per noctem ignibus,
tum per exploratores de ſuorum deſperatione certior factus; ſummam
rei prælio commiſſurus in aciem deſcendit. Conſules viciſsim Ro. cum
nec ipſi ſe a ſuis quibus premebantur neceſsitatibus, aliter expedire poſ-
ſent, facta pugnandi poteſtate, ſuos quoque in aciem educunt. ac poſt- C
quam diu ancipiti Marte pugnatum eſſet, Romani tandem perrupta
prima hoſtium acie, Elephantisque crebris telorum ac verutorum ictu-
bus in furorem actis ac retro in ſuos conuerſis, ſigna vndique a fronte, a
tergo, & a lateribus inferunt: cæſaque maxima Pœnorum parte reliquos
in fugam compellunt. Hinc conſules toto in Agrigentum impetu cō-
uerſi, proſtratis portis vrbem inuadunt, eamque militi diripiendā præ-
bent. Captum eſt Agrigētum octauo quàm obſideri cœperat mēſe, bel-
li Punici primi anno tertio, varias inde aliquādiu & acerbas fortunæ vi-
ces experta, iterum in poteſtatem Pœnorum veniſſe argumēto eſt, quod
Polybius eam a Gallis Pœnorū præſidiarijs, quū ceteros qui Carthagini- D
enſibus merebāt, ob nō ſoluta ſtipēdia tumultuari audijſſent, direptā &
ſpoliatā ſcribit. Poſtea iterū a Romanis occupatam vel hinc credere licet
quod Liuius tradit, Agrigētum ab Imilcone Pœnorū duce interceptū,
eo tēpore quo Marcellus Conſul Syracuſas obſideret. Poſtea Marcellus
Syracuſis per proditionē potitus, rebusq; in reliqua Sicilia cōpoſitis ad
cōficiendas quæ circa Agrigentū reſtabant belli reliquias profectus Hā-
nonē & Epicidē Pœnos, prioris ad Agrigētum belli duces, occulto Nu-
midarum auxiliarium qui ſub Mutine Carthaginienſibus militabant
ſtudio & fauore vſus, circa Himeram flumen aduerſo prælio non ſine
magna

AGRIGENTVM A ROMANIS CAPTVM.

ROMANORVM AD AGRIGENTVM CVM POENIS RES GESTAE.

A magna clade fractos, fuga intra Agrigentum compulit. Post Marcelli autem è Sicilia profectionem, M. Valerius Læuinus Consul in Siciliam missus, Legiones in Agrigentinos eduxit: quumque Anno æmulatione rerum a Mutine equitatus Numidici præfecto gestarum, quibus totam Siciliam suo nomine implerat, veritus ne illius gloria suæ famæ officeret, adempta Mutini per inuidiam præfectura, eandem filio suo contulisset, Mutines ea iniuria offensus, missis ad Læuinum Consulem nuncijs, clandestinas cum eodē de tradendo Agrigēto pactiones facit. Hinc Numidæ qui Mutinis imperio parebāt, portam quæ ad mare ducit occupantes, pulsis inde custodibus, Romanos per eandem in vrbem ad-
B mittunt: qui citato compositoq; agmine transeuntes, antequam a Pœnis aut oppidanis perciperentur, valido cum clamore forum tenuerunt. Anno eo tumultu perculsus, postquam è clamore vrbem a Romanis occupatam intellexit, statim fugam arripit: ac per portam auersam cum Epicide & paucis aliquot emissus ad mare peruenit: atque ibi peropportunè paruum nactus nauigium, relicta hostibus Sicilia, pro qua per sexaginta annos plus minus certatum fuerat, in Africam cū comitibus traiecit. Reliqua Pœnorum Siculorumque multitudo, dum intercluso passim exitu, circa portas & muros oppidi fugam & exitum quærens tumultuatur, cæsa est. Læuinus Consul oppido recepto, præcipuos quos-
C que & qui apud Agrigentinos capita rerum fuerant, virgis cæsos securi percussit: ceteris cum vniuersa præda diuenditis, pecuniam inde confectam Romam misit. Vulgata per Siciliam Agrigentinæ cladis fama, omnis repentè ad Romanos inclinauit: & si quæ restabant oppida, ijsdem breui tempore aut vi & armis, aut metu & deditione in Romanorum potestatem redactis & receptis, Pœnisque ex vniuersa Sicilia eiectis debellatum est. Agrigentum de hostibus Pœnis captum leges a victore Læuino accepit, & postea vniuersa prouincia iam confecta, quū Siculi vniuersi suis quique sedibus restituti, pristinos agros pridem propter bellorum tumultus, ac motus desertos, colere, arare, ac serere iube-
D rentur. Quumque T. Manlius per id temporis prætor, Agrigentinos tot belli cladibus exhaustos atque vrbem ipsam ciuium infrequētia propemodum desertam ad Senatum perscripsisset: Senatus consultum accepit, vt de oppidis Siculorum colonos Agrigentum deduceret. Hinc quum duo iam Agrigentinorum genera essent; vnum veterum, alterum colonorum. P. Scipionis legibus cautum est, ne plures essent ex colonorum, quàm ex vetere Agrigentinorum numero: additum & de cooptādo Senatu: ne quis minor triginta annis natu; neue quis qui turpē quæstum feciſſet legeretur; itidem de censu eius qui legendus esset, & ceteris rebus. Verres tamen Prætor, qui omnia iura pretio exæquabat; nō mo-

AGRIGENTVM IIERVM A ROMANIS CAPTVM.

AGRIGENTINORVM RESPVBLICA CONSTITVTA.

dò illa quæ ordinis ætatiſque erant permiſcuit, ſed & in his duobus no- A
uorum veterumque ciuium generibus delectum pecunia accepta per-
turbaſſe ab Agrigentinis poſtea accuſatus eſt. Agrigenti & mediterra-
nei oppidi longitudinem XXXVIII.S.partium, Latitudinem XXXVI.cum
beſſe Ptolemæus menſurat: Agrigentini verò vt Emporij longitudinem
triente vnius partis orientaliorem; latitudinem quadrãte partis auſtra-
liorem ponit.

IMEPAIΩN.

HIMERENSES non ex ordine neque ſitus ratione, ſed nomi- B
nis affinitate decepti, (vt in Thermitanorum hiſtoria latius a no-
HIMERA FLVVIVS. bis dictum eſt) Agrigentinis ſubiecimus: effecitque Himera fluuius pro
Gela ab auctoribus etiam idoneis, Liuio nimirum, Diodoro, Plinio,
Ptolemæoque atque alijs aliquot vſurpatus, vt hic Himerenſes pro Ther-
mitanis ſicuti natura & vocabuli ratione haud multùm; ita ſitu & loco
plurimùm diſcerpãtes tranſpoſuerimus. Himera namq; vrbs (vt me-
morauimus) ad Etruſci maris oram pertinebat; quare ab eo loco quid-
quid hîc de Himera vrbe & flumine a nobis dici poterat, repetendũ eſt.
THERMAE. Nunc Thermas vrbem in Libyci maris ora haud lõgè vltra Lycum flu-
men ſitam, & ab Agrigento verſus occaſum XL. millibus diſtantem de- C
ſcripturi ſumus. De origine vrbis ex Diodoro obſeruo, eam a Carthagi-
nienſibus priuſquam inſulam penitus exploraſſent, delecto fortiſsimo
quoq; aut conditam aut occupatam: nomenq; vrbi Thermis ab aquis
calidis factum fuiſſe. geminas namque Thermas in monte cui vrbs ſub-
eſt habebat; aqueam vnam, ſudatoriam alteram. Dædalum quoq; an-
trum ex viua rupe ad Thermarum commoditatem excidiſſe ſcribitur, in
quo fumus ab igne vicino euaporabat: ita vt aſtãtibus paullatim ſudor.
ex calore eliceretur; corporaque adeuntium affecta cum voluptate cu-
rarentur, morboque per ſudorem nulla cum caloris percepti moleſtia
ſoluto. Sunt quibus curæ fuit iſta exactius deſcribere, & quia res memo- D
riam meretur, eãdem enumeratione complexuri ſumus. Totum montis
ad cuius radices Thermæ ſunt ſitæ tractum, lutoſo ſulphure, ſale, ignibus
& feruentibus aquis perpetuò ſcaturire produnt. Addunt eodem in mõ-
te, (quod meritò inter naturæ miracula referendum eſt) exiguo quidem
interuallo ſulphureas & calentes aquas ob loci vicinitatem Selinontinas
olim vocatas, ſcaturire. In proximo alteram erumpere aquam, quæ hau-
ſta aluum ſalubriter moueat; ita vt hinc ægrorum corpora multùm le-
uentur. Tertiam frigidam limpidiſsimamq; ſiti exſtinguendæ aptiſsi-
mam. Quartam verò ſalſam eſſe: ceterùm tepidam; quæ hulcerum

vligines

A vligines & carioſas Lacunas admota ſine moleſtia deſiccet. Eandem vbi refrigerata eſt, in atri pumicis formam coaleſcere teſtãtur. Additur, eandem aquam obuia quæque agglutinare, & in id genus lapidis indurare. Quod ad medicatas in balneis aquas pertinet; commune hoc habent huius oræ Thermæ cum Thermis Himerenſibus. Ceterùm ambiguitatem mouet, quòd Plinius Thermas Coloniæ cognomine donauerit, dũ Libyci maris oram ſeriemque vltra Agrigẽtum verſus occidentem enumerat; neque cuius auſpicijs, aut è quo populo deducta ſit referat. Mela itidem Thermas in eodem tractu recenſet. Thermas autem Himerenſes Coloniam fuiſſe Ro. militarem inſcriptiones antiquæ quæ etiam nũ
B in ipſa vrbe exſtant (vt ſupra diximus) teſtantur. Verùm non parum ad Thermarum nobilitatem facit, quod Agathoclis Syracuſanorum tyrãni patria ſit; quódque Carcinum Agathoclis patrem figulinam apud Himerenſes exercuiſſe, vrbemque ipſam figulorum frequentia cultam fuiſſe ab auctoribus memoriæ proditum ſit. Diodorus etiã auctor eſt, Agathoclem quum ad Himeram flumen haud longè a Gela vrbe, infeliciter contra Amilcarem Pœnum diebus Canicularibus pugnaſſet, magnã inſuper cladem eſſe paſſum, quòd feruente circa meridiem ſole, miles ipſius æſtu, ſiti, ſudoreque tabeſcens, Himeræ fluminis aquam, quæ ſalſiſſima erat, auidius hauſiſſet: ita, vt rigentibus hinc præcordijs, & faucibus
C areſcentibus, magnus militum numerus extingueretur. quod iccirco hîc ſubiunximus, vt tam ratione loci, quàm ex ipſius aquæ natura oſtenderemus, Himeram pro Gela fluuio a Diodoro eo loco poni; ceteroſque quos nuncupauimus auctores id ſequutos eſſe. Himeram enim fluuiũ qui in Etruſcum mare exonerat, dulcem aquam & potui gratam habere ſuo loco oſtendimus.

THERMAE COLONIA.

ΓΕΛΑΣ.

GELA Rhodiorum & Cretenſium Colonia.

D GELAE vrbis conditores fuiſſe è Rhodo Antiphemum, è Creta Entymũ, quadrageſimo quincto poſt Syracuſarum initia anno, & colonos communibus in eam auſpicijs deduxiſſe Thucydides ſcriptũ reliquit: ciues autem a Lyndo Rhodiorum oppido ac colonorum præcipuorum patria, primùm Lyndios fuiſſe vocatos: qui poſtea affluente vndique ciuium frequentia, ab oppido Gela Gelenſes appellati ſunt. Vrbi autem a Gela fluuio præterlabente nomẽ factum, ſicuti & Himeræ, Selinunti, Agrigento atque alijs pleriſque tum Siciliæ tum aliarum regionum vrbibus. Sunt qui cauſſam nominis quo fluuius vocatur ad priſcum Opicorum & Siculorum vocabulum γέλαν, quod παχυν Græ-

GELA CONDITA.

cis: latinis pruinam significat, referant: quòd fluuius ille multam pruinam progeneret. Alijs placet a Gelone AEtnæ & Hymari filio Gelam flumen esse dictum. Quibus originem vrbis ad vocabuli rationem cõparare placuit, ij a fortuito risu (longa est fabula & ab auctoribus petenda) oppidum Gelam fuisse dictum recensent. Gelenses originem suam etiam ad Cretenses referre argumento est. Minotaurus in ipsorum numismate signatus. Huc accedit, quòd Minos Cretensium rex vt Dædalum a Cocalo Sicanorum rege reposceret, circa hæc litora exercitum exposuisse, atque ipsi quoque Cretenses, qui vlturi regis sui mortem Cocali dolo interfecti postea in Siciliam traiecerant, postquam Camicum vrbem quam Dædalus Cocalo ædificauerat, frustra per quinquennium obsedissent, obsidione soluta circa hanc oram sedes sibi posuisse scribuntur. Multa etiam Dædali opera ciuitati ornamento fuisse Pausanias testatur. Minotaurum autem biforme monstrum fuisse fabulantur, facie humana, corpore taurino, vt in numismatibus adparet, ex Pasiphaë Minois vxore & tauro natum: quòd a Dædalo Labyrinthi ambagibus inclusum humanis carnibus pascebatur: postea a Theseo, Ariadnes opera atque consilijs adiuto interfectum: nota est fabula. Plurima etiam Dædali opera ipsi oppido ornamento fuisse Pausanias testatur.

GELA FL. A

Gelam autem Doricis legibus institutam tam magna statim incrementa accepisse traditur, vt Agrigentum centesimo ferè octauo quàm condita erat anno coloniam deduxerit. Ceterùm quũ Gela continuis bellorum procellis exhausta, ciuibusque destituta esset, Timoleon euocatis ex Chio insula colonis, duce Gorgo eam iterum frequentari curauit. Signum autem Apollinis maximum & artificio singulari spectabile extra mœnia positum a Gelensibus colebatur. Ager Gelensis frumenti copia potissimùm luxuriabat: quod & tritici grano in numismatis suis adsignato Gelenses posteritati testatum voluêre. Proditum quoque memoriæ est in agro Gelensi stagnum fuisse, quod accedentes teterrimo odore abigeret: adhæc fontes ibidem duos, ex quorum altero si sterilis bibisset, secundam, ex altero verò si secunda bibisset sterilem fieri, Salem quoque Gelensem tanti splendoris fuisse Plinius auctor est, vt imagines veluti speculum recipiat. Eum æstate in lacu ad margines tantum non toto stagno gigni: quod & in ipso quoque Gela fluuio fieri obseruatum est. Eodem in agro duo propugnacula erant, Phalarium & Ecnomum. Phalarium a Gela flumine duodecim stadijs. Ecnomus tantundem a Phalario, fluuio interfluente distabat. Phalarium a Phalaride exstructum scribitur. vti & Ecnomũ ab eius sæuitia appellatum: quod eò loci Taurum æneum quo flagitiosos igne suppositio Phalaris excruciabat, a Perillo fabricatum constabat. In agro itidem Gelensi

GELA RESTITVIA. C

PHALARIVM. D

ECNOMVM.

Mactorium

A Mactorium oppidum Herodotus ponit. quod Gelenſium quidam per ſeditionem eiecti incolebant. Hyblam verò minorem ſiue Neram vt diximus, Thucydides; Cacyrum Ptolemæus. Quod ad Gelenſium rẽpublicam pertinet quum ea paucorum imperio adminiſtraretur, & ob id nouis ſubinde rebus obnoxia eſſet, a Cleandro Pataræo ſeptem annis occupata eſt: eoq; poſt ſeptennium a Sabyllo Gelenſi interfecto, Hippocrates eius Cleandri frater imperium ſuſcepit. qui Callipolitanos, Naxios, Zanclæos & Leontinos bello laceſsiuit; eoſdemque ferè omnes Gelone ſatellite ſuo, & AEneſidæmo Pataico ducibus in poteſtatem redegit. Barbaros quoque plurimos ſuæ ditioni ſubiecit. Pugnauit & cũ

B Syracuſanis, quos quum ad Elorum flumen magna ſtrage fregiſſet, plurimoſque è proceribus eorum cepiſſet, eoſdem Corinthiorum & Corcyræorum Legationibus cõcedens hac lege dimiſit, vt Camarinã quam deletam deſeruerant, ei concederent: quam vbi a Syracuſanis accepiſſet, deducta eò Gelenſium colonia, quibus arma, commeatum, atq; agros diuiſit, eandem continuò reſtituit: adminiſtrataque ad eum ferè modũ per ſeptennium republica; dum contra Siculos ad Hyblam minorem confligit, in prælio cæſus eſt. Poſt Hippocratis mortem Gelo Dinomenis filius, qui genus ſuum ab Oecetore Rhodio repetebat regnum inuaſit. huius tutelæ Hippocrates moribundus filios Euclidem & Cleandrum commiſerat. Ceterùm cum Gelenſes Hippocratis filios vt paterni regni ſucceſſores, recipere & admittere recuſarent, Gelo Gelenſibus

C prælio ſuperatis, dominationem ſibi aſſeruit. Poſtea quum plærique è Syracuſanorũ Patricijs vrbe perfactiones a plebe & ſeruis eiecti, in Caſmenam vrbem ſeceſsiſſent: Gelo in auxilium ab eis euocatus, coacta magna militum manu, Syracuſanorumque plebe, & ſeruis ſubactis, patricios Syracuſas reduxit: quo beneficio, ita populum Syracuſanum ſibi demeruit; vt Geloni Syracuſas intranti ſeruà cum vrbe dederet: regemque eundem ſalutarent, anno ſecundo Olympiadis ſeptuageſimæ ſecũdæ. Gelo occupato ad eum modum imperio, Hieroni fratri ſuo Gelæ

D dominationem cõceſsit: eundemque ſeptimo deinceps anno in Syracuſanorum regno ſucceſſorem habuit. Hiero poſtquam Thraſydæum Agrigentinorum tyrannum bellum ſibi mouentem prælio viciſſet, etiam imperio eundem exſuit: Agrigentinis verò pacem & libertatem dedit. Ciues tamen ſuos ſæuitia & dominandi libidine vexaſſe traditur; quumque eam ob cauſſam inuiſus & odioſus apud ſuos multos viciſsim metueret, Corycæos inſtituiſſe, qui exceptos in circulis cõfabulantium-que coronis de ſe ſermones deferrent. Ter in Olympicis victoriã adeptus eſt: ſemel quadrigis, bis celete, quod & in Gelenſium numiſmatibus expreſſum cernitur. Ceterùm quum poſt Hieronis mortem Sicilia va-

rijs

MACTORIVM.
HYBLA MINOR.
CACYRVM.
GLEANDER.
HIPPOCRATES.
CAMARINA RESTITVTA.
GELO.
GELO REX A SYRACVSANIS SALVTATVS.
HIERO GELONI SVCCEDIT.

rijs motibus turbaretur. Gelenſes quoq; cum Camarinæis bellum geſ- A
LAMPICHVS GELENSIVM TYRANNVS. ſerunt: quod Syracuſanorum auctoritate tandem ſopitum eſt. Obſeruo & Lampichi ſuperbia, faſtu, crudelitate, & violentia Gelenſes diu aliquando fuiſſe oppreſſos: adhæc vrbem a Pœnis poſt bellum Athenienſium miſerè fœdeq́ue vaſtatam ac depopulatam: & ſignum illud Apollinis in victoriæ monumentum Carthaginem tranſlatum fuiſſe. Inde
GELA A TIMOLEONTE RESTITVTA. Celenſes Dioni vt Dionyſij tyrannidem euerteret, auxilia præbuerunt: hoc potiſsimum beneficio promeriti, vt vrbs eorum a Timoleonte nouis poſtea colonis frequentaretur. ſub Agathocle quoq; arma pro libertate cum ceteris ſumſêre: ſed pace per Amilcarem compoſita, Agathocles quum capto tempore Gelam ex improuiſo occupaſſet, quatuor ciuium B
millia contrucidauit: pecuniamq́; omnem tam ſacram & publicã quàm priuatam, indicto capitali ſupplicio ſi quis quidquam celaſſet, ad ſe deferri iuſsit. Hinc quum in Amilcarem qui Ecnomum occuparat, mouiſſet, ac Phalarium inſediſſet, poſitiſque iuxta Gelam fluuium inſidijs, Pœnos profligaſſet, Ecnomum quoque occupare conatus, ſed ab occupatione depulſus, dum Phalarium verſus fuga contendit, milites eius per dies caniculares feſsi, a fuga atque æſtu confecti, poſtquam ſalſam, ac ſolis ardore exaſperatam Gelæ aquam auidiùs hauſiſſent; rigẽtibus vti ſupra diximus vitalibus, maxima longè pars miſerabili mortis genere ex-
GELA FLVVIVS. QVI ET HIMERA. tincti ſunt. Gelam enim fluuium ſiue Himeram (promiſcuè enim a bo- C
nis auctoribus vtroque nomine dici iam non ſemel oſtendimus) è tribus oriri fontibus, quorum præcipuus ad Nebrodem montem erumpit: receptiſq́; alueo ſuo multis vndique fluuiolis qui è ſalſis lacubus aut ipſis ſalis fodinis deriuantur aquam ſalſam vehere tradunt. vorticoſoq́; admodum ac importuoſo oſtio in Africum mare dilabi. Nobilitata fuit hæc vrbs inter cetera Apollodori vetuſtiſsimi comici, tum etiam Timagoræ Philoſophi ac auditoris Theophraſti, adhæc AEſchyli quoq; Poëtæ ſepulchris. Himeræ fluminis oſtium ſub longitudine xxxix. partium; ſub latitudine verò triginta ſex & trientis Ptolemæus reponit: Gelam autem vrbem ſub eadem quidem longitudine verùm D
ſextante vnius partis ſeptem trionaliorem facit. Ceterùm quum Camarinam vrbem triente tantum vnius partis orientaliorem; vncia vnius partis auſtraliorem Geographus ſtatuat; facit vt hoc loco quæ & de
CAMARINA VRBS. Camarina a nobis inter legẽdum obſeruata ſunt, paucis adſcripturi ſumus. Camarinam itaque vrbem ab Oano fluuio quingentis ferè paſsibus diſtantem Syracuſani Daſcone & Menecolo duumuiris anno ſupra centeſimum triceſimo quincto quàm res Syracuſana ſteterat, condiderunt. Huius vrbis vt ſubita, ita etiam fragilia caducaq́; incrementa fuerunt: Nam quum Camarinæi rerum ſecundarum inſolentia elati, in

Syracuſanos

A Syracuſanos originis ſuæ principes mouiſſent, ab ijſdem prælio ſuperati, funditusque euerſi ſunt: atque ab ea tempeſtate varijs ſemper & irrequietis belli motibus exagitati. Hippocrates verò Gelæ (vt ſupra memorauimus) tyrannus, qui pro Syracuſanorũ aliquot procerum redẽtione Camarinam acceperat, deducta mox colonia mœnia iterum erexit, & ciuium frequentia vrbem coluit. Verùm a Gelone Hippocratis ſucceſſore, quòd ab eodem violata fide defeciſſet, iterum euerſa eſt: & ciues in Syracuſanam ciuitatem tranſlati: ab eodem tamen haud multò poſt inſtaurata, nouiſque colonis adſcriptis in priſtinum ſtatum reſtituta eſt. Flagrante inde bello Punico primo quòd Carthaginiẽſium par-

CAMARINA RESTITVTA.

CAMARINA EVERSA ET SECVNDO RESTITVTA.

B tes ſequeretur a Romanis expugnata fuit. Vrbi ſuberat palus priſca ætate Heſperia, poſtea verò Camarina appellata: ea quamuis plurima vrbi commoda adferret, aërem, tamen inſalubrem aſpirabat. Hinc cõſultus Apollo an conduceret paludem quæ vrbi exhalatione ſua grauis erat, exſiccare? reſponſum eſt (quod poſtea in prouerbium abijt) Camarinã non eſſe mouendam. Ceterùm Camarinæi contemto oraculo paludẽ deſiccantes, incolumitatem quidem quam exſpectabant nacti, ſpretæ religionis pœnas paullò poſt dederunt: hoſtes namque per ſtagnum aquis exhauſtum in vrbem irruperunt, & occupatam diripuerunt. Haud procul vltra Camarinam Neetus & Elorus ſitæ erant: Neetum Siculi

CAMARINA PALVS.

NEETVS VRBS.

C in prærupto admodum tumulo ſaxoſoque VIII. millibus a mari haud procul ab Aſsinarij fluuij fontibus condiderunt. ex ea Deucetius Siculorum rex originem duxit: qui ciuibus Neetinis ex vertice mõtis in planiciem deductis vrbem nouam, quæ Nea deinceps appellata eſt condidit. Idem & alijs vrbibus non paucis vti Meneno, inter ceteras Palica, & Collatia Siciliam frequentaſſe ſcribitur. Elorum verò vrbem Ptolemæus triente tantum vnius partis Camarina orientaliorem; at vncia tantùm partis auſtraliorem facit. In Eloro Siciliæ Caſtello piſcinã Cæſaris fuiſſe, in qua piſces è manu hominis cibum capiebãt, Plinius teſtatur. Inde Elorus fluuius haud procul abeſt; qui latiſsimo al-

NEA VRBS.

ELORVS VRBS.

ELORVS FLVVIVS.

D ueo tanta placiditate fluit, vt ſtagnare videatur: ceterùm hiemalibus auctus aquis, in morem Nili agris ſuperfunditur & ſtagnat: vnde miram ſolo fecunditatem adfert. in hoc quoque fluuio cicurum mugilum magnam fuiſſe copiam antiqui ſcriptores teſtantur; qui inclamati accedere & capite extra aquas pauliſper exſerto è porrigẽtis manu placidiſsimè cibũ capere conſueuerint. Nobilitatus eſt etiã hic fluuius victoria Chromij generi Gelonis, qui ſoceri auſpicijs vſus ad eius ripas Carthaginiẽſes fuderit: adhæc & felici Hippocratis Gelenſium tyranni pugna qui Syracuſanos iuxta eum memorabili prælio, vt memorauimus, ſuperauit. Huius agrum ob florũ quibus veſtitur varietatem & loci amœnitatem

VIA ELORINA. ac planiciem ſemper virentem Ouidius Eloria tempe vocat. Ab vrbe A Eloro via plano lapide ſtrata, quam Elorinam vocabant, Syracuſas vſq; pertingebat. Ceterùm litora Africi maris a Camarina ad Pachynum

INYCTOS COCALI REGIA. obeuntibus Caucona portus occurrebat: inde ad Inycton vrbem ſiue Inycum (vtrumque enim ſcribitur) tranſitus erat: eam Cocali Sicanorum regis ſedem olim fuiſſe conſtat; Ceterùm a quibus condita aut deleta ſit, non ſatis certò traditum eſt. Hanc quoque balneorum excellentia celebrem fuiſſe obſeruo. unt qui Minoëm Cretenſium regem in hac vrbe Cocali ſcelere ſuffocatum tradunt. eandem quoque Scythæ Zancleorum regis in ea exſilium nobilitauit. vinum etiam Inyctinum quondam a generoſitate commendatum fuiſſe Strabo tradit. Excipit B vltra progreſſos Hirminij fluminis, mox Motychani amnis oſtium, O-

MOTYA VRBS. dyſſeia promontoria; portus Ediſſa, inde Motya vrbs, quam ab Hercule conditam memorauimus. eam Afros Pœnis permixtos tenuiſſe ex Pauſania ſcripſimus. a Gnidijs tamen qui ex Lycia regione huc appulerint idem Pauſanias conditam tradidit; Gnidios autem poſtea ab Elymis & Pœnis prælio victos, expulſoſque in AEolias inſulas profugiſſe.

APOLLO LIBYSTINVS. In hac vrbe Apollinis Libyſtini templum fuiſſe olim frequentia hominum ac religione celeberrimum a Macrobio ſcribitur. Motyenſes enim quum graui Libycorum obſidione premerentur, Apollinem inuocaſſe: nec multò poſt immiſſa hoſtibus peſte, cunctisque ea contagione con- C ſumptis, Motyenſes periculo liberatos Apollinem Libyſtinum appellaſſe; temploque illi magnificè exſtructo, ſummũ ei cultum deinceps impendiſſe. A Motya digreſsis Pachyni portus ſeſe quà meridiem reſpicit

PACHYNVS. aperiebat. inde Pachynus tertium Siciliæ promontorium, quò Peloponeſum & Græciam proſpectat, quadringentorum millium interuallo; a Mileto verò inſula centum millium ſpacio diſiungitur difficili & periculoſo, æquè ac formidabili nauigantibus mari; quod ex freto Meſſanẽſi ad Pachynum vſque concitatiori curſu quàm ad alia huius oræ litora prouoluatur. Pachyni longitudinem quadraginta; latitudinem XXXVI partibus & triente Ptolem. definiuit. D

EMΠoPITΩN.

EMPORIA QVATTVOR IN SICILIA. EMPORIA in Sicilia fuiſſe quattuor ab vrbibus quarum commercijs frequentabantur denominata, & ad fluuiorum oſtia ſita obſeruo. Quòd tamen hactenus haud ſatis liquidò conſtet, ad quod Emporium referenda, ea quæ ad manus noſtras peruenêre Emporitanorum numiſmata, eadem cum ijs quorum characteres a nobis nulla diligentia agnoſci potuerunt ſepoſuimus: noſtro vti ſpero, officio ſatisfacturi,

A facturi, si quæ de singulis Emporijs comperta habemus, breui enumeratione subiecerimus: Interim hoc lectorem monendum putaui; Emporium illud cuius hîc secundo loco numisma exhibemus, ab Afris in Sicilia ad oram litoralem conditum fuisse, ex Pegaso Africæ symbolo, haud improbabili coniectura videri posse. Alterum autem ex eodem Pegasi symbolo, crediderim ad Emporitanos quos Polybius in Africa fertilitate & prouentuum copia celebres nominat, referri posse. Emporitanos etiam in Hispania esse non ignoramus, Ceterùm ad hunc locum vt opinamur non pertinent. Ne itaque extra Siciliam euagemur, Emporium Segestanum Africæ litoribus ad Crinisi fluminis ostiũ, vt suo loco me-

EMPORIVM SEGESTANVM.

B minimus, prætenditur: quod an a Pœnis conditum fuerit vt affirmare non ausim; ita magna commerciorum frequentia ab ijs cultum fuisse constat, quorum etiam imperio tempore belli Punici primi paruisse ex Polybio colligitur. Alterum hinc Emporium Selinõtinorum siue Mazaræ, a fluuij cui imminet ostio, ad Africi maris oram vltra Lilybæum erat: quod vt ex Diodoro scripsimus ab Hannibale Giscónis filio dum in Selinontinos moueret, captum & direptum fuit. Tertium medio ferè inter Lilybæum & Pachynum promontoria spacio, Agrigentinorum Emporium nominatur: quod maximo totius Africæ cõmercio & mercatorum conuentu celeberrimum a nobis suo loco descriptũ est. Quar-

EMPORIVM SELINONTINOR.

EMPORIVM AGRIGENTINVM.

C tum Leontinorum fuisse emporium ex Cicerone atque alijs constat.

EMPORIVM LEONTINORVM.

Quibus autem ex his quæ recensuimus quatuor Emporijs ea quæ expressimus numismata sint attribuenda, lectoris iudicio censendum permittimus. Et quanquam non ignoremus etiam Emporium absolutè inter vrbes Siciliæ a Stephano numerari; quia tamen neque quo loco steterit, neque aliud quicquam vnde certi aliquid colligere possimus adscribit; æquè nos, vt ceteros, quorum scripta nobis vila sunt, ambiguos reliquit.

ΣΕΓΕΣΤΑΙΩΝ.

D

SEGESTA Troianorum Colonia.

ETSI ob characteres in numismate quod tandem Segestanis adscripsimus, exolescentes: nobis non satis liquido adparebat, ΕΓΕΣΤΑΙΩΝ an ΣΕΓΕΣΤΑΙΩΝ (aut quod nõnulli malunt) ΑΙΓΕΣΤΑΙΩΝ signatum fuisset; tamen certò confirmare possumus, ΣΕΓΕΣΤΑΝΩΝ non fuisse in eodem quod nobis ad manum erat expressum: vt ab alijs de tali numismate refertur, cuius mentionem in Panormi descriptione fecimus. Vt Troianus Egestes, (vel vt alij scribunt AEgestus) vrbem de

AEGESTVS TROIANVS.

ſuo nomine in agro Panormitano condiderit, ibidem a nobis relatũ eſt. A hoc hîc addendum duximus, apud probatos auctores vrbem nõ Egeſtã ſed AEgeſtã nominari; nuncupatione ab AEgeſto Troiano deducta, quẽ ita appellatum produnt, quod in ſiluis inter capras editus, & enutritus, fuerit. Seruius grammaticus, hæc fere de AEgeſti origine tradit. quum Laomedon Troianorum rex. Apollini & Neptuno, promiſſam murorum mercedem denegaſſet, Neptunum iratum, Troianis agris Cetum immiſiſſe; isque quum grauiſsimam Troianis cladem inferret; conſultum Apollinem reſpondiſſe, remedium calamitatis fore, ſi nobiles puellæ monſtro obijcerentur. id quum fieret, Hippotem nobilem Troianum, veritum ne ſors ea quoque ad Segeſtam filiam ſuam perueniret, B

SEGESTA MATER AEGESTI.

eam naui impoſitam, ventis fluctibuſque commiſiſſe, tolerabilius eſſe ratum, eam inter marinas vndas periclitari, quàm in præſentia ſua a monſtro ſæuiſsimo laniari. In Siciliam inde illam incolumen delatam, ibi amore virginis Criniſium fluuium captum, eam in vrſi, vel canis forma compreſsiſſe, & ex eo concubitu AEgeſtum (Aceſtem ipſe vocat) natum.

AEGESTA CONDITA.

Iam Strabo libro ſexto AEgeſtam ab Philoctetæ comitibus cõditam prodit; quos Philoctetes vnà cum AEgeſto Troiano in Siciliam miſerat. Et hoc quoque de AEgeſtanis memoratur, eos AEneam diuinis honoribus coluiſſe; eoſdemq; etiam honores Philippo Butacidi Crotoniatæ, ob inſignem corporis formam ab ijſdem habitos. adhæc inuenio, C Latinos AEgeſtam in Coloniam deductos, cum AEgeſtanos ſe appellari ignominioſum ducerent, quod ſordidum & abiectum eſſet nomen; Segeſtam vrbem, ſe autem Segeſtanos appellaſſe. In numiſmate Segeſtanorum, aduerſa parte Hercules ſagittarius expreſſus eſt; quod ideo forſan factum eſt, quod Hercules agrum Segeſtanum ab piratis & latronibus liberauerit. auerſæ partis interpretationem in Panormi deſcriptione retulimus.

GELO D

A

ΓΕΛΩΝΟΣ.

GELO SYRACVSANORVM REX PRIMVS.

GELO Dinomenis filius principatum apud Syracuſanos primus tenuit; quibus autem initijs, quibus progreſsibus ſucceſsibusque vſus eundem occupauerit, occupatum magna cum laude & pari ciuium beneuolentia per ſeptem annos adminiſtrauerit, poſtea explicabitur; Si prius de origine maioribusque ipſius quantum ſatis erit dixerimus. Gelonis itaque maiores ex Lyndo (quod erat Rhodiorum
B opidum) oriundi erant: hi cum Lyndij Gelam Coloniam deducturi in Siciliam proficiſcerentur, tum quidem domi manſerant; ceterùm haud longo poſt tempore ſuos in Siciliam ſubſequuti, Mactorium opidum Gelæ vicinum incoluerunt. Accidit autem vt Gelenſibus ſeditione laborantibus, quidam è ciuibus ab aduerſa factione vrbe pulſi, ad Mactorianos tamquam conſanguineos ſuos confugerent: quos Telines Deorum Inferûm apud Mactorianos ſacerdos humaniter acceptos, ſola religione nullis armis fretus, in patriam reduxit: ex hoc Teline longa maiorum ſerie ortus OEcetor Dinomenem filium habuit: huic quatuor fuêre filij, Gelo, Hiero, Polyzelus & Thraſybulus: è quibus
C Gelo natu maximus, quum in Hippocratis, qui tum Gelenſium Tyrannide potiebatur, familiaritatem ſe inſinuaſſet, breui ob virtutem præfectus equitum ab Hippocrate creatus, eiuſdem auſpicijs Zanclæos, Callipolitanos, Naxios, Leontinoque adortus, debellauit. ab his & Syracuſanos aggreſſus, eoſdem pugna ad Elorim fluuium proſperè commiſſa, victos oppreſsiſſet: niſi ad Corinthiorum & Corcyræorum opes confugiſſent: quorum auxilijs ſubnixi Syracuſani pacem cum Hippocrate ijs condicionibus compoſuerunt, vt tradita Camarina vrbe, liberi deinceps a bello eſſent. Hippocrates pace ijs condicionibus Syracuſanis data, dum ad Hyblam minorem Siculis bellum infert, in prœlio occiditur,
D Euclide & Cleandro liberis ſuperſtitibus. Hinc Gelo nomine tutorio Gelæ præfectus; poſtquam ciues rebellantes prœlio viciſſet, victoria elatus ipſe Tyrannidem occupat; Euclide & Cleandro principatu excluſis. Poſt eam fraudem, quum quoſdam patricij ordinis apud Syracuſanos, qui Gamori vocabantur, a plebe & ſeruis, qui Cyllyrij dicebantur, vrbe pulſos, ex Caſmena, vbi exſulabant Syracuſas reduxiſſet, Syracuſanorum fauore in vrbem recipitur. Hoc modo Gelo Syracuſis potitus; Olympiadis ſeptuageſimæ ſecundæ anno ſecũdo, vrbis verò Romæ conditæ CCLXII. relicto fratri Hieroni Gelenſium Principatu totum ſe ad Syracuſas ornandas ampliandasque cõtulit: ita vt breui eaſdem ad ſum-

GELO TYRANNIDEM APVD GELENSES OCCVPAT.

GELO A SYRACVSANIS RECEPTVS.

mum quaſi potentiæ faſtigium euexerit. Nam deleta Camarina A
quæ defecerat, ciues eius in vrbem Syracuſanam recepit: Gelenſiũ quoque dimidiam ferè partem eò tranſcripſit: quin & Megarenſes poſtquam diuturna obſidione fatigati, ſe dedidiſſent, proceres & potentiſsimos quosque ex eis, qui belli inferendi auctores fuerant, vrbe Syracuſana donauit: plebem quæ a conſpiratione immunis erat, venundedit. Ad eundem modum & cum Eubœenſibus, qui defecerant egit; proceres a plebe diſtinguens: idque eo conſilio, quod ſciret plebem ad ſeditiones procliuem ſæpenumero vrbibus exitio eſſe: atque ita Gelo vrbem Syracuſanã ad maximam potentiam extulit; ſimul præclari Principis domi foriſq; famam conſequutus eſt. Et quamuis ipſe litterarũ penitus expers eſſet, B
Græcorum tamen nemini tum humanitate, tum belli pacisque artibus cedebat. Et ſanè bellicæ virtutis ipſo ſtatim Principatus initio egregium ſpecimen edidit: mortem namque Doriei Lacedæmonij a Carthaginienſibus & Segeſtanis interfecti vlturus, quum auxilium ab Athenienſibus, & ipſis Lacedæmonijs poſtulaſſet, nec obtinuiſſet, ipſe hoſtem per ſe aggreſſus inſignem victoriam reportauit. Ad Gelonem itaque iam potentia & opibus florentem Athenienſium & Lacedæmoniorum Legati veniunt; auxilium contra Xerxem, qui iam in Græciam irruperat, petentes: quibus, poſtquam prius exprobraſſet, quàm turpem ab ipſis in ſimili cauſſa repulſam paſſus fuiſſet, auxilium tamen ducentarum trire- C
mium, viginti millium peditum, & duûm millium equitum; deinde & commeatum qui vel omnibus Græcorum copijs ſufficeret, ea conditione obtulit, vt vel nauali vel terreſtri exercitui ipſe præeſſet. Recuſantibus conditionem Legatis, & Græciam, milite non ducibus indigere dicentibus, ſubridens Gelo, Apud vos (inquit) ô Græci, vti video, qui imperent, non qui pareant habetis: abite itaque quàm celerrimè veſtris renunciaturi, ver illis exaruiſſe. ſubindicans copias ſuas, quæ erant florentiſsimæ, illis defuturas abeuntibus cum hoc reſpõſo Legatis, Gelo haud ignorans quantum ſibi periculi immineret, ſi Xerxes Græcos ſibi ſubijceret: vbi cognouit eũ tranſmiſſo Helleſponto Græciam intraſſe, Cad- D
mum Coum virum ſpectatæ fidei & virtutis, cum tribus triremibus & ingenti pecunia mittit, obſeruaturum in quam partem victoria eſſet inclinatura: vti, ſi vinceret Xerxes, pecuniam illi, ſimul terram, & aquam, eorum locorum quibus ipſe imperaret, traderet: ſi verò penes Græcos victoria ſtaret, pecuniam ad ſe referret. Cadmus vbi Græcos victores, Xerxem victum Græcia exceſsiſſe videt, cum pecunia, & nauibus, quemadmodum in mandatis habebat, ad Gelonem reuerſus eſt. ſunt qui referant, Gelonem in animo habuiſſe Græcis ſuccurrere, niſi turbatus Siciliæ ſtatus ipſum impedijſſet. Terillus namque Crimopi filius Himerenſium

A renſium Tyrannus a Therone Agrigentinorum Principe Himera pulſus, ad Anaxilam Rheginenſium Tyrannum, qui filiam ipſius Cydippã in matrimonio habebat, cõfugerat. Is ſocerum regno pulſum indignatus, eam iniuriam vindicaturus, ſimul vt illum in Himerenſium principatum reſtitueret, auxilium a Carthaginienſibus petit: & quò faciliùs impetraret, Amilcari Carthaginienſium duci filios duos obſides dat. Is contractis Pœnorum, Phœnicum, Hiſpanorum aliarumque gentium: trecentis millibus, expeditionem in Siciliam parat. Theron autem poſtquam ſe tantis copijs tantoque apparatu peti intellexit, quibus ſe imparem haud ignorabat; a Gelone genero, (filiam enim ipſius Damaratam B Gelo in matrimonio habebat) auxilium petit: vt iunctis viribus tantæ procellæ faciliùs obſiſterent. Interim Amilcar quum omnes vndique copias Carthaginem coëgiſſet: inde cum ducẽtis longis nauibus ac trecentis onerarijs ſoluens, aliquot ex onerarijs tempeſtate amiſsis, Panormum appulit. Ibi recreatis a nauſea militibus, reſarcitisque nauibus quæ maris ſæuitia conuulſerat, terreſtri itinere Himeram petit; adnauigante ſecundùm litus claſſe: poſitisque binis ad Himeram caſtris, alteris pro terreſtri, alteris pro nauali exercitu, ipſe cum delectis ad vrbis vſque muros ſuccedens, agmen Himerenſium quod eruperat, magna edita ſtrage in vrbem repulit. Ea clade accepta, ciuibusq; haud mediocri conſter- C natione perculſis, Theron qui vrbi præſidio erat, ſuis diffidens, Syracuſas ad Gelonem mittit, qui eum de præſenti rerum ſtatu edoceant; moneantque vt quàm primùm rebus afflictis ſubſidio veniat. Gelo intellecta Himerenſium deſperatione, ſtatim cum quinquaginta peditũ, & quinque equitum millibus auxilio properãs, caſtrisque ad vrbẽ quàm poterat proximè muros communitis; mox immiſſo vndiq; magno cũ impetu in vagos & palantes equitatu magnam hoſtium manum concîdit: captaq; ad decem millia in vrbem miſit. His tam proſperis rerũ initijs magnam apud omnes auctoritatem adeptus Gelo; effecit vt Himerenſes hoſtem quem prius timuerant, ludibrio deinceps haberent. ita vt D Theron portas quas prius metu hoſtium obſtruxerat, quò maiorẽ hoſtis contemtum oſtenderet, aperiri iuberet. Poſt hæc intercepto ex itinere Amilcaris nuntio, per quem ille Selinontiorum ſociorum equites ſtato die ad ſe euocabat; intellectoque hoſtium conſilio, lectiſsimam ſuorum equitum turmam pro Selinuntinis mittit: hi noctu loca vicina circumuecti, ſub diluculum ad caſtra Pœnorum peruenientes, pro ſocijs intra vallum recepti ſunt: factoque ſtatim in ipſum ducẽ impetu, Amilcarem ſacris intentum ad ipſas aras obtruncant: ab hoc conuerſo in reliquos ferro, raptũ ex aris ignem vti iuſsi erant, nauibus inijciẽtes, omnia latè cæde atque incendio inuoluunt. Quod vbi Gelo intellexit

ANAXILAS RHEGINENSIVM TYRANNVS.

GELONIS AD HIMERAM RES GESTAE.

è ſublato

è ſublato ab exploratoribus, quos in proximis collibus diſpoſuerat, A
quod conuenerat ſigno; ipſe cum reliquis copijs inſtructis ad caſtra Pœ-
norum contendit: illi viciſsim agmine raptim vti tempus ferebat, com-
poſito obuiam progreſsi, poſtquam primum Gelonis impetum vtcun-
que ſuſtinuiſſent, dum intentis in pugnam animis ſunt. Subitò omnia
flammis collucere vident, vulgatoque iam per totum exercitum caſtra
capta, ipſum Amilcarem cæſum, Pœni conſternati illicò in fugam ver-
GELONIS DE CARTHAGINIENSIBVS VICTORIA. tuntur: inſtant fugientibus Syracuſani, æditaque latè diſperſorum paſ-
ſim per campos fœda ac miſerabili ſtrage, centum quinquaginta Pœno-
rum millia cæſa ſunt: qui cædi ſuperfuerant, in locum munitum ſe rece-
pére: ſed quòd aqua deſtituerentur, tandem ſiti coacti & ipſi Gelonis ſe B
arbitrio permiſére. Naues interea quæ incendium euaſerant & cladem
ſuorum viderant, dum quam celerrimo poterant curſu Carthaginem
petunt, oborta in mari tempeſtate omnes ferè periére: pauci ſcaphis ex-
cepti ac Carthaginem perlati, tantæ cladis nuncij, vrbem luctu metuq;
implerunt: ita vt Carthaginenſes veriti ne Gelo a tanta ac recenti victo-
ria ad ipſam Carthaginem oppugnandam ſe conuerteret, vigilias ſtatim
per muros diſponerent. Gelo tam illuſtri victoria potitus,
primùm equites qui Amilcarem oppreſſerant, deinde & reliquos quorũ
fortia & egregia eo bello facta exſtiterant, dignis quoſq; præmijs proſe-
quutus eſt. Hinc præſtantiſsima ac lectiſsima quæq; ſpoliorum in or- C
natum Templorũ cùm ad Syracuſanos, tum ad ipſos Himerenſes tranſ-
mittit: hoſtium ceteram prædam vnà cùm captiuorum turba, in Centu-
riones ac milites, pro cuiuſque dignitate ac merito diſtribuit. Captiuo-
rum pars maxima a ciuitatibus Siciliæ quibus ſorte obuenerant ad ope-
ra publica & agros colendos deputati ſunt. Poſthæc Gelo dimiſsis ſo-
cijs, Anaxila verò Rheginenſium Tyranno venia donato, ac pace cum
ipſo facta, Syracuſas reuertitur: eò confluunt vndique Siculorum Lega-
ti, eorum potiſsimùm qui Carthaginienſium partes fouerant, veniam
detrectati ipſius imperij, motique in eum belli orantes; quibus cùm faci-
lè ignouiſſet, mox & Carthaginienſium legatio aduenit; quos quum hu- D
maniſsimè accepiſſet, pacem ſuppliciter petentibus, ijs conditionibus
dedit; vt abſtinerent deinceps Saturno liberos impuberes immolare;
duo argenti talentorum millia penderent in ſumptus eo bello ab ipſo
factos, naues inſuper duas inſtructas mitterent in pacis compoſitæ teſti-
monium. Carthaginienſes pace præter ſpem tam facilè impetrata, con-
ditiones alacriter ſuſcipiunt: centũ inſuper auri talenta, Damaratæ Ge-
lonis vxori, quæ potiſsimùm illis eam pacem confecerat, vltrò muneri
offerunt: vnde non multò poſt nummus procuſus, qui Damaratæus ap-
pellatus eſt: hunc Siculi Pentecontalitron hoc eſt quinquaginta librarũ
dixerunt.

A dixerunt. Ad hunc modum pace vbique firmata, Gelo Syracusanorũ in se animos expleri volens, sine satellitio ac inermis in concioné prodit: vbi postquam vitam suam beneficiaque in Syracusanos ac Siculos accurata oratione recensuisset, ab vniuersa concione Liberator Patriæ & Syracusanorum Siculorumque rex consalutatur. Ceterùm Gelone nomen regium vt nimis inuidiosum renuente, vel hoc ipso vehementius in ipsius fauorem pertracti ciues, statuam Geloni eò, quo in concioné prodierat habitu, in templo Iunonis Syracusis posuerunt: adiecta inscriptione, qua factum eius tam egregium posteritati proderetur. Hinc Gelo ad pietatis ac religionis curam conuersus, templa Cereris & Proserpi-

B næ è manubijs construxit: Tripodem quoque aureum sexdecim talentorum artificio insignem Appollini Delphos donum misit: Ioui quoque Olympio loricas linteas tres, precio atque arte spectatissimas; tum & Iouis signum admirabili magnitudine conspicuũ dono Elidem misit. Ad hæc & in Enna templum Cereri exædificare cœperat, sed id morte præpeditus, imperfectum reliquit. Syracusanos autem ne desidia marcescerent ad siluas cædẽdas, tum & ad agros colendos tamquam in expeditionem educere solebat: atque hac potissimùm ratione agros priùs steriles fertiles reddidit. Septem iam annos summæ rerum præfuerat, quum morbo correptus mortem instare sentiens, Hieroni fratri natu maiori

C (quod herede filio careret) regnum consensu populi tradidit: acerrimoq; edicto cauit vt leges de funerum impensis latæ in se inuiolatæ seruarentur. Postquam autem diem clausisset extremum, luctu maximo ab omnibus tam publicè quã priuatim haud secus ac pater deploratus, in vxoris agro (cui a nouem turribus nomen erat) conditus est: quo loco populus Syracusanus, in ipsius honorem, insigne Mausolæum extrui curauit: quod postea Carthaginienses quum Syracusas obsiderent, euerterunt. Agathocles quoque inuidia ductus, ipsas etiam turres quæ sepulchrum cingebant, solo æquauit. Ceterùm neque hic priuata inuidia, neque illi publico odio efficere vnquam potuére: quin Gelonis nomen

D apud Siculos Syracusanosque æternis monumentis consecratum, per omnem posteritatem celebraretur.

GELO LIBERATOR PATRIAE ET REX SALVTATVS.

STATVA GELONI POSITA.

GELO HIERONEM FRATREM SVCCESSOREM DESIGNAT.

IEPΩNOΣ.

HIERO DINOMENIS F. SYRACVSANORVM REX. II.

MOrtuo post annos septem in regno exactos Gelone, Hiero fratrum post illum natu maximus imperiũ excepit: qui plurimùm a fratris humanitate degenerans, crudelitate & auaritia insitis a natura vitijs

HIERO GELONI FRATRI SVCCEDIT.

ſuos afflixit: hinc ſe haud immeritò omnibus inuiſum ſuſpicatus, quũ A
Polyzelum fratrem, qui Damaratam Theronis Agrigentinorum Tyranni filiam, Gelonis viduam in vxorem duxerat, maximo ab omnibus amore & ſtudio coli videret; veritus ne ab illo ſubnixo fauore ciuiũ, regno aliquando priuaretur, prætextu auxilij Sybaritis ferẽdi, qui a Crotoniatis graui obſidione premebantur. Polyzelum in Italiam cũ exercitu mittit; ſperans illum ab hoſtibus occiſum iri. Sed poſtquam hoſtibus a Polyzelo profligatis, cõtra ac Hiero ſperauerat euenisſet; nec aliud haberet, quò ſalutem fratris iuſtè impeteret, varias exinde inſidias eidem moliri non deſtitit. Eo intellecto Theron Polyzeli ſocer, indignatus ad bellum Hieroni inferendum ſe comparat; quod tamẽ intercedente Si- B
monide Poëta, ac deſponſa Hieroni Theronis ſorore ſopitum eſt. Alij aliter tradunt; nempe Polyzelum, quum ſe non tam ad auxilium Sybaritis ferendum, quàm vt ab hoſtibus interficeretur mitti ſuſpicaretur; expeditionem recuſaſſe: quumque Hieronem ob eam tergiuerſationem grauiter indignatum videret; peiora veritum ad Theronem Agrigentinorum Tyrannum confugiſſe: Hieronem intellecta fratris ad Theronem fuga, ſe ad illum inſequendum, ſimul ad bellum Theroni inferendũ accinxiſſe: Himeræos audita fratrum diſſentione, quum Thraſydæi Theronis filij Tyrannide premerentur; nec tamen illum apud patrem accuſare auderent; ad Hieronem Theronis inimicum confugiſſe; imperium C
vrbis, ſimul belli aduerſum Theronem ſocietatem offerentes, ſi ſe Thraſydæi Tyrannide liberare, & vrbem in ſuam tutelã recipere vellet. Hieronem accepta occaſione, ſperantem hoc modo ſe priſtinam Theronis beneuolentiam recuperaturum, Himeræorum conſilia ipſi prodidiſſe: Theronem intellecta rei veritate primùm ſe ac Polyzelum fratrem Hieroni reconciliaſſe; deinde in defectores crudeliter animaduertiſſe. Defunctus ad hunc modum bello Hieron, quum in morbum grauiſsimũ incidiſſet, ocium a rebus gerendis, quod aduerſa corporis valetudo concedebat, in audiendis doctiſsimorum virorum ſententijs impendit: hinc iam firmior factus, quum aſsiduam vti prius in audiẽdo Pindaro, Simo- D
nide & Bacchylide grauiſsimis Poëtis operam daret, breui illorum conſuetudine alius efficitur: ita vt quos prius auaritia & crudelitate afflixerat, eoſdem humanitate & munificentia ſibi conciliare ſtuderet; ac cum fratribus ſumma deinceps concordia vixerit: Quum itaque in ſumma iã tranquillitate regnaret, animum ad conſtituendam ornandamque Siciliam adijciens, Naxiôs & Catanæos, quòd illis minus fideret, in Leontinos tranſcripſit. In Catanam autem quinque Peloponenſium & totidẽ Syracuſanorum millia colonos deduxit: vrbique Doricas Leges quæ erant præſtantiſsimæ, dedit: eandemque mutato nomine AEtnam appellauit:

COLONIAE AB HIERONE DEDVCTAE.

CATANA AETNA APPELLATA.

A pellauit: cuius non Tyrannus, ſed conditor celebrari, ſeq́ue deinceps AEtnem ciuem appellari voluit. A Cumanis deinde qui graui ab Etruſcis bello vexabantur, in auxilium ſollicitatus, claſſem illis ſubſidio mittit: quo auctus Cumanus prius hoſti impar, manum conſerere auſus, Etruſcis inſigni clade affectis, ſuperior euaſit: liberatiſq́; ad eum modum Cumanis, claſsis Syracuſana non ſine magna Hieronis gloria domum reuertitur. Conſequutus hanc expeditionem Theronis Agrigentinorum Tyranni obitus, res in Sicilia tranquillas turbauit. Thraſydæus namque Theronis filius patri in Tyrannide ſuccedens, ſæuitiam & libidinem, qua viuo etiã patre occultè flagrauerat, iam veluti frenis remo-
B tis liberè in omnes exercens, breuì ſe omnibus inuiſum exoſumq́; reddidit; adeò vt quum nemini fideret, inter omnes veluti hoſtes circumſpectans & anxius verſaretur. Itaque ſiue inſtigantibus eum furijs, ſeu deſperatione amentiaque impulſus, bellum Hieroni mouet; & quũ domeſtico odio vix par eſſet, etiam foris hoſtem in ſe concitat.

HIERONIS CVM THRASYDAEO AGRIGENTINO BELLVM.

Hiero intellecto Thraſydæi in ſe apparatu, viginti namque tam Himeræorum quàm Agrigentinorum millia in armis habebat, coacto vndique è regno ſuo haud impari exercitu, Thraſydæo occurrit. Præliũ itaque inter hoſtes vti viribus, ita & virtute pares cõmittitur, Græcus vtrinque miles, Græcaque ars æquabat pugnam: quum tandem victus Syra-
C cuſanorum pertinacia Agrigẽtinus terga vertit; deſideratis ſuorũ quattuor millibus, victores ad duo millia amiſêre. Thraſydæus deſperatis rebus, Tyrannide ſponte deſerta ad Megarenſes confugit: vbi tandem præ animi dolore mortem ipſe ſibi conſciuit. Agrigentini hoc modo Tyrannide liberati, ſub populari deinceps ſtatu rempublicã adminiſtrauerunt; miſsisque ad Hieronem Legatis, pacem impetrarunt.

Sunt qui tanta nominis exiſtimatione Hieronem floruiſſe referant; vt Anaxilaum Rheginenſium Tyrannum, ad perdendos delendosque Locros Zephyrios incitatum, ſola interminatione cohibuerit. Poſthæc, incertum qua de cauſa, infeſtiſsimum ſuorum odium Hiero incurrit:
D hinc clandeſtinam in ſe conſpirationem veritus, certos homines occultè inſtituit ſibi fidiſsimos, qui ſi quos alicubi è Syracuſanis congregatos viderent, illorum ſe cætibus & circulis immiſcentes eorundem ſermones & conſilia, ad ſe referrent: metumque ciuibus hoc modo tantum incuſſit, vt non ſolùm noui aliquid moliri, ſed nec verbis animi ſui ſententiã proferre auſi nutibus geſtibusque quid vellent ſibi inuicem ſignificarẽt. Quin etiam quoſdam ex amicis quos ſuſpectos habebat, publicè in foro interfici iuſsit. Haud multo autẽ ante obitum ſuũ tempore, Anaxilai Rheginenſium Tyranni liberos ad ſe accerſiri iuſsit: commemoratisque tam Gelonis fratris, quàm ſuis tum in Anaxilaum patrem, tum in

illos beneficijs; adoleſcentes admonuit, vt a Mychito tutore rationem regni adminiſtrati expoſcentes, imperiũ ſi capeſſerent. domũ itaq; reuerſi vti moniti erant, rationem a tutore exigunt. quam poſtquam Mychitus ea fide & integritate reddidiſſet, vt omnes circumſtantes admiratio caperet: traditoque regno, Tegeam Arcadiæ ſponte ſeceſsiſſet; adoleſcentes regni adminiſtrationem capeſcentes, quum libidine & crudelitate ciues vexarent, Meſſana ac Rhegio per conſpirationem pelluntur. A

HIERONIS IN OLYMPICIS VICTORIAE.

Hiero palmas Olympicas plures adeptus eſt: ſemel enim quadrigis, bis celete vicit: & poſt alteram victoriam celete partam Syracuſas regreſſus, inde Catanam (quam vti diximus AEtnam appellari iuſſerat) petijt: vbi ægritudine correptus, poſtquam vndecim annos & menſes octo regnaſſet, vitam morte commutauit; voto prius Ioui ob victorias Olympicas facto ac Thraſybulo fratre, quamuis filium Dinomenem haberet, ſucceſſore deſignato ab AEtnæis omnibus tum diuinis, tum humanis honoribus, non aliter ac vrbis conditor affectus ſepulchro inſuper inſigni ipſi publicè exſtructo, honoratus eſt. Id poſtea Catanæi qui ab Hierone in Leontinos tranſcripti fuerant, a Syracuſanis in patriam reducti diſiecerunt, abolitoque AEtnæ nomine priſtinum Catanæ nomen vrbi reſtituerunt. Mortuo patre Dinomenes filius, quæ ille Ioui Olympio vouerat, eius nomine dedicauit inſcripto hoc Epigrammate. B C

Iupiter Eleo redijt qui à puluere Victor
Quadrigaque ſemel, iniuge bis & equo
Vouerat hæc Hieron: natus monimenta parentis
Dinomenes poſuit clara Syracuſij.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ.

DIONYSIVS HERMOCRATIS F. SYRACVSANORVM TYRANNVS.

SYRACVSANI per annos fermè ſexaginta a Thraſybuli eiectione libertate potiti, dum ea impotenter nimis abutuntur; ac pro libidine quiſque ſua in republica dominantes; contempto præfectorum imperio, ijſdemque in ſumma licentia inſultantes optimum quemque ciuium Petaliſmo expellunt, libertatem ſuam breui ſuis ipſi manibus euerterunt, ac tandem in Dionyſij Tyrannidem reciderunt. Hic Dionyſius patre Hermocrate, auo Hermone honeſtis ciuibus Syracuſanis ortus fuerat: etſi ſint qui plebeis parentibus natum prodant. Varia huius Tyrannidem præſagia præceſſerunt: inter cetera mater ipſius prægnans Satyriſcum ſibi inter quietem peperiſſe viſa eſt. conſultique de ſomnio aruſpices D

DIONYSII TYRANNI NATALES.

A aruſpices reſponderunt, filium eam pariturам, qui inter Græcos potentiſsimus & clariſsimus futurus eſſet. Mulier quoque Syracuſana Himera nomine, clariſsimis orta natalibus, ante Tyrannidem ab illo occupatam, in ſomnis viſa ſibi cælum conſcendere, & ducem ſibi datum, cum quo cæli regiones peruagaretur, ab quo ad Iouem introducta, ſub pedibus eius iuuenem flaui coloris cathenis vinctum ferreis vidiſſe, ducemque ſuum. Quiſnam is eſſet? percuntata, reſponſum accepiſſe; dirum Siciliæ atque Italiæ fatum eſſe, & vinculis aliquando ſolutum, multis vrbibus exitio futurum. Elapſo inde aliquot annorū ſpatio, quum Dionyſius iam Tyrannide potitus Syracuſas ingrederetur; ac
B ciues honoris cauſſa obuiam illi prodirent, Himera Dionyſium intuita ſubitò exclamauit; illum eundem eſſe iuuenem cuius ſpecies ſibi inter quietem oſtenſa eſſet. Dionyſius re intellecta, mulierem interfici iuſsit. Hoc quoque oſtenti loco, ac pro fauſto omine ab Dionyſio acceptum auctores produnt; Quod equus ipſius quem cæno immerſum reliquerat, exiliens, inhærente iubæ ipſius apum examine, domini ſui veſtigia ſequutus eſſet: atque hoc ipſo confirmatum, maiori ad inuadendam Tyrannidem animo proceſsiſſe. Quibus autem artibus Præturam primò, inde Tyrannidem occupauerit, paullò altiùs repetemus. Quum Carthaginienſes Agrigento iam potiti eſſent, (vti in deſcriptione Syracuſarum
C retulimus,) duces qui ei bello præfuerant, magna apud Populum inuidia laborabant; tamquam illorum perfidia res ſociorum proditæ eſſent. Id Dionyſius animaduertens, ſimul occaſionem arripiens, duces apud concionem proditionis accuſat, quam ob accuſationem, ſicuti ſummum apud principes ciuitatis odium incurrit; ita plebs viciſsim tanquam ſui ſtudioſum haud mediocri fauore proſequuta eſt: hinc cum alijs aliquot Prætor creatus, Gelam cum exercitu mittitur; populum Gelēſem cum optimatibus diſsidentem pacaturus: vbi optimatibus aliquot ſupplicio affectis, & fortunis eorum in publicum redactis, plebem ſibi plurimùm deuinxit. Hinc plebeiorum opera & ſtudio, ſimul & militum, quos do-
D nis & ſpe maioris in poſterum liberalitatis ſibi conciliauerat commendationibus, effectum eſt, vt Syracuſani eum vnicum Imperatorem cōtra hoſtes crearent. Imperium adeptus, edixit vt quiſquis Syracuſanorum arma ferre poſſet, ſecum ad Leontinos properarent. Tenebatur ea vrbs Syracuſanorum præſidio; confertaque erat colluuie mortaliū vndique eò confugientium: quam multitudinem ipſe ſe facilè in partes ſuas allecturum ſperabat. Vbi igitur iam ad Leontinos peruentum, & caſtra ſub vrbe communita eſſent; noctù quàm poteſt tumultuoſiſsimè ad arma conclamat; inſidiari ſibi inimicos ſimulans. deinde quaſi nec in caſtris ſe ſatis tutum crederet, raptim in arcem Leontinorum confugit:

DIONYSIVS PRAETOR A SYRACVSANIS CREATVS.

DIONYSIVS IMPERATOR ET DVX BELLI CREATVS.

ibiq́ue orta iam luce, præfectos & præcipuos quoſque è militibus ad ſe A
vocat, poſtea conuocata & Leontinorũ multitudine, obteſtari cœpit, vt
ſexcentorũ militum ſatellitiũ, ſibi ad corporis cuſtodiam concederetur,
quod poſtquã conceſſum fuiſſet, quotquot obæratos, aut ſcelere aliquo
pollutos nouerat, ad ſe vocat: coactaq́; ad mille capita iſtiuſmodi homi-
nũ manu, eandem armis inſtruit. Mox aduocata & mercenariorũ con-
cione, humaniter illos allocutus, illorum quoque fauorem ſibi concili-
at. Ordines inde militares pro ſuo arbitrio mutare aggreſſus, quorum
fidem ſuſpectam habebat, ordine mouet; in illorum locum ſubſtitutis
quos ſibi fidiſsimos norat. Dexippi etiam Lacedæmonij virtutem ac
fortitudinem, ſuſpectam habens, veritusq́; ne eo auctore Syracuſani ali- B
quando contra ſe rebellarent, eundem in patriam remittit. Rebus itaq;
ſuis ad hunc modum cõſtitutis comparatisq́ue, mercenariorum qui Ge-
lam præſidio tenebant, quos in partes ſuas traduxerat, ſimul exſulum fa-
cinoſorumq́ue agmine ſtipatus, Syracuſas profectus, annos tum natus
DIONYSIVS TYRANNIDEM OCCVPAT vigintiquinque Tyrannidem occupat: anno tertio Olympiadis nona-
geſimæ tertiæ, Vrbis verò Romæ conditæ. CCCXLVII. Tyrannide poti-
tus, quorum opera ad eam occupandam adiutus fuerat, præmijs afficit:
quos autem incrementis ſuis obſtitiſſe compertum habebat, aut interfi-
cit aut in exſilium pellit. Philiſtum autem qui poſtea hiſtoriam eius tẽ-
poris ſcripſit, cuius fidem & operam in adipiſcenda Tyrannide ſenſerat, C
primùm arci præfecerat: ſed eundem poſtea quòd cum matre ipſius con-
ſueuiſſe rumor eſſet, exſilio multauit. Poſthæc, quò Tyrannidem ſuam
magis ſtabiliret; Hermocratis, eius qui Syracuſanorum contra Athenien-
ſes dux fuerat, filiam in vxorem ducit. Teſcham autem ſororem ſuam
Polixeno Hemocratis fratri in matrimonium dat: firmataq́ue ita domi-
natione, expeditionem in Carthaginienſes, qui tum Gelam obſidebãt,
edicit; verùm tentato infeliciter apud Gelam cum Carthaginienſibus
prælio; in tantam conſternationem adductus eſt: vt Gelenſes ſtatim vr-
bem deſerere, ac Syracuſas commigrare iuberet; Gelamq́ue Carthagini
enſibus diripiendam relinqueret. Inde Camarinam profectus, Camari- D
næos quoque idem facere compulit. Id equites Syracuſani qui in eius
exercitu erant conſpicati, indignatiq́ue victoriam & duarum inſignium
Siciliæ vrbium occupationem tam facilè hoſti conceſſam, occaſionem
ex inde qua patriam liberare, & Tyrannum de medio tollere poſſent ob-
ſeruabant: Sed poſtquam ſtipantibus arctiſsimè Dionyſium mercena-
rijs, ſe nihil efficere poſſe vident, Syracuſas profecti, cuſtodes domus Ty-
rannicæ ex improuiſo occupantes, eoſdẽ obtruncant: mox domũ ipſam
omnium precioſarum rerum copia confertam inuadentes diripiunt:
vxorem autem Tyranni omni contumeliarum genere vexãtes, effecêre,
vt ipſa

A vt ipſa ſibi præ dolore manus inferret. Dionyſius intellecto equitum diſceſsu, id quod acciderat futurum ſuſpicatus, delectis è toto exercitu quos ſibi fidiſsimos ſciebat, quàm potuit celerrimè Syracuſas properat, portaque incenſa primo diluculo inſcijs aduerſarijs vrbem intrat. Equites vbi Dionyſium Syracuſas intraſſe intellexêre, conatus atque impetũ ipſius repreſſuri occurrunt; ſed equitibus mercenariorum qui cum illo erant multitudine oppreſsis, Dionyſius totam peruagatus vrbẽ, quoſcumque ſparſim equitibus auxilium ferre videt, ferro cædit. Indè illorũ quos ſibi infenſiſsimos norat domos & fortunas inuadens, interficit deprehenſos, aut vrbe pellit. Recuperata hoc modo Tyrannide,

EQVITES SYRACVSANI IN DIONYSIVM INSVRGVNT.

B pacem cum Carthaginienſibus his condicionibus facit; vt priſci Carthaginienſium coloni & Sicani, ſub Carthaginiẽſium ditione manerẽt: Selinontijs, Agrigentinis, & Himeræis vrbes ſuas incolere liceret; modò nullis mœnibus munirentur, & Carthaginenſium vectigales eſſent. Sub ijſdem conditionibus Gelenſes & Camarinæi, compræhenſi ſunt. Leontinis autem Meſſanenſibus, & cæteris Siculis, vt ſuis legibus inſtitutiſq; viuerent, permiſſum eſt: Syracuſani verò Dionyſij imperio regerentur. Pace in has conditiones facta, Carthaginienſes domũ diſcedunt, maxima copiarum parte peſte amiſſa. Dionyſius autem pace domi foriſque parta, in locum vxoris amiſſæ, duas alias duxit, ex Locris vnam cui Do-

PAX CVM CARTHAGINIENSIBVS.

C ridi nomen erat; alteram Hipparini filiã, Dionis ſororem nomine Ariſtomachem. Ex Doride filios tres ſuſtulit; quorũ natu maximus Dionyſius patri in imperio ſucceſsit; ex Ariſtomache filios duos Nyſæum & Hipparinum, & filias totidem Aretam & Sophroſinẽ procreauit: è quibus Sophroſinem Dionyſio filio; Aretam autẽ primùm Thæaridi fratri, deinde eo mortuo Dioni in matrimonium dedit.

DIONYSII CONIVGIA ET LIBERI.

Cumque firmata, vti iam diximus, cum Carthaginienſibus pace, & aduerſarijs domi oppreſsis, nihil ſibi Dionyſius amplius timendum putaret, exercitum in Siculos educit, nulla quidem ab illis iniuria laceſsitus, ſed ſola dominandi libidine impulſus. Ea in expeditione dum Her-

D beſſum vrbem obſidet, Syracuſani qui in ipſius exercitu erant, rurſus inſurgunt; præfectiſq; qui ſeditionem comprimere ſtudebant interfectis, ſeſe inuicem ad libertatem recuperandam cohortati, equites qui ex ſuperiore clade elapſi, AEtnam confugerãt, in ſocietatem aſſumunt: & Dionyſium deſerto exercitu Syracuſas confugientem, poſtquam per tẽpus aliquod in Inſula arctiſsimè obſidiſſent; eo deſperationis adegerunt, vt an Tyrannidem relinqueret, & ad Carthaginienſes confugeret, diu incertus fuerit: ſed amicorum hortationibus cõfirmatus qui nullum Tyrannide præclarius ſepulchrum eſſe inculcabant, eandem quoad vita ſupereſſet retinere conſtituit. Tandem poſtquam Campanorum equitum auxilia

SYRACVSANI IN DIONYSIVM INSVRGVNT.

auxilia quæ præmiorum ſpe ad ſe exciuerat, cæſis qui obſtabant Syracuſanis, ad ipſum in Inſulam peruaſiſſent; in nouã ſpem erectus, eruptione facta, Syracuſanos qui ipſum hactenus obſederant, prælio victos in fugam vertit. Ceterùm ea victoria clementer vſus, neminem fugientium interfici paſſus eſt. Ita recuperata iam ſecundò Tyrannide, animũ rurſus ad ampliandum imperium adiecit. Primùm itaque exercitu contra AEtnam ducto Caſtellum quo exſules Syracuſani confugerant, in deditionem recepit: dumque apud AEtnenſes moratur, Limneſtum eius vrbis ciuem Tyrannidem patriæ inuadere hortatur: qui cõſilium Dionyſij ſequutus, principatum quidem apud ſuos occupauit; ceterũ Dionyſium deinceps ab ingreſſu vrbis prohibuit: hinc indignatus Tyrannus Limneſtum AEtnenſium auxilio interfecit; vrbem verò populari ſtatu gubernandam reliquit. Ducto deinde contra Catanam exercitu oppidoque per proditionem potitus, ciues ſub corona vendidit. Similiter & Naxo, prodente vrbem Procle Prætore in poteſtatem redacta, Naxios quoq; pari modo diuendidit. Leontinos inde obſidere aggreſſus, metuentes ne & ipſi eadem quæ Naxij & Catanenſes paterentur, terrore ad deditionem compulit; ac in fidem receptos patria relicta Syracuſas tranſmigrare coëgit, agrumq; eorum militibus ſuis diuiſit. Rebus autem ad hunc modum proſperè fluentibus, bellum Carthaginienſibus inferre ſtatuit: ſed quòd adhuc imparatus eſſet; rem ad tempus aliquod diſſimulauit; totumq; ſe ad eius belli apparatum conferens, vrbem quoque Syracuſanam qua parte munimẽtis carebat, muro & turribus communiuit. Hac incogitatione verſantem, rebusque ad bellum neceſſarijs comparandis intentum, Rhegini bello adorti ſunt; nam quum Dionyſium vicinas trans fretum vrbes in ſeruitutem redigiſſe viderent; verebantur, ne viribus auctus ipſorum quoque libertatem euerteret. Adiunctis itaque ſibi Syracuſanorum exſulibus, in Siciliam traijciunt: appulſique Meſſanam, ducibus Meſſanenſium perſuadent, vt ſocietatem ſecum contra Tyrãnum ineant: quos poſtquam haud difficulter in partes ſuas pertraxiſſent; eorum auxilijs aucti Syracuſas verſus proficiſcũtur: ſed quum orta in itinere inter milites ſeditione, Meſſanenſes domum reuerterentur; Rhegini a ſocijs deſerti, quòd bello per ſe gerendo impares eſſent, & ipſi dimiſſo milite domum redeunt. Dionyſius qui ad hoſtes excipiendos, iam ſuos in armis habebat, vbi illos domum digreſſos cognouit; dilata in aliud tempus vltione, Syracuſas repetit. Vbi mox Rhegi orum & Meſſanenſium Legati affuerũt, pacem ab illo veniamque moti in illum belli orantes: qua facilè conceſſa, quòd ſibi aduerſus Carthaginienſes bellaturo amicos illos quam inimicos mallet; rurſus ad bellum Carthaginienſibus inferendum ſe comparat:

AETNA RECEPTA.

CATANA, NAXVS ET LEONTINI IN POTESTATEM REDACTI.

A parat: conuocatisque vndique magna mercede opificibus artificibusq;, naues ducentas breui ædificauit, vetuſtas centum & decem refecit: armis quoque fabricandis incumbens, centum & triginta clypeorum & quatuor thoracum millia, telorum quoque innumerabilem prope multitudinem confecit. Quumque ſe iam omnibus rebus inſtructum videret, miſſo Carthaginem caduceatore, bellum indicit. Ad eam belli famam, omnes penè Græcorum in Sicilia vrbes ad Dionyſium defecerunt: quorum auctus auxilijs, iam ad octoginta peditum, & tria equitum millia ſub ſignis habebat. Cum his igitur copijs Motyam Phænicum coloniã terra mariq; adortus, Himilconem Pœnorum ducem auxilium obſeſ-
B ſis ferentem repulit: & oppidanos ſociorum auxilio deſtitutos, quamuis fortiſsimè reſiſtentes, non ſine magna, tamen ſuorum iactura expugnat. Siculis autem in Pœnos ob præteritarum cladium memoriam atrociſsimè ſæuientibus, Motyenſes pénè omnes conciſi ſunt; exceptis ijs qui in templa confugerant: quos Dionyſius vita donatos ſub corona vendidit. Interim dum Dionyſius Motyam expugnat, AEgeſtani, Dionyſianorum qui ipſos obſidebãt caſtra incendunt; quo incendio maxima militum pars perijt: reliqui ſemiuſtulati vix euaſerunt. Dionyſius tamen nihil ea clade ſegnior redditus, Carthaginienſium ditionem cum exercitu peruagatus, Alycenſes metu ad ſocietatem ſecum ineundam cõ-
C pulit. Carthaginienſes interea intellecto rerum Sicularum ſtatu, Himilconem Imperatorem cum regia poteſtate creant: militem ex Libya, Hiſpania & Italia mercenarium conducunt: auxilia quoque a ſocijs acceraſſunt: quibus vndiq; Carthaginem conuenientibus, peditum trecenta, equitum verò quatuor millia breui coëgerunt. Himilco poſtquam omnes copiæ conueniſſent, dato cuique nauium præfecto libello, quo cunctos Panormum petere iubebat; ipſe eodem cum tota triremium claſſe breui incolumis peruectus eſt. Leptines Dionyſij frater claſsis præfectus onerarias Carthaginienſium in alto adortus, quinquaginta ex ijs vnà cũ quinque militum millibus & curribus ducentis, depreſsit; reliquis fuga
D ſibi conſulentibus. Ceterùm Himilco Panormum appulſus, expoſitis in terram copijs, Motyam aggreſſus recipit. Dionyſius autẽ qui per id tempus AEgeſtam iterum obſidebat, intellecto Carthaginienſiũ aduentu ſimul & Motyæ expugnatione territus, Syracuſas repetere ſtatuit; Siculis vndique ex vrbibus ſuis eodem commigrare iuſsis; agriſque illorum paſsim quà ipſi iter erat deuaſtatis. Hac tam ſubita Dionyſij deſperatione factum eſt, vt plurimi ſociorum ab illo ad Carthaginienſes deficerent. Himilco verò rebus ad votum ſuccedentibus, Meſſanam petit; captaque ex itinere Lypara vrbe & inſula, Meſſanam magna vi adortus expugnat: recreatisque ibi militibus, vrbem funditùs delet, Siculi au-

BELLVM DIONYSII CVM CARTHAGINIENSIBVS.

MOTYA CAPTA.

MOTYA AB HIMILCONE RECEPTA.

LYPARA ET MESSANA CAPTA.

dita Meſſanenſium calamitate, omnes exceptis Aſſarinis, certatim ad A
Carthaginienſes deficiũt. Dionyſius tot ſimul cladibus attonitus, caſtella quæ in Leontinorum agro erant communiuit: Campanos qui Catanæ habitabant, AEtnam commigrare iubet, rebusque pro præſenti neceſsitate compoſitis, cum triginta peditum & quattuor equitũ millibus profectus, caſtra ſub Tauro colle locat. Occupauerant eum locum Siculi a Dionyſio patria pulſi, Pœnorum fauore freti, & in vrbis formam communierant. Hîc dum Dionyſius moratur, nuncius affertur, diuiſas Carthaginienſium copias; partem duce Himilcone terreſtri itinere Catanam petere; partem duce Magone mari eò prouehi. Sperans itaq; nauales copias ſe facilè oppreſſurum, Leptinem fratrem cum vniuerſa B
claſſe Magoni occurrere iubet. ſed Leptines a Pœnis prælio victus, maxima clade afficitur, amiſsis ad centum nauibus & viginti millibus militũ. Quo intellecto, Dionyſius perculſus, ſimul veritus ne vrbem præſidio vacuam hoſtis cũ victrice claſſe occuparet, Syracuſas proficiſcitur. Inde miſsis in Græciam & Italiam Legatis, auxilium contra Carthaginienſes petit. Himilco autem poſtquam Dionyſium Syracuſas ſe recepiſſe cognouit; ipſe viciſsim omnes tum pedeſtres tum nauales copias ad vrbem Syracuſanorum ducit; & occupatis Acradinæ ſuburbijs, tentorium ſibi in ipſo Iouis Olympij templo figit, reliquis quæ in ſuburbijs erant tẽplis, deſpoliatis. Inde agros Syracuſanos peruagatus, omnia latè incendio & C
vaſtitate complet. Polixenus interim qui Dionyſij ſororem in matrimonio habebat, triginta naues a ſocijs in auxilium miſſas adduxit; quibus Pharacides Lacedæmonius præerat. Dionyſius receptis auxilijs, poſtquam cum omnibus quas habebat longis nauibus ad commeatus in vrbem conuehendos enauigaſſet, Syracuſani per eius abſentiam de tuenda vrbe ſolliciti, ſimul in omnem occaſionem intenti, conſpecta fortè naui frumentaria Carthaginienſium, eductis ſubitò quas habebant nauibus, impetum in eam faciunt, & è quadraginta Pœnorum triremibus quæ auxilio veniebant, depreſsis quattuor, & captis viginti, profligant. Qua victoria exſultantes de libertate cogitare cœperunt; idque D
Theodori cuiuſdam ciuis Syracuſani hortatu; qui indignum eſſe dicti tans, populum victorem Tyranno toties victo parere; Syracuſanos ad libertatem recuperandam concitabat. ſed obſtitére mercenarij, vtpote ſpe præmiorum Dionyſio addicti; ſimul & Pharacides Lacedæmonius, quò minus res effectũ ſortiretur: atque ita Syracuſani voto & exſpectatione fruſtrati ſunt. Carthaginienſium interea qui vrbem obſidebant caſtra, graui peſtilentia infeſtari cœpta: qua occaſione vſus Dionyſius, Carthaginienſes terra marique inuadens eò deſperationis adegit; vt Himilco Carthaginienſium dux noctu cum paucis Carthaginem au-

fugeret;

A fugeret; vbi præ dolore animi mortem ſibi poſtea manu propria conſciuit. Exercitus autem Pœnorum duce deſtitutus partim in Syracuſanorum & Dionyſij poteſtatem deuenit, partim fuga per Siciliam alij aliò dilapſi ſunt. Dionyſius pulſis Sicilia Carthaginiẽſibus, Meſſanam quæ ab illis deleta fuerat, inſtaurat. Inde Tauromenium, quod Siculi munierant aggreſſus, fortiter ab oppidanis repulſus, maxima militum parte amiſſa, vix ipſe viuus euaſit. Mago interim Pœnorum in Sicilia dux ſocios comiter tractabat; tum eos quos Dionyſius diuexabat in tutelam ſuam ſuſcipiebat: hinc conciliatis ſibi omnium animis, breuì vires in tantum auxit, vt exercitum non contemnendum iam ſub ſignis

B haberet. Ducto itaque primùm in Meſſanenſes exercitu, agros eorum deuaſtauit: partaq́ non mediocri præda, Abacænos quoque Dionyſij ſocios obſidere aggreditur: quo cognito, Dionyſius ad opem ſocijs ferendam excitus, cum exercitu in Carthaginienſes profectus, occiſis Pœnorum octingentis Magonem prælio ſuperauit. Inde reuerſus recreatisq́ue militibus, contra Rheginos cum centum triremium claſſe ſoluit: & noctu Rhegium ex improuiſo adortus, incenſis portis etiam ſcalas muris admouit: Rheginis tamen fortiter propugnantibus, Dionyſius irrito incepto deſiſtere coactus eſt. Hæc eum tum conantem perlatus de ingenti Carthaginienſium apparatu nuncius in Siciliam reuocauit.

C Carthaginienſes enim reparatis viribus, iam ad Octoginta millia militũ collegerãt: eumq́ue exercitum duce Magone, in Siciliam miſerant. Sed antequam res ad prælium deueniret, pax inter eos his conditionibus cõuenit. vt quos quiſque ſubegerat, hos ſub ſua ditione teneret: neutri alteros laceſſerent: Dionyſio ſaluis pacis legibus Tauromenium occupare liceret. Pace compoſita, Dionyſius Tauromenium rurſus magna vi aggreſſus: oppido poſt diuturnam oppugnationem potitus, Siculos qui ibi ſedes fixerant, eiecit: & coloniam ex mercenarijs ſuis eò deduxit. Deinde ne milites deſidia torpeſcerent, coactis ad viginti peditum & tribus equitum millibus, in Italiam traiecit; Græcos, qui ibi iam olim conſe-

D derant ſubacturus. Græci intellecta Dionyſij traiectione & cõcilio, Crotonem, quò commune gentis concilium indixerant, omnes conueniũt: conſtituroq́ue hoſtem communibus viribus propulſare, copias vndiq; quàm poſſunt maximas cogũt: his Elorim Syracuſanum exſulem præficiunt: & aduerſus Dionyſium qui tum Cauloniam obſidebat, proficiſci iubent. Dionyſius cognito Græcorum aduentu, relicta Cauloniæ obſidione, quamprimùm ſuo cum exercitu occurrit: ac poſtero quàm diſceſſerat die, primo diluculo in Græcos incompoſito agmine iter facientes ipſe improuiſus inſtructa acie irruit: occiſiſq́; vnà cum duce fortiſsimis quibuſque ex ipſis, reliquos in tumulum quendam refugientes

CARTHAGINIENSES SICILIA PVLSI.

MESSANA INSTAVRATA.

PAX INTER DIONYSIVM ET MAGONEM.

DIONYSII CONTRA GRAECOS IN ITALIA RES GESTAE.

obſedit: vbi cum aquis deſtituerentur, tandem ſiti ad deditionem coactos, præter omnium ſpem clementiſsimè habuit, & liberos ſine vllo redemtionis pretio dimiſit. Victoria tam illuſtri potitus, in Rheginos (quos implacabili ob negatas ſibi nuptias odio proſequebatur) exercitũ ducit, illiq́ue, quod ſocijs deſtituti bello per ſe ſuſtinẽdo impares eſſent, coacti pacem cum Dionyſio iniquiſsimis condicionibus fecêre: traditis videlicet ſexaginta triremibus & trecentis talentis, & inſuper loco obſidum centum ex ciuium nobiliſsimis. Dionyſius inde ad Cauloniæ obſidionem reuerſus, vrbe tandem per vim potitus, eam euertit, agrumq́; Cauloniatem Locrenſibus donauit. Sed quia conceptum ſemel in Rheginos odium deponere non poterat, nouam rurſus contra illos belli occaſionem quærebat. Quotieſcunque enim in Italiam traijceret (quod ex compoſito & de induſtria citra neceſsitatem vel aliam occaſionẽ ſæpius faciebat) ſemper commeatum a Rheginis petebat; vt ea ratione vrbem frumento exhauriret: donec illi fraude intellecta, frumentum amplius præbere recuſarent. Hinc ſe grauiter indignari ſimulans, obſides confeſtim Rheginis reddit. deinde vrbem terra mariq́ue obſeſſam acerrimè oppugnat. Illi contra Phytone ciue ſuo, viro clariſsimo duce creato, fortiſsimè reſiſtentes omnem Dionyſij conatum eludunt. Accidit autem vt quodam in prælio Dionyſius fortiſsimè pugnam ciens, Lancea circa pubem ictus penè concideret. Ceterùm nihil eo periculo deterritus, arctiori indies obſidione vrbem premebat; donec protracta in vndecimum menſem obſidione, obſeſsi ad extremum inopiæ penuriæq́ue redacti, ita vt medimmus frumenti quinque minis intra Rhegiũ veniret, equos reliquaq́ue iumenta, deinde coria & pelles etiam ſcutis detractas in alimentum verterent: Poſtremò vrbem egreſsi herbas circa murum naſcentes, pecudum modò depaſcerentur. Dionyſius tamen in tanta Rheginorũ calamitate nulla commiſeratione cõmotus, quidquid circa vrbem herbidi erat ſuccidi imperauit: vt herbæ putrefactæ illis ad cibum inutiles eſſent. Rhegini tot tantiſq́ue malis preſsi vrbem Tyranno in poteſtatem dedunt: qui vt eam ingreſſus eſt, præter innumera eorum qui fame perierant, ſparſa paſsim per vrbem cadauera, illos quoque qui etiamnum ſupererant, non tam viuentium, quàm mortuorum ſpeciem referentes repperit: collectiſq́ue ſuperſtitibus tam languidis & infirmis quàm validioribus, captiuorum pluſquam ſex millia cõgregauit. è quibus omnes qui ſe talento redimere poterant incolumes dimiſit: qui verò eam ſummam perſoluere non valebant, ſub corona vendidit: vrbemq́ue ipſam a fundamentis euertit. Poſt eam victoriam Syracuſas regreſſus, quum pace vbique parta in ocio ac ſumma tranquillitate regnaret, animum ad ſcribenda poëmata adiecit: acciſ-

CAVLONIA CAPTA ET EVERSA.

RHEGIVM DEDITVM.

A B C D

tosq́ue

A tosque vndique Poëtarum celeberrimos ſcriptorum ſuorum correctores eſſe volebat: adulationibusque amicorum dementatus haud ſecus iſtiuſmodi poëmatibus gloriabatur, ac ſi præclarum aliquid in bello geſsiſſet. Philoxenum Poëtam præſtantiſsimum ob liberiorem carminum ſuorum cenſuram, in Lapidicinas detrudi iuſsit. is enim poëma quoddam Dionyſij emendare iuſſus, totum lituris deleuerat: deprecantibus tamē pro eo amicis, placatus Philoxenū liberauit, & rurſus conuiuio adhibuit: vbi Dionyſio poëmata quædā ſua recitāte, & Philoxenum rogāte quid de illis ſentiret, nihil ille quidē reſpōdit; ſed vocatis Dionyſij ſeruis, duci ſe in Lapidicinas iuſsit: verū Dionyſius tū neutiquam offen-
B ſus riſu eā vrbanitatē excepit. Haud diſsimilē ferè fortunā & Plato Philoſophus, quē Dionyſius in Siciliā accerſierat expertus eſt. Nam quum primò Tyrannus Philoſophum magno in honore habuiſſet, poſt liberiore eius dicto offenſus, etiam occidere conſtituerat. ſed deprecantibus eius mortem amicis, Polidi Lacedæmonio vt illum in AEgina venderet tradidit. vbi Plato triginta minis ab Annicerio Philoſopho Cyrenaico redemtus & Athenas remiſſus eſt. Porrò Dionyſius, nihil de ſtudio ſuo erga poëmata remittens, cantores quoque in Olympiam ad ſcripta ſua ibi decantanda miſit; qui primò ob vocis præſtantiam a Græcis magna admiratione auditi, poſtea poëmatum vanitate & vicijs intellectis, riſu
C excepti, & demum exploſi ſunt. quod vbi reſciuit Dionyſius, vehementi furore ob contemta carmina ſua percitus, cum in alios non poſſet, in amicos bilem ſuam effudit; quorum præcipuos quoſque aut occidit, aut in exſiliū eiecit: inter quos Leptines frater ipſius & Philiſtus hiſtoricus fuére. Leptinem tamen non multò pòſt ei reconciliatus reuocauit. Poſtquam autem in crudelitatis ipſius mentionem incidimus, pauca quædā alia quæ hoc in genere apud ſcriptores de illo leguntur, hic per occaſionem referemus. Marſyam quendam quamuis ſibi amiciſsimum nō aliam ob cauſam interfecit, quàm quòd ille in ſomnis ſibi Dionyſium iugulare viſus erat: arbitratus ex diurna cogitatione tale inſomnium illi
D inter quietem accidiſſe. Leptines quoque frater ipſius Siciliæ formam in terra deſcripturus, a ſtipatore qui fortè adſtabat lanceam acceperat, & illa humi in puluere quod volebat deſcripſit: quod vbi reſciuit Dionyſius, quòd omnibus præterquam ſtipatoribus ſuis armorum vſum ſeueriſsimè interdixiſſet, fratrem quidem vehemētiſsimè obiurgauit: ſtipatorem verò qui lanceam præbuerat occidit. Aliquando pila luſurus, adoleſcentulo quem in delicijs habebat, gladium & veſtem cuſtodiendam tradiderat: quod quidam ex eius familiaribus obſeruans, non tam ſeriò quàm per iocum, Huicne, inquit, vitam tuam committis? hoc audito quum arriſiſſet adoleſcentulus, Dionyſius quam primùm ambos interfici

DIONYSIVS POETICES STVDIOSVS.

DIONYSII CRVDELITAS.

fici iuſsit: familiarem, quod viam occidendi ſe demonſtraſſet adoleſcentulum, quod dictum riſu approbaſſet. Polixenum quoque qui ſororē ipſius Teſcham in matrimonio habebat, quòd illum ſciret Tyrannidi infenſiſsimum, occidere decreuerat. ſed ille præmonitus è Sicilia aufugit: quod vbi Dionyſio renunciatum eſt, accitam ad ſe ſororem grauiſſimè increpauit; quòd conſcia, mariti fugam ſibi non indicaſſet: Cui illa generosè admodum reſpondens: adeóne, inquit, Dionyſi tibi vilis & abiecti animi mulier viſa ſum, vt ſi viri mei fugam præſciſſem, eius nauigationis & exſilij comes non fuiſſem? tam egregium in muliere animū non tam Dionyſius, quā ipſi Syracuſani ita admirati ſunt, vt poſt euerſam Tyrannidem regali more eam coluerint; & defunctæ ſepulchrum publico ſumptu exſtruxerint. Phytonem quoque Rheginenſium ducē, quòd libertatem ciuium fortiter contra ſe defendiſſet, ſæuiſsimè ante excruciatum, ac necato prius filio, in mare proiecit. ac ne matri quidem ſuæ parcens, eam quoque interfici imperauit. Leptinem etiam fratrem, quum ſuccurrere illi poſſet, veterum offenſarum memor, in prælio ab hoſtibus interfici paſſus eſt. Quum itaque ob crudelitatem omnes haud immeritò infeſtiſsimos exiſtimaret; tantam de omnibus mortalibus diffidentiam induit: vt cubiculum in quo ſomnum capiebat, in modū caſtrorum foſſa cingeret ponte ligneo ſuperſtrato, quem poſtquam cubiculum dormiturus intraſſet, poſt ſe attrahebat; & fores cubiculi ipſe intus diligentiſsimè obſerabat: Satellitibus ante fores excubias agentibus. Imò ne vxores quidem niſi depoſito priùs amictu ad ſe admittebat: veritus ne ferrum ſub veſte celarent. Quin & Dionyſium filium ne ſe viuo regnum occuparet, domi ſub cuſtodibus adſeruabat: nec quenquam prudentiorem ad eius familiaritatem & conſuetudinē admittebat. Tonſori quoque veritus collum ſuum comittere, filias ſuas tondere docuit: ſed nec harum quidem cùm adultæ eſſent, manibus ferrum committere auſus, inſtituit vt candentium iuglandium putaminibus, barbam capillumque ſibi adurerent. Hinc Damoclem adulatorem, opulentiam ipſius, maieſtatem & ædium regiarum magnificentiam collaudantem, negantemque quenquam illo vnquam fuiſſe beatiorem, egregio cōmento redarguit. Nam poſtquam hominem aureo in lectulo locari iuſsiſſet, periſtromatis ac ſtragulis pulcherrimis pretioſiſsimisque ornato; deinde menſas auro argentoq; onuſtas ante eum ſtatui; pueros quoque forma præſtantiſsimos ad eius nutum paratos adſtare, tum epulas conquiſitiſsimas illi apponi, ſuffitusque adoleri imperauit: aderant & cum cantoribus, inſtrumenta muſica omnegenus: & quidquid ad luxum deliciasque excogitari poterat: ita vt meritò vndiq; fortunatus ſibi Damocles videri poſſet. hoc medio in apparatu Dionyſius ſtrictum fulgentēq;

enſem,

A enſem, tenui pilo equino ſuper prandentis caput ſuſpendi iuſsit; ita vt acies ferri vertici ipſius ad perpendiculum immineret. Id vbi animaduertit Damocles, illicò beatitudinis tantùm ante a ſe laudatæ, oblitus, non iam opes, aurum, argentum aut reliquum apparatum intuebatur: ſed mortis metu trepidus, Dionyſio vt abire ſibi liceret ſupplicabat: quòd amplius ita beatus eſſe nollet. Oſtendit ſanè hoc facto Dionyſius, nihil eſſe beatum illis quibus aliquis ſemper terror impendeat.

DIONYSII IN DEOS IMPIETAS.

Nec minor fuit Dionyſij in Deos impietas quàm in homines crudelitas & inclementia: cuius varia apud auctores leguntur exempla; è quibus vnum atque alterum hîc retuliſſe ſuffecerit. Locris quum Proſerpi-
B næ templum ſpoliaſſet, & claſsis eius ſecundo vento nauigaret; videtis (inquit) quàm proſpera nauigatio a Dijs immortalibus detur ſacrilegis. Ioui quoq; Olympio qui apud Syracuſanos erat, aureum detraxit amiculum ponderis talentorum octoginta quinque, quo Iupiter ab Hierone ex manubijs Punicis donatus & ornatus fuerat; ac pro aureo laneum dedit: cauillans aureum hieme frigidum, æſtate graue eſſe: ad vtramque anni tempeſtatem laneum eſſe aptius. Hæc obiter de Dionyſij tum crudelitate, tum impietate dicta ſint: nunc ad hiſtoriæ ſeriem a qua digreſsi ſumus reuertamur. Poſt bellum itaque cum Rheginis geſtum ærario tam publico quã priuato ſumptibus exhauſto, inſtructa
C ſexaginta triremium claſſe, tamquã illa contra prędones vſurus, in Etruriam profectus, templum Agyllenſe multis donarijs refertum & locuples ſpoliauit: ex qua rapina ad mille talenta confecit. Agyllenſes quoque ipſos cuſtodibus templi auxilio accurrentes, acie victos ad ipſam vſque vrbem perſequutus, præter maximam captiuorum turbam præda quoque ingenti potitus eſt, quam Syracuſas confeſtim reuerſus diuendidit, atque ita repleto rurſus ærario magnam mercenariorum multitudinem conduxit. Animaduertens vrbes Carthaginienſibus ſubiectas ad defectionem procliues eſſe, ſi quæ ex illis ad ſe deficiebant, humaniſsimè accipiebat. Carthaginienſes autem intellecta Dionyſij fraude, miſſa ad
D eum legatione vrbes ſuas repetunt. ni reddat bellum indicunt. ita vtrinque ad arma recurritur. Carthaginienſes Magone duce conſtituto ingentem cum illo exercitum in Siciliam mittunt. Dionyſius verò Carthaginienſium apparatu minimè conſternatus, inſtructo exercitu obuiã profectus & caſtra ad Cabala (id loco nomen eſt) metatus, poſtea prælio congreſſus cæſis cum Magone decem hoſtium millibus & quinq; millibus captis ſuperior euaſit. Carthaginienſes viciſsim neutiquam ob eam cladem animo fracti, Magonis filio in locũ patris occiſi duce creato, Dionyſium ſpecie induciarum deceptum acri prælio aggreſsi, cæſis cum fratre eius Leptine quattuordecim Siculorum millibus, ipſoque

BELLVM INTER DIONYSIVM ET CARTHAGINIENSES.

Dionyſio

Dionyſio vix fuga propriam ſalutem tuente vicerunt, nulla tamen ob tã A
inſignem victoriam ſuperbia elati, miſsis ad Dionyſium Legatis, pacem
cum illo faciunt, quam ille non longo poſt tempore violauit. Nam quũ
audiſſet peſte Carthagini graſſante, res Carthaginienſium domi admo-
dum afflictas; ſimulque inteſtinis vrbem ſeditionibus laborare, oportu-
nitate ea vſurus, cauſatusque ſociorum agros a Pœnorum militibus de-
populatos, conſcriptis triginta peditum & tribus equitum millibus in
Carthaginienſium ditionem irrupit. Primoq; impetu Selinunte & En-
tella potitus etiam Lilybæum oppugnare adortus eſt; ſed vbi vrbem va-
lidiori præſidio munitam eſſe vidit, quàm vt facile capi poſſet, ſoluta ob-
ſidione receſsit. Quumque Carthaginienſiũ naualia incendio perijſſe B
comperiſſet: ratus & omnem claſſem vnà perijſſe Carthaginienſes con-
temtui habuit: at illi ſuppleta ſubitò ducentarum triremium claſſe, cen-
tum triginta Dionyſij triremes quæ in Erycinorum portu hiemantes in
ſtatione erant, inopinatò adorti maximam partem aut corruperunt, aut
DIONY- SIVS MO. RITVR. cæperunt. Poſt quam cladem acceptam Dionyſius factis cum Cartha-
ginienſibus inducijs, Syracuſas regreſſus in morbum incidit: & Diony-
ſio natorũ maximo ſucceſſore deſignato poſt annos duodequadragin-
ta in Tyrannide exactos, moritur.

ΔIoNYΣIoY. C

DIONYSIVS DIONYSII F. REX.

DIONY- SIVS IV- NIOR SY- RACVSA NORVM REX. DEfuncto Dionyſio Tyranno milites Dionyſium filiũ natu maxi-
mum virum luxu & ignauia perditum imperio præficiũt. ſequu-
ti tum ſupremam Dionyſij patris voluntatẽ, tum ætatem ipſius guber-
nando regno maturam: ſimul, firmius fore regnum exiſtimãtes ſi ſumma poteſtas penes vnum permaneret, quàm ſi in plurium dominationẽ diuideretur. Adeptus regnũ Dionyſius, ante omnia ſubditos ſibi con-
ciliare aggreſſus, nexorum tria millia dimittit, tum vniuerſis qui ipſius
regno parebant triennij immunitatem concedit. Deinde quum ſe cun- D
ctis comem & facilem præberet, omnium ſibi animos initio adiunge-
bat. ſed non diuturna fuit ſimulata virtus, nam vbi primùm ſatis firma-
tas regni vires, putauit ad ingenium reuerſus tum demum ſeſe aperuit.
Tyrannidẽ a domo ſua auſpicatus, primũ cognatos, deinde & fratres
interficit: ita ſublatis regni æmulis in omnes promiſcuè graſſatus, pa-
trem crudelitate & auaritia breuì ſuperauit. Quumque Carthaginien-
ſium armis peteretur, quaſi bellum deteſtaretur, pacem cum illis cupidiſ-
ſimè compoſuit. Rem quoque contra Lucanos initio ſumma negli-
gentia geſsit, tandem tamen prælijs aliquot victor, quũ hoſtem pluribus
iam

A iam cladibus fractum haud difficulter ſibi ſubijcere poſſet, pacem cum illo facere maluit. Deinde cum infeſto piratis mari Adriatico nauigationem haud ſatis tutam intellexiſſet, vt huic incommodo occurreret, duas in Apulia vrbes ad reprimendas pyratarum incurſiones conſtruxit. hoc vnum laude dignum toto principatus ſui tempore egit. ita pace iam vbique parta & repreſsis latrocinijs, totus in libidinem & luxuriam effuſus, in nonageſimum nonnumquam perpotans diem ebrius perſeuerauit, ita vt contracta ex nimia ebrietate oculorum valetudine, non ſolem non puluerem pati poſſet, dumque ob eam oris deformitatem contemtui ſe eſſe putat ſæuitia graſſatus, vt
B pater carcerem nexis ita hic vrbem, cædibus impleuit. Incitati ob eam ſæuitiam in Tyrannum Syracuſani in eum inſurgunt: & in arce per tempus aliquod arctiſsimè obſeſſum eo neceſsitatis adegerunt, vt rebus deſperatis relictis Syracuſis Locros confugeret. vbi a Locrenſibus nihil ſibi ab illo metuentibus in vrbem receptus, quaſi iure apud illos regnaret, arcem improuiſus occupat: ea potitus, ſolitam innatamque ſibi ſæuitiam exercens, proceres ac potentiſsimos quoſque ciuium aut necat, aut in exſilium expellit, coniuges necatorum ad ſtuprum rapit, virgines deſponſatas ante nuptias abducit, ac conſtupratas ſponſis reddit. Quum rapinæ occaſio iam deeſſet, ciues vniuerſos
C callido commento circumuenit. Dum etenim grauiſsimo Leophronis Rheginenſium Tyranni bello premerentur, Locrenſes vouerant ſi victores forent ſe die Veneri feſto virgines ſuas proſtituros: quo voto intermiſſo quum aduerſo Marte bellum contra Lucanos gererent, Dionyſius Locrenſes in concionem vocatos hortatur, vt vxores filiaſque quàm poſſent ornatiſsimas in templum Veneris mittant: è quibus centum ſorte ductæ voto publico fungantur. Religionisque gratia per vnum menſem in Lupanari proſtent, viris omnibus iuratis ſe nullam è proſtitutis contaminaturam: addito inſuper decreto ne qua virgo nuberet, priuſquam illæ maritis reſtitutæ eſſent, id conſilium
D quod nec virginum pudicitiæ, nec honori publico obeſſe videbatur, poſtquam totius ciuitatis conſenſu approbatum eſſet, certatim feminæ cũ filiabus, quàm poſſũt ornatiſsimæ in templũ Veneris conueniũt; quas Dionyſius immiſſo ſtatim milite vniuerſas deſpoliat, ornamentaque illarum in ſuam prædam conuertit. Quarundam viros de iniuria conqueri auſos interficit, locupletiorum verò vxores ad indicandas virorum pecunias tormentis adigit. His artibus regno per ſexennium apud locrenſes potitus, conſpiratione tandem ciuium vrbe expellitur. Pulſus a Locrenſibus Syracuſas reuerſus Tyrannidem ibidem recuperat: Locrenſes verò arce quam apud ipſos Dionyſius

DIONYSIVS LOCROS FVGIT.

ſius præſidio munierat expugnata filium eius impuberem ac filias duas ibi relictas in poteſtatem ſuam redegerunt : quumque patri liberorum reſtitutionem ſuppliciter petenti,etiam Tarentinis preces ſuas interponentibus eoſdem reſtituere recuſarent, Dionyſius ad vim conuerſus, deuaſtatiſque agris ipſorum,excidiumque inſuper vrbi ni ſibi liberos redderent minatus eſt, Locrenſes ob deuaſtationem agrorum indignatione incenſi, iram vindictamque in Dionyſij liberos effuderunt, filiasque eius fœdiſsimè prius conſtupratas ſtrangularunt,& quo ſepulturæ honore carerent, oſſa illarum contuſa in mari diſperſerunt. Dionyſius tentata fruſtra Locrenſium vrbe Syracuſas re infecta reuertitur; primoque ſe humanum cunctis & clementem exhibuit. Sed breui ad ingenium reuerſus,crudelitate,auaritia, ac libidine grauior indies ciuitati erat. Adeò vt Syracuſanorum plurimi tædio præſentium relicta patria in Italiam migrarent. vrbemque Anconem iuxta Cumeriũ promontorium conderent. Dionyſius autẽ quamuis ſe merito omnibus odioſum ſciret, omnium tamen inſidias potentia ſua & copijs fretus cõtemnebat: centum namque peditum & decem equitum millia in armis habebat: ſimul & commeatum tantis copijs ſuffecturum : præterea quingentas triremes inſtructiſsimas. Ad hæc certos homines nequiſsimos occultè alebat; qui vrbem Syracuſanam peruagantes,vbicunque aliquos inter ſe colloquentes videbant,ſe illis inſinuabant : eorumque colloquia & ſermones ad Dionyſium deferebant. ita vt metu illorum nemo ferè Syracuſanorum verbis animi ſui ſententiam alteri aperire auderet.

DIONYSIVS SYRACVSAS REVERSVS.

Dionyſium hoc modo Syracuſis regnantem ,Dion Hipparini filius, vir iuſtitia & temperantia inſignis qui Aretem ſororem ipſius in matrimonio habebat, vt vitam vicioſam & corruptam emendaret; adhortari auſus, tantum aſsiduis cum precibus tum admonitionibus effecit, vt Dionyſius eius conſilijs exhortationibusque animum aduertens, Platonem præmijs precibuſque è Græcia in Siciliam acciret; idque non auctore & ſuaſore ſolùm Dione,ſed fidem etiam ſuam, ad maiorem Platonis ſecuritatem interponente, quod Plato Dioni plurimum fideret. Id vbi Dionis æmuli intellexêre inuidia accenſi, veritiq; ne conuerſus quã doque ad meliora Platonis opera Dionyſius Tyrannidem deponeret. Itaque quum Philiſtum id temporis in Italia exſulantem,virum Tyrannidi amiciſsimum, maximè idoneum crederent, quem Platoni obijcerent. reditum illi apud Dionyſium impetrarunt. Interim Plato Syracuſas verſus nauigationem inſtituit, cuius aduentu audito, Dionyſius triremem regio more inſtructam illi obuiam miſit: quumque excenſionem feciſſet Plato,eundem Dionyſius quadriga ornatiſsima, equis candidis iuncta, cuius ipſe aurigam agebat, excepit deinde quaſi numen aliquod

PLATONIS IN SICILIAM ADVENTVS.

A quod cælo delapſum Syracuſas perueniſſet ſacrificia celebrare, comis in omnes ac munificus eſſe. Receptoq; inter intimos domeſticorum Platone, arctiſsimaque atque aſsidua ipſius conſuetudine vſus, tantum breui eiuſdem doctrina profecerat: vt Tyrannidem ſponte deponere in animo haberet. Id animaduertens Philiſtus, ſimul & alij Dionis æmuli mærere, & metuentes ne Ariſtomaches filios, quorum Dio auunculus erat, in locum ſuum Dionyſius ſufficeret, Dionem palam conuitijs laceſſere, Platonē vt Sophiſtam irridere, eius præſentiam regno perniciosam dictitare; deniq; nihil omittere, quò Dionyſium a Dionis amicitia, auerterent. Tantum denique aſsiduis calumnijs effecerunt, vt Dionyſius mi-

B nus iam Dioni fidens, ipſum quarto poſt Platonis aduentum menſe in arcē vocatū, inſimulatumq; quaſi ſecreta cum Carthaginiēſibus contra ſe conſilia inijſſet, nullam excuſationem admittens, ſtatim cum Megacle fratre nauigio impoſitum primò in Italiam, deinde in Peloponeſum per nautas exportari curauerit. Dionis exſilio per vrbem vulgato, non minus per totam ciuitatem, quàm in regia, ipſa omnia lamentis luctuq; maximè muliebri perſonabant. Id vbi Dionyſius intellexit, metu perterritus, cum plebem tum mulieres conſolatus eſt; Dionem non exſulare, ſed peregrinari tantùm, ne ipſe quandoque animi ipſius elatione atque inſolentia incenſus, grauius aliquid in eum ſtatuere cogeretur. Plato

C interea quū multis precibus apud Dionyſium de Dionis reditu egiſſet, ſeque ab illo ludificari videret, ſibi quoque metuens impetrato cōmeatu Athenas reuertitur. Dionyſius poſthæc quum militum ſtipendia imminuere vellet, atque illi ob id indignatione incenſi ſeditionē mouerent, territus maiora etiam quàm antea ſtipendia dare coactus eſt. Suſpicatus autem milites Heraclide præfecto incitante, contra ſe tumultuari auſos, illum de medio tollere decreuerat; ſed Heraclides per amicos de periculo ſuo certior factus, Corinthum profugit. Ceterùm quum Dionyſius rurſus magno Platonis deſiderio teneretur, per Archytam Tarentinum & Dionis amicos cognatoſque, apud eum obtinuit,

D vt ille iam tertiò Syracuſas reuerteretur; quem poſtquam ſumma cum veneratione excepiſſet, haud multò poſt libertate ipſius offenſus, eundem odiſſe cœpit. Ita vt parum abfuerit quin a mercenario Dionyſij milite, iuſſu Tyranni conficeretur, cuius periculi cum Plato amicos certiores reddidiſſet, illorum precibus a Dionyſij ſæuitia ereptus, triremi in Græciam remittitur, vbi quum Dionem ludos Olympicos ſpectantem inueniſſet, quæ ſibi apud Dionyſium accidiſſent retulit: quo intellecto, Dion, tum ob ſpem reditus ſui eluſam, tum ob ludificatum Platonem indignatus, ad communem vtriuſque iniuriam vindicandam, Dionyſiumque ipſum Tyrannide pellendum ſe comparat:

DIO IN EXILIVM ACTVS.

PLATO ATHENAS REVERTITVR.

PLATO IN SICILIAM REVERSVS.

PLATO IN GRAECIAM REVERSVS.

DIONIS IN DIONYSIVM CONSPIRATIO.

receptoq; in ſocietatē Heraclide & triginta alijs Syracuſanorū exſulibus, A octingētos ex Zacyntho milites mercede cōducit: qui poſtquā Eumenide Cyprio & Timonide Leucadio ducibus ad ipſum veniſſent, Dio militibus ac cetero apparatu duabus onerarijs impoſito, relicto in Peloponeſo Heraclide, vt maiores copias colligeret; Siciliā petijt. Dionyſius intellecto Dionis in ſe apparatu, Aretē vxorem ipſius inuitam Timocrati familiari ſuo collocat, filium ante intemperantiſsimè educari præcipit.

Syracuſis interim prodigia mutationem ſtatus Reipublicæ in melius euerſionemq; Tyrānidis, vti credebāt, præſignificantia obſeruata ſunt. Mare namq; quod Syracuſas alluit, per diem integrum dulces & gratas potui aquas habuit: ſues quoque ſine auribus editi. Dio in- B terea decimo tertio poſtquam è Peloponeſo diſceſſerat die, ad Pachynū Siciliæ promontorium appulſus, quum intellexiſſet Philiſtum cum octoginta nauium claſſe, in Iapygia ſtationem habere, veritus ne ex improuiſo ab illo opprimeretur, meridionalem Siciliæ oram, quæ ſub Carthaginienſium ditione erat, petit: ſed orta inter nauigandum tempeſtate, parum abfuit quin nauis eius ſcopulis illiſa perierit. Ceterùm poſtquā ventorum violentia remiſiſſet, Agrigentum præteruectus, Minoam quę vrbs Carthaginienſium ditionis erat, appulit, eius vrbis præfectus Paralus (quem Synalum vocant alij) Dioni ſumma beneuolentia iunctus erat, ignarus tamen primo qui mortalium aduecti eſſent, collecta mul- C titudine vrbana, Dionem cū ſuis a terra arcere nititur, ſed diſiecta haud magno cum labore veterani militis virtute oppidanorū turba, Dionis milites qui fugientiū veſtigijs inhærebant cum illis pariter irrumpentes vrbem occupant: ſed poſtquam duces ſe mutuò agnouiſſent, vrbs Paralo inuiolata reſtituitur. Dio relictis apud Paralum impedimentis, ſimul & armis quæ quinque virorum millibus ſufficerent, vt ea prima quaque opportunitate ad ſe mitteret; Syracuſas cum mille tantū militibus proficiſcitur: receptisque ex itinere in belli ſocietatem, Gelenſibus, Agrigētinis, & Camarinæis Syracuſanorum fines intrat, vbi cōfluente vndique ad ipſum vrbana ſimul ac ruſtica multitudine, arma quæ ſecum aduexe- D rat illis diſtribuit. quæ quum non ſufficerent, reliquos armis quæcunq; ſors obtulerat inſtruit. Syracuſani, intellecto Dionis aduētu, ſtatim cōtra prefectos ſibi a Dionyſio impoſitos tumultuari incipiūt. qui dum ſeditioni obſiſtere conātur a militibus ſuis qui paſsim ad ſuā quiſq; patriā tuendā dilabebātur deſerūtur. Dio autē qui iā ad Anapum fluuium peruenerat, traiecto raptim amne, Syracuſas nemine ſe illi opponente cū exercitu floribus coronato ingreditur. Vbi a Syracuſanis non ſecus ac numen aliquod propicium cælo demiſſum ſacrificijs, omniumque aggratulatione exceptus. vocato ad concionem populo, Syracuſanos

MINOA A DIONE OCCVPATA.

DIO SYRACVSAS OCCVPAT.

A cuſanos ad libertatem fortiter tuendam hortatur. Mox Epipolas, vbi Dionyſius vinctos aſſeruabat, aggreſſus capit & nexos liberat. inde arcẽ atque Inſulam que adhuc Dionyſij præſidio tenebãtur, ne quid obſeſsis importari poſſet muro a terra intercluſit. Dionyſius qui tum apud Cauloniam erat, audita Syracuſarum occupatione, Philiſtum cum octoginta nauium claſſe eò properare iubet. Ipſeque ſeptimo poſt occupatas a Dione Syracuſas die eodem peruenit. Deinde miſsis priuatim ad Dionẽ nuncijs animum ipſius promiſsis corrumpere tentauit: ſed quũ omnia inſidijs ſuis ſepta clauſaq; apud illũ eſſent, hac ſpe deiectus, miſſa ad Syracuſanos Legatione poſtulauit, vt aliquos ad ſe mitterent qui ſecum de
B pace agerẽt. Quumq; illi honoratiſsimos ciuiũ quoſq; ad illũ miſiſſent, Dionyſius ijs in carcerem coniectis, in Syracuſanos ſpe pacis negligẽtiùs excubias agentes, improuiſus erumpit, & ſuperato quem Dion arci obiecerat muro, necatiſque qui reſtiterant in vrbẽ tranſcendit, verùm Dione ſuis auxilio accurrẽte Syracuſaniſque fortiter pro patria propugnantibus, Dionyſius amiſsis octingentis è ſuis in arcem reijcitur: atque ita ſpe ſua vbique fruſtratus, alios rurſus Legatos quide pace cum Syracuſanis agerent mittit. Quos Dio vt quibus a Dionyſio artibus eluſus fuerat, ijſdem illum viciſsim deluderet; varijs excuſationibus tempus terens tam diu apud ſe detinuit, donec muri partem quæ ad arcẽ circum-
C ſepiendam adhuc deerat, abſoluiſſet: abſolutoque iam muro vocatos ad ſe Dionyſij Legatos, renunciare illi iuſsit, nullam eſſe aliam pacis viam quàm vt Tyrannide depoſita priuatus viueret. Dionyſius hac ratione ſe deluſum videns, Dionem varijs apud Syracuſanos calumnijs traducere aggreditur; concitatoque per ſui ſtudioſos in illum populo, tantùm effecit, vt labefactata imminutaque Dionis apud populum fide & beneuolentia, Siracuſani ipſum quotidie magis ac magis ſuſpectum haberẽt.

HERACLI DES PRAEFECTVS CLASSIS.

Inter hæc Heraclides, quem a Dione in Peloponeſo relictũ diximus, Syracuſas cum viginti triremibus & armatis mille quingentis peruenit, quẽ mox populus vt cõmunibus cum Dione auſpicijs rempublicã tue-
D retur, Præfectũ claſsis creat. Quod Dio in ſui contẽptum factũ eſſe queſtus, Heraclidẽ ad ſe vocatũ increpuit: quod bello iã penè cõfecto nõ bene ſecũ de gloria certaret. Philiſtus interim cũ octoginta triremium claſſe Rhegio profectus, quingẽtos equites in litus exponit: aſſumtoque duum millium peditatu, ad Leontinum quod a Dionyſio defecerat recuperandum contendit, tranſcenſisq; noctu mœnibus, atq; oppidanis nihil hoſtile metuẽtibus, partem vrbis occupat, ſed auctis Syracuſanorũ auxilio Leõtinis, impetumq; in Philiſtũ faciẽtibus, Philiſtus fuga ſibi cõſulere cõpellitur. Atq; ita reiectis a Leontinis, inſtructa ſexaginta triremium claſſe, ad Syracuſarum portum peruectus, Syracuſanos

ad manus conſerendas prouocabat. Illi autem duce Heraclide cum pari triremium numero, contra hoſtes in altum euehuntur; pugnatū vtrinque ſummis viribus: videbanturque primò res Syracuſanorum ob ſingularem Philiſti fortitudinem deteriori conditione eſſe, donec cohortati ſeſe mutuo Syracuſani, ne vnius prælij infelicitate eripi ſibi libertatem paterétur, impetu acrius in hoſtem facto, diſiectaq; Dionyſiorum claſſe, Philiſtum circumuentum interemêre. Sunt qui tradant, eum viuum in Syracuſanorum manus peruenisſe, excruciatumque varijs priùs tormẽtis, tandem interfectum: corpus autem eius inſepultum alitibus ferisque relictum. Dionyſius quum aduerſo hoc prælio vires ſuas affectas, amiſſoque fidiſsimo ac fortiſsimo duce, imparem ſe deinceps ad ſuſtinendos Syracuſanorum Dionisque inſultus intelligeret: miſsis ad Dionem ac populum Syracuſanum Legatis, Tyrannidem ſe depoſiturum promittit; atque arcem in populi poteſtatem dediturum, ſi ſibi incolumi cum omnibus fortunis in Italiam migrare concederetur. Reiecit conditiones populus elatus rebus proſperis, ſperans Tyrannum inopia coactum, viuum tandem in poteſtatem venturum: quamuis Dione vt conditiones acciperentur vehementer ſuadente. Dionyſius intellecta Legatorum repulſa, populique Syracuſani pertinacia, noctu precioſiſsimis quibusque in naues impoſitis, firmata præſidio arce, relictoque ibi filio Apollocrate, Syracuſanorum ſtationarios nihil illis ſentientibus præteruectus, in Italiam incolumis peruenit. Amoto poſt Dionyſij fugam externo metu Syracuſani inter ſe diſsidere cœperunt. Quidam enim Heraclidem ſummæ rerum præficiendum contendebant; ſaniores retinendum in magiſtratu Dionem ſuadebant. Acceſsit ad hoc mali aliud priore grauius, mercenarij enim ex Peloponeſo milites, virtute ac militari peritia præcipui, quum multa illis ſtipendia deberentur, nec ſatisfieri ob ærarij inopiam poſſet, indignatione moti diſcedere ſtatuerunt, adhortati prius Dionem, vt ſecum ad cõmunes iniurias vindicandas diſcederet. Abnuit primò Dio, poſtea tamen videns ardere ſeditionibus vrbem, periculumq; ſibi, ni abiret, ex æmulorum maleuolentia imminere, militum conſilijs acquieuit, ac ſimul cum illis ad Leõtinos iter inſtituit. Id vbi intellexêre Syracuſani, ira odioque incenſi, abeuntes inſequuntur, aſſequutique poſtremum agmen, quum impetũ in illos feciſſent, fortiter excepti, in fœdam fugam conijciuntur. Dio tamen clementer in ciues victoria vſus, plurimos quos cum in fugatum prælio occidere potuiſſet ſeruauit. Ceterùm Dionyſius qui per id tempus in Italia agebat, intellectis ſuorum qui in arce obſidebãtur anguſtijs, claſſem commeatu inſtructam, Nypſio Neapolitano duce, ſubſidio laborantibus mittit. Illi verò quum famem aliquandiu fortiſſimè

DIONYSIVS SICILIA IN ITALIAM FVGA.

A simè tolleraſſent, deſperatis tandem auxilijs premente neceſsitate ſe dedere conſtitutum habebant, iamque ibant obſeſſorum aliqui vt arcem Syracuſanis dederent, cum Nypſius vnà cum claſſe inſperatus, appellēs obſeſſos ex ſumma inopia recreatos ad ſpem meliorem erexit, conuocatisque in concionem militibus, ijſdemque collaudatis, præmia fortitudinis & conſtantiæ ipſorum, ex Dionyſij liberalitate ampliſsima pollicetur. Interea dum Nypſius toto in concionem animo intentus eſt, Syracuſani facta repēte in eius claſſem impreſsione, cum in imparatos ipſi inſtructi incidiſſent, maximam nauium partem aut capiunt aut corrūpunt; reliquis vix fuga ſeruatis. Victoria potiti ad epulas ebrietatemq; B conuerſi, contemtu victi a ſe hoſtis excubias ſegniter obeunt. Nypſius autem omnem proximæ cladis vindicandæ occaſionem captans, conſpecta hoſtium negligentia, noctu murum arci obiectum ſummo ſilētio tranſcendit: vigiles ſomno vinoque languentes obtruncat: inde in vrbem peruadens obuios paſsim cædit: Syracuſanis tum crapula tum ſomnolentia ita grauatis, vt vix certis paſsibus conſiſterent, nedum ſalutem tuerentur. Conuerſus inde ad domorum direptionem Dioniſij miles, feminas ſimul ac pueros auxilio deſtitutos, in ſeruitutem rapit. Syracuſani ea nocte in ſumma deſperatione exacta, adueniente demum die, vbi cæſorum multitudinem & totam penè vrbem ab hoſtibus teneri C conſpexiſſent, Legatos ad Dionem qui apud Leontinos erat, mittunt, ſupplicatum vt depoſita ira, ſuis ciuibus reconciliatus, auxilium patriæ excidio proximè ferre vellet. Nec difficilem in condonando Dionem Legati ſunt experti, nam vbi primùm vrbis calamitatem intellexit, vehementer indoluit, & milites pro temporis anguſtia obiter cohortatus, Syracuſanis auxilio contendit. Quumque ad Hexapila peruenisſet, feminarum puerorumque & ſenum fugientium turbam obuiam habuit: qui profuſis lacrymis lamentisque miſerabilibus, fortunam ſuam deplorabant. Eo ſpectaculo Dio ad commiſerationem incenſus, citato gradu, in hoſtem fertur, nactosque illos præda incendioque occupa- D tos, cæſis quatuor millibus, reliquos pauidos conſternatosq; in arcem compellit; liberata hoc modo ab hoſte patria, prima Dioni cura fuit, vt incendia paſsim per vrbem graſſantia reſtinguerentur. Murum deinde qui arci obiectus fuerat, magna ex parte ab hoſtibus euerſum reficit, inde arcem arctiori quàm ante obſidione premit; donec qui eam tuebatur Apollocrates, inopia coactus ſe dederet, qui in Italiam ad patrem ſe recepit. Tam proſperam hactenus Dionis fortunam magna in deterius commutatio conſequitur: primaque in filio eius ſe vis fatalis exeruit; quem quum Dio a luxu ac vitæ intemperātia, in qua a Dionyſio educatus fuerat, ſeueriore diſciplina, atq; auctoritate paterna, ad virtutis

DIO SYRACVSAS REVOCATVR.

SYRACVSAE AD DIONE LIBERATAE.

ARX SYRACVSANA DIONI DEDITA.

tutis ſtudium reuocare vellet, grauiſsimum ex filij morte vulnus acce- A
pit. Is enim non ferens vitæ mutationem, in caput ſe è tecto præcipitē
dederat. Ad hæc recruduit rurſus vetus inter ipſum atque Heraclidem
diſcordia, quam Dio non manſuetudine & lenitate, vti antea, reſtingue-
re conatus eſt: ſed acerrimè in Heraclidē priùs inuectus, tanquam rei-
publicæ turbatorē interfici mādauit: & exinde quaſi ſublato imperij æmu-
lo, licentius ſe gerere, & inimicorum ſuorum bona in milites diuidere
cœpit. Vnde factum eſt, vt quum propter ærarij inopiā ſtipendia mili-
tibus perſoluere non poſſet, eoſdem ſibi infenſos haberet; & populus
præter conceptum nuper poſt Heraclidem de medio ſublatum, in Dio-
nem odium, etiam propter militum iram indignatione incenſus, ipſum B
quoque Dionem tanquam Tyrannum tollendum vociferaretur. Quæ
poſtquam Dio intellexiſſet dubius quorſum euaſura eſſent, quum vulgi
odium timeret; Calippus Athenienſis vir animi verſuti ſimul ac perfidi,
Dionem adit, oſtenditque eum, cum propter odium populi, tum & ob
militum iram, magno in periculo verſari; ſuadet itaque vt aliquem ſub-
ornet qui ſimulata cum illo inimicitia aduerſariorum eius cætibus ſe in-
gerat, conſiliaque illorum cognita ad ipſum referat. Placuit Dioni cō-
ſilium; ſuſcepitque rogatu Dionis eas partes Calippus ipſe, armatusque
Dionis imprudentia, ſocios ad eius cædem ſeriò conquirit: Aduerſarios
conuenit, eoſdemque in Dionis odio confirmat; facinus igitur concep- C
tum patraturus, iuuenes aliquot Zacynthios, quos in Dionis cædem
mercede conduxerat inermes (quò res minus ſuſpicionis haberet) in do-
mum ipſius intrare iubet. Illi facilè admiſsi Dionem nihil tale timen-
tem aggreſsi, primò manibus ſuffocare nituntur, quod vbi non ſucceſ-
ſit, gladium a coniuratis qui foris ſtabāt petunt; quo per feneſtram por-
DIONIS CAEDES. recto Dionem nemine auxilium ferre auſo, trucidāt, anno ætatis quin-
to & quinquageſimo, poſtquam verò in Siciliam venerat quarto. Mor-
te Dionis diuulgata, repente omnes ex odio ad commiſerationem verſi
quem paullò antè vti tyrannū necandum conclamauerant. nunc libe-
CALIPPVS SYRACVSAS CATANAM ET RHEGIVM OCCVPAT. ratorem patriæ agnoſcunt. Calippus autem ſublato Dione, tyrannidē D
inuadens ſtatim vxorem Dionis grauidam, vnà cum ſorore in carcerem
conijcit, nec contentus Syracuſas occupaſſe, Catanæ quoq; dominatio-
nem affectans, exercitum eò verſus ducit, Quam dum auidius quā cir-
cumſpectius oppugnat, Syracuſas interim amittit, Syracuſani namque
eo abſente pulſis qui Calippi partes fouebant, libertatē recuperāt: mox
& Dionis vxorem cum ſorore è carcere liberant. Calippus verò Cata-
na in poteſtatem redacta in Meſſanenſes ſe vertit: ſed fœdè inde repulſus
maximam militum partem in his & Dionis interfectores amittit: Sici-
liam deinde cum exercitu peruagatus, quum a nemine reciperetur, tra-

iecto

A iecto freto Rhegium occupat: vbi a militibus ſuis, quum præ inopia ſtipendia illis perſoluere non poſſet, occiſus, meritas Dioni pœnas cæde ſua perſoluit. Syracuſani deguſtata tantũmodo libertate, a Nyſæo Dionyſij maioris filio, rurſus in ſeruitutem rediguntur: Qui occupata mox Tyrannide, eademque quàm diu daretur fruiturus, (quaſi eam haud fore diuturnam præſagiret) totum ſe vino atque epulis dedidit. Dionyſius interim traiecto ex Italia in Siciliam exercitu, Nyſæum ocio ac luxu diffluentem inſuper & imparatum adortus facilè expulit: atque ita Syracuſis receptis in aduerſam factionem crudeliſsimè ſæuijt. Ingenium namque eius vel per ſe in crudelitatem pronum, exſilium & quas
B hactenus perpeſſus fuerat calamitates, magis etiam efferauerant.

CALIPPI CAEDES.

DIONYSIVS SYRACVSAS ET TYRANNIDEM RECVPERAT.

Preſsi tot calamitatibus Syracuſani, inopia meliorum, ad Icetem ciuẽ ſuum qui occaſione temporum vſus, Leontinorum Tyrannidem occuparat, confugiunt: auxilium ad liberandam patriam ferret precantur. Icetes igitur non tam pietate ductus & amore patriæ, quàm ſpe occupandæ Tyrannidis, haud grauatè ſuam ad hoc operam pollicitus cõſcripto quàm primùm exercitu, Dionyſium inter Syracuſas compulſum obſidet. Sed quum exercitus ipſius penuria commeatus laboraret, relicta obſidione Leontinum redire coactus eſt. Dionyſius diſceſſu Icetis conſpecto, in abeuntẽ erumpit, quod vbi & Icetes vidit, cõuerſo agmi-
C ne irruentem in ſe fortiter excepit. Dionyſiumque cæſis tribus millibus in fugam vertit. atque ita acriter fugientium tergis inſtitit, vt vnà cũ Dionyſianis erumpens, arce tantùm atque Inſula excepta, tota vrbe potiretur, ac ſtatim ſucceſſu tãm inſperato elatus, arcem muro circumſeptam obſideret. Carthaginienſes interea intellecto Siciliæ ſtatu, exercitum validiſsimum duce Hannone in Siciliam mittunt; vtque Syracuſas quàm primùm occupare conetur mandant. Quorum impetum veritus Icetes, fœdus clam cum Hannone percutit. Syracuſani autẽ Icetem ſuſpectum habẽtes, veritique ne ipſo prodente in Carthaginienſiũ ſeruitutem redigerentur, ad Corinthiorum opes confugiunt, auxilium-
D que vrbi quondam ab illis conditæ, quæ iam ad ſummum periculi ne in Barbarorum poteſtatem cogeretur peruenisſet, ſupplices precantur. Corinthij, vti viris fortibus & libertatis aſſertoribus dignũ erat, opem pollicentur: & Timoleõtem Timaneti filium virum libertatis amantiſsimũ (vt qui ne fratri quidem ob occupatam Tyrannidem peperciſſet) ducem ad id deligunt: datiſque decem triremibus quamprimùm Syracuſanis auxilio properare iubent. Timoleon celeri curſu Ionium mare emenſus, triduo poſt captas ab Icete Syracuſas Rhegiũ appulit: vbi dum militem a nauigatione feſſum reficit, Carthaginienſium Legati eodem cum viginti triremibus appulſi, Timoleontem hortantur, vt dimiſſo milite

ICETES SYRACVSAS OCCVPAT.

cuius auxilio opus non eſſet, ipſe ſe ſocium Iceti adiungeret: aliter ſe non A
paſſuros vt in Siciliam traijciat. Timoleon quũ benignè illorum poſtulatis reſpondiſſet, Rheginis dolum ex compoſito adiuuantibus, interim dum a Legatis in concionem venturus exſpectatur, in altum peruehitur, & Carthaginienſibus intellecta fraude fruſtra perſequentibus, Tauromenium incolumis cum claſſe applicuit. Vbi perquàm humaniter ab Andromacho, eius vrbis principe & conditore exceptus eſt.

TIMOLEONTIS IN SICILIAM ADVENTVS.

Interea dum Timoleon apud Tauromenitanos moratur, Adranitis diſcordia inter ſe laborantibus, ab vna parte Timoleon, ab altera Icetes in auxilium vocatur. Timoleon acceptis ſecum quos habebat militibus, Adranum properat: quumque ex itinere intellexiſſet, Icetem cum B
quinque armatorum millibus, non longè ab Adrano, vti milites ab itinere recrearet caſtrametatum, ipſe cum mille tantùm & ducentis, in aduerſarios corporibus curandis intentos impetum facit, caſisque trecentis captisque verò ſexcentis, reliquos in fugam conijcit, caſtrisque ſimul & impedimentis potitur. Ea victoriæ fama per Siciliam ſparſa, incredibile quantum momenti Timoleontis partibus attulerit. Primi omnium Adramitæ victoriam illi gratulati, eum in vrbem ſuam receperunt. Horum exemplum ſequutæ & aliæ non paucæ Siciliæ vrbes, relicto Icete & Carthaginienſibus, ad Timoleontem defecerunt. Mamercus etiam Catanæ Tyrannus, miſsis legatis fœdus cum Timoleonte per- C
cuſsit. Dionyſius autem intellecto tam proſpero Timoleontis ſucceſſu, virtutem eius admiratus miſsis legatis arcem inſulamque ſe in eius poteſtatem dedere paratum nunciat. Timoleon itaque ducibus Euclide & Telemacho, milites Corinthios quadringentos ad arcem à Dionyſio recipiendam mittit. Corinthij quamuis hoſtes arcem vndique arctiſsimè obſiderent, ijſdem tamen eluſis arcem intrarunt: omnique armorum ac telorum apparatu, ſimul & duobus militum millibus, qui ſub Dionyſio ſtipendia merebant, potiuntur. Dionyſius arce in Corinthiorum poteſtate relicta, fortunis ſuis in vnam nauim impoſitis, quingentarum paullò ante nauiũ dominus, vnica cum nauicula ad Ti- D
moleontem enauigat: Quem ille, vti omnibus Græcis tanquam fortunæ variantis ludibrium oſtentui eſſet, ſtatim Corinthum miſit. Ita Dionyſius poſtquam annos decem ante Dionis aduentum, & duodecim poſt eius mortem regnaſſet, variam toto dominatus ſui tempore fortunam expertus, Corinthum in exſilium proficiſcitur. Cuius vſque adeo obſcura deinceps vita fuit, vt violentáne an naturali morte perierit incertum ſit.

ARX SYRACVSANA A TIMOLEONTE CAPTA.

DIONYSIVS CORINTHVM MISSVS.

AGATHO-

ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ.

AGATHOCLES CARCINI. F. SYRACVSARVM. REX.

AGathocles Syracuſanorum Tyrannus, qui magnitudini Dionyſij ſucceſsit, ad regni maieſtatem ex ſordida admodum illiberaliq́ue origine peruenit. Patre namque figulo, cui Carcino nomen fuit, Thermis oppido Punicæ ditionis in ora maris Libyci natus fuerat: Carcinus enim patria Rheginus in exſilium expulſus, Thermas habitatum venerat: vbi ducta vxore, eaq́ue grauida iam facta, continuis perturbabatur inſomnijs. Hinc anxius admodum, Carthaginienſibus quibuſdam Delphos ad conſulendum Apollinem nauigantibus, priuatim & ipſe in mandatis dedit, vt Deum de futuro partu conſulerent. Illi Carcini mandatum diligenter exſequuti: reſponſum acceperunt, eum qui naſciturus eſſet, tam Carthaginienſibus, quàm vniuerſæ Siciliæ, magnarum aliquando calamitatum auctorem fore. Quod audiens pater iram Carthaginienſium, ſub quorum, vti dixi, imperio Thermæ erant, metuens, infantem exponit; ſed mater noctù occultè ſublatum fratri Heraclidi educandum credidit: apud quem infans breui in egregiam corporis ſpeciem ſupra ætatis maturitatem adoleuit. Accidit autem vt poſt tempus aliquod Carcinus ad familiare ſacrificium ab Heraclide inuitaretur; ibi quum fortè Agathoclem cum pueris colludentem vidiſſet; egregiam eius formam admiratus in mentem illi venit quòd filium expoſuiſſet. Cuius recordatione ita indoluit, vt etiam lacrymis pœnitentiam teſtaretur: quod poſtquam vxor conſpexit, rem vti erat marito expoſuit; quo ille plurimùm gauiſus, oraculi memor; ſimul metu Carthaginienſium, vnà cum puero & vxore Syracuſas commigrat; atque ibi à Timoleonte in ciuium numerum adſcribitur: quumq́ue & apud Syracuſanos ſolito artificio vitam aliquanto tempore ſuſtentaſſet, moritur tandem Carcinus. Agathocles verò patre orbatus, a Damate inter Syſanos potentia & opibus præcipuo, ardentiſsimè ob inſignem corporis formā adamari cœpit: cuius tandem libidini obſecutus, magnas ex tam infami & ſordido lucro opes breui eſt adeptus. Quumq́ue Damas ab Agrigentinis dux belli creatus eſſet, Agathocles in locum cuiuſdam demortui tribunus militum a Damate ſufficitur. Quo in bello quum & manu ſtrenuum & in periculis impauidum ſe præſtitiſſet, haud vulgarem ſtatim apud omnes exiſtimationem conſequutus eſt. Mortuo autem paullò poſt eā expeditionem Damate, Agathocles vxorem ipſius quam adhuc marito viuo adulterauerat duxit; plurimùm eo matrimonio ex dote vxoris locupletatus. Poſthæc cum Soſiſtrato duce tribunus

AGATHOCLIS ORTVS ET PARENTES.

AGATHOCLIS TRIBVNVS MILITVM CREATVS.

bunus militum in auxilium Crotoniatarum contra Brutios pro- A
fectus, ab eo per inuidiam Tribunatu motus, eundem apud populum Syracuſanum, tanquam Tyrannidi & rebus nouis ſtudentem criminatur: ſed quum accuſationem ſuam à populo contemni videret, indignatus ad Brutios deficit & vnà cum illis Syracuſanos & Crotoniatas adoritur: ſed prælio victus ad Tarentinos confugit, apud quos quum diu ob fortitudinem magno in honore fuiſſet, affectatæ tandem tyrannidis ſuſpectus expellitur. Pulſus collecta exſulum Syracuſanorum paſsim per Italiam vagantium manu, in Heraclidem & Soſiſtratũ qui Rhegium per id tempus obſidebant ſe conuertit: eoſdemque ſoluta obſidione Syracuſas cùm ignominia repetere coëgit. Electo autem haud multò poſt B
Syracuſis ab aduerſa factione Soſiſtrato, Agathocles in patriam reuocatus vnà cum Syracuſanis aduerſus exſules & Carthaginienſes qui exſulibus auxilium ferebant bellum gerit. Quo bello ob ſingularem fortitudinem omnes in ſui admirationem traxit. Delatus deinde quaſi Tyrannidem affectaret, in exſiliũ eiectus ad Murgantinos confugit à quibus in odium Syracuſanorum primò Prætor, mox dux creatus, Leontinorum vrbem adortus capit. Ducto inde Syracuſas exercitu vrbem obſidet. Ceterum Amilcar Pœnorum dux a Syracuſanis in auxilium vocatus, depoſito hoſtili odio, obſeſsis opem tulit: ita Syracuſæ ab hoſte ciuili amore defenſæ, a ciue hoſtiliter oppugnantur. Sed Agatho- C
cles vbi Carthaginienſibus vrbi obſeſſæ auxilium ferentibus, imparem ſe videt: miſsis ad Amilcarem Legatis, petit vt pacis inter ſe ac Syracuſanos arbiter eſſe velit, ſocietatemque ſi pacem eius ope impetraſſet pollicetur. Accepit conditionem Amilcar quò Agathoclem Carthaginienſibus ex hoſte amicum redderet. Allocutuſque pro concione Syracuſanos eos ad ineundam cum Agathocle pacem hortatur; tantumque aſſiduè monendo effecit, vt illi non ſolùm Agathocli reconciliarentur, ſed
& Prætorẽ inſuper crearent. Obtenta auxilio Amilcaris pace, Agatho- D
cles in verba Pœnorũ iurat: & quò tutior deinceps eſſet ab inimicorum inſidijs, quinque Afrorum millia ab Amilcare auxilio accipit. Simulata deinde in Herbitenſes expeditione, tanquã exſules eorũ in patriam reducturus, factioſiſsimos quoſque & obæratos, & ſi quibus ſtatum optimatum odio eſſe ſciebat, ſibi adiungens, quaſi eorum opera hoc bello vſurus, exercitũ ex ijſdem conſcribit. Vbi ſe ſatis vndique inſtructum credidit, conuocatos in concionem milites alloquitur, ac in optimates concitat: illorum Tyrannide Vrbem premi queſtus, hortatur igitur vt prẽteritarum iniuriarum pœnas illorum ſanguine & cædibus ſumant. Vrbe clauſa ne quis elaberetur, paſsim per vias ac vicos vrbis, miles mercenarius cum plebe egena diſcurrit: quemcũque ciuium potentio-

AGATHOCLES IN AXEILIVM ACTVS.

AGATHOCLES SYRACVSAS OBSIDET.

AGATHOCLES PRAETOR A SYRACVSANIS CREATVS.

rum

A rum obuium habent obtruncant: plurimi cauſſam tumultus ignorantes, dum inconſultè in publicum ſe proripiunt trucidantur: nec pauciores tranſcenſis mœnibus in vicinas vrbes confugientes euadunt. Miles cædibus ſatiatus, ad ædium direptionem ſe vertit; foribus vi effractis, cæſiſque ſi qui intus vim propulſare conarentur. Poſtquam a cædibus & direptione ceſſatum eſt, Agathocles captiuos coram ſe adduci iubet, ex ijs ſi quos ſibi infenſos putabat, interfici iubet: reliquos cum Dinocrate ob neceſſitudinem quæ ipſi cum eodem hactenus interceſſerat, dimittit. Concione conuocata, in eos qui iuſſu ipſius cæſi fuerant inuectus, eos ſuo merito ob tyrānidem & ſuperbam in ciues dominationem
B necatos teſtatur: ſeque depoſito imperio vrbem in populi poteſtate relicturum pollicetur: & quò verbis fidem aſtrueret, dilacerato paludamento, aſſumtoque priuato habitu diſcedere parabat, certò ſibi perſuadens illos qui ſe iubente tantam cædem peregerant, haud vnquam paſſuros vti Tyrannidem deponeret. Agathocle itaque abeunte, conclamant cuncti imperium retineret: neu ſe rurſus in optimatum Tyrannidem relapſuros deſtitueret; diſsimulauit tamen ille aliquantiſper, in propoſito diſcedendi perſiſtens; donec vrgente vehementius multitudine, quaſi conſenſu victus, admittere ſe imperium dixit: geſturumque ſe ita, vt illos nunquam ſummam rerum ipſi detuliſſe pæniteret. Ita Aga-
C thocles Tyrannidē iam adeptus, Olympiadis centeſimæ decimæquintæ anno tertio, poſt liberatas verò a Timoleonte Syracuſas viceſimo, facilem ſe erga omnes & humanum præbuit: & ſæpe in publico ſine ſatellite conſpectus, nihil à priuatis habitu differens, pauperes munificentia, diuites autem honoribus ſibi conciliabat: nec diſsimulans interim generis obſcuritatem, quin potius eam ſibi honori ducens; ſuper abacos auro atque argento coopertos fictilia ſubinde vaſa interponebat, eaque digito aſtantibus commonſtrans, aiebat ſe quum quondam talia ipſe ſe ciſſet, nunc ob virtutem aureis atgenteiſque potiri. Ad confirmandam inde Tyrannidem animū intēdens, triremes vetuſtas reficit: nouas con-
D ſtruit, arma telaque copioſè fabricanda curat: contracto mox mercenario milite Carthaginienſium ſocios permittente Amilcare fœdè iniurijs vexat. Hinc Meſſanenſium arcem ex improuiſo aggreſſus occupat: pro cuius redemtione magnam auri ſummam a Meſſanenſibus pactus, auro accepto non ſolū illos in reddenda arce illuſit, ſed & vrbem ipſam ciuibus nihil tale metuentibus ex inſidijs capere tentauit. Verùm Meſſanenſibus dolū præſentientibus fortiterque, propugnantibus voto fruſtratus eſt. Mylas deinde oppidum adortus capit; relictoque ibi præſidio Syracuſas reuertitur. Ineunte autem æſtate rurſus Meſſanenſes inuadit; ciuibus tamen vnà cum Syracuſanorū exſulibus qui odio ipſius

AGATHOCLES TYRANNIDEM APVD SYRACVSANOS INVADIT.

Meſſanenſibus ſe iunxerant, vrbem fortiter defendentibus, oppugna- A
tionem relinquere coactus eſt. Carthaginienſes interea ſociorum querelis incenſi, qui ſe ab Amilcare proditos; ab Agathocle depopulatos conquerebantur, miſsis in Siciliam legatis Agathoclem arcem Meſſanenſibus reſtituere compellunt. Agrigentini quoque quum incrementa Agathoclis ſuſpecta haberent, inſtigantibus Syracuſanorum exſulibus, quorum pars maxima Soſiſtrato duce eò confugerant, bello Tyrannum impetere ſtatuunt, ſed quia proprijs ducibus minùs fidebant externum accire placuit. Spartam itaque profecti exſulum præcipui, Acrotatũ Cleomenis regis filium ad ſuſpiciendum Agrigentinorum imperium inducunt. Qui paucis cum nauibus Lacedæmone ſoluens, Ta- B
rentum appulit. Perſuaſiſque Tarentinis, vt ſocietatem ſecum contra Agathoclem inirent; triremes viginti ab illis in auxilium accepit. Atque hac cum claſſe Agrigentum perueniens; magna ciuium lætitia exceptus, plurimaque & ſplendida de ſe pollicitus, cunctos ſpe futurorum impleuit, ſed facta dictis haudquaquam reſponderunt, in luxuriã enim ſegniciemque prolapſus, ſuis pariter ac hoſtibus deſpectui erat. Volens itaque ſæuitia ſe a contemptu vendicare Soſiſtratum ad cenam vocatum inter epulas obtruncat. Hac eius perfidia irritati Agrigentini, imperio illi abrogato, eum lapidibus obruere conabantur: ſed ille vulgi furorem metuens, noctù conſcenſa naui Spartam profugit, atque ita C
Agrigentini duce deſtituti pacem cum Agathocle arbitro fœderis Amilcare faciunt. Agathocles autem poſtquam intellexit, Amilcarem accuſantibus ſocijs ob pacem ſecum factam damnatum a Carthaginienſibus, eoſdem bellum in ſe moliri: prævenire illos ſtatuens, conſcripto decem millium peditum, & trium millium equitum exercitu, in Meſſanenſes omnem belli tempeſtatem vertit. Cumque deuaſtatis eorum agris, ſi Syracuſanorum exſules expellerent, ſpem pacis illis feciſſet: Meſſanenſes voluntati ipſius obſequuti, pulſis exſulibus, ipſum cum exercitu in vrbem recipiunt. Agathocles collaudatis ciuium in ſe animis, primò benignè & humaniter illos habuit: poſt autem ad perfidiam D
ſuam reuerſus, vocatos ad ſe Meſſanenſium & Tauromenitanorum præcipuos, tanquam opera & conſilio ipſorum vſurus cunctos iugulari præcipit. Ad hunc modum in Meſſanenſes graſſatus, Agrigentum verſùs caſtra mouet, ſperans ſe & hanc in poteſtatem redacturum. Verùm vbi ſexaginta Carthaginienſium triremes eò appuliſſe cognouit, incepto deſtitit. Ceterùm Carthaginienſium ditionem latè populando peruagatus, aliquot eorum oppidula partim vi partim terrore in poteſtatem redegit. Quumque Dinocrates exſulum Syracuſanorum dux, ſocietate & viribus Carthaginienſium fretus, Galeriam vrbem inopinatò ad-

AGATHOCLES INTRAMESSANAM RECEPTVS.

A tò adortus, prodentibus eam ciuibus occupaſſet, Agathocles re intellecta, exercitum duce Paſiphilo ad eius conatus reprimendos eò mittit. Paſiphilus collatis cum Dinocrate ſignis, cæſo Philonide vno ex ducibus, prælio ſuperior, receptaque haud magno cum labore Galeria, in defectores animaduertit. Agathocles ea victoria erectus, exercitum in Carthaginienſes, qui Ecnomum præruptum in agro Gelenſi tumulum caſtris occupauerant, ducit. Ceterùm Carthaginienſibus pugnam detrectantibus, cum hiems inſtaret, exercitum in hyberna Syracuſas reduxit. Carthaginienſes eo rerum ſucceſſu intellecto, nouum contra Agathoclem exercitum duce Amilcare Giſconis filio mittunt. Sed is
B maxima copiarum parte naufragio amiſſa, ægrè cum reliquijs exercitus ſedata tempeſtate Siciliam tenuit. Agathocles nunciato hoſtium aduentu, Syracuſis egreſſus, Gelam verſus, in cuius agro Pœnos caſtramẽtatos intellexerat, copias ducit. Vbi ad hoſtes peruenit, caſtra ante Gelam communit, ſuperuacuum ratus vrbem per ſe ſatis firmam cum exercitu intrare. Ceterùm poſtquam intellexiſſet pleraſque è Gelenſibus clandeſtina cum hoſtibus de deditione conſilia inire, aſſumtis ſecum fortiſsimis quibuſque è ſuis, ac cum ijſdem Gelam ingreſſus, quattuor ciuium millia iugulari imperauit: tum quidquid auri argentiſque intra vrbem erat, edicto publico ſub pæna capitis ad ſe deferri iubet: at-
C que ita vrbem deſpoliatam ac cædibus exhauſtam præſidio munit. Poſthæc cum copijs egreſſus, tumulum præruptum cui Philario nomen erat, caſtris inſedit: hoſtibus ex aduerſo Ecnomum tenentibus: ita vt caſtrorum frontes ſibi inuicem reſponderent; medio inter vtraque caſtra fluuio; quem neutri tranſgredi audebant, oraculo deterriti, quod maximam ibi hominum ſtragem aliquando futuram præmonuerat. Agathocles tandem Carthaginienſium populationibus irritatus, prior pugnæ copiam facit: Martem vſque adeo fauentem primo congreſſu expertus, vt Carthaginienſes in caſtra propria cõpulſos oppugnauerit: verùm ſubitus caſus vti victos erexit, ita victores afflixit. Alter enim
D Carthaginienſium exercitus, inter ipſam pugnam ſuperueniens, Syracuſanos repente a tergo aggreſſus, in orbem pugnare coactos magna ſtrage fudit. Plurimùm inſuper ad Syracuſanorum calamitatem Himera fluuius contulit, nam quum plurimi contracta ex æſtu per dies caniculares ac defatigatione ſiti, aquam è flumine quod ſalſum erat, ad ſitim reſtinguẽdam auidiùs atque inconſultiùs haurirent, adeſis ſalſedine vitalibus expirarunt. Agathocles amiſsis ea pugna ſeptem ſuorum millibus, intra Gelam ſe recipit; vti hoſtem eius oppidi obſidione diſtineret, quò minus Syracuſas tecta peteret: ſimul vti Syracuſanis otium interea ſeſe cõmuniendi, frumentũque ex agris in vrbem comportandi

ſuppe-

ſuppeteret. Amilcar primò Gelam obſidere conatus, vbi vrbem cunctis ad tollerandam obſidionem neceſſarijs egregiè inſtructam cognouit; ſoluta obſidione bellum per agros Siculorum, qui Agathoclis partes ſequebantur circumtulit. Quumque illos qui ſe ſponte dederent benignè acceptos, tractaret humaniter; hac potiſsimùm ratione conſequutus eſt, vt Meſſanenſes, Tauromenitæ, Catanenſes, Camarinæi atque alij aliquot ab Agathoclis ſocietate ad eum deficerent. Agathocles ſociorum defectionibus vndique nudatus, Syracuſas ſe recipit: nequaquam tamen poſt tot clades animo fractus, bellum in Africam transferre ſtatuit: & quod victorem vix aliquis auſurum putaſſet, id victus aggreditur. Ceterùm veritus ne ſi cui conſilium ſuum aperuiſſet, a pluribus cognitum ad hoſtes emanaret; rem ſilentio diſsimulauit: id ſolùm coram populo profeſſus, inueniſſe ſe victoriæ viam: animos illi tantùm in breuem obſidionis moram firmarent, ſi cui præſens reipublicæ ſtatus diſpliceret, dare ſe illis abeundi poteſtatem. Quum mille & ſexcenti diſceſsiſſent, ceteros ad obſidionis neceſsitatē frumento & ſtipendio inſtruit. Habito inde delectu, ſexaginta naues milite impleuit; quumque Carthaginienſes valida cum claſſe portus exitum obſiderent; militem aliquot diebus intra naues continuit: tandem iam penè de exitu diffidentem fortuna inſperatò adiuuit. Conſpecta namque a Carthaginienſium ſtationarijs onerariarum claſsis, quæ commeatum Syracuſanis aduehebat, omnes relicta ſtatione ad ſe intercipiendam auertit. Quo viſo Agathocles quanta maxima potuit celeritate, fauces portus euadens, curſum in Africam dirigit. Carthaginienſes conſpecta hoſtili claſſe, quæ in altum tendebat, rati illam onerarijs ſuis auxilio venire, ſuam quoque ad pugnam inſtruūt; verū vbi Syracuſanos rectà præteruehi, & iā multū ſpacij proceſsiſſe vident progreſſos raptim perſequuntur. Interim onerariæ tutò Syracuſas peruectæ, vrbē omnium rerum copia impleuerunt. Agathocles verò ſuperuenientis noctis beneficio ex oculis hoſtium ereptus, poſtquam iam ſex diebus totidemque noctibus nauigaſſet; rurſus Carthaginienſium claſſem magna vi vt ſe aſſequeretur contendentem eminùs videt. Iam Africa in conſpectu erat, quum magno vtrinque ſtudio certatur; illis hoſtem antequā litore potiretur aſſequi conantibus: his ſolam ſalutis ſpem in eo ſitam credentibus, ſi hoſtem præuenientes in terram euaderent. Inuehebantur iam in extremas Syracuſanorum, Pœnorum anteſignani; quum illi magna contentione reiectis Pœnis (pauci enim aſſequuti manus conſeruerant) ad locum cui Latumiæ nomen eſt, claſſem appellunt: ac in terram egreſsi caſtra communiunt: nauesque in terram ſubductas ipſo hortante Agathocle ac primam facem in Prætoriam conijciente, exurunt. Carthagi-

AGATHOCLES BELLVM IN AFRICAM TRANSFERT.

AGATHOCLES IN AFRICAM TRAIICIT.

nien-

A nienſes nequicquam Agathoclis in Africam traiectum impedire conati, poſtquam proprias ipſum naues, exuſsiſſe viderunt, rati id deſperatione factum, primò contemtui illum habebant. Verùm vbi eundem agros paſsim populari: & vrbem Magnam expugnaſſe acceperunt, tanta Agathoclis audacia conſternati, nuncios Carthaginem, vnà cum nauium exuſtarum ferramentis qui rem ſignificent mittunt: ſed iam perceperant etiam in maius (vt ferè fit) rerum modò memoratarum famam Carthaginienſes, ex his qui cladem effugerant: ita vt deletũ prorſus ſuorum in Sicilia exercitum exiſtimantes, magno in timore eſſent. Verùm poſtquam exactius rem vti erat ex nuncijs intellexiſſent, animis receptis
B copias conſcribunt: ijsque Hannonem & Bomilcarem, mutuis pridem diſcordijs inter ſe diſsidentes, duces præficiunt: rati id è republica forè, illosque ex mutua æmulatione rem melius geſturos: ſed vanã eam ſpem fuiſſe euentus docuit. Bomilcar namque Tyrannydem affectans, quò facilius fractis aduerſa pugna ciuium animis voto potiretur; victoriam hoſtibus prodere ſtatuerat. Ceterùm vbi eductis Carthagine copijs duces Carthaginienſium in conſpectum hoſtium veniſſent aciem inſtruũt, dextrum cornu Hanno cum ſacra cohorte, in qua erant ciuium longé fortiſsimi; læuum Bomilcar cũ Afris auxiliarijs tenebat: equitatus cum curribus ante aciem vt hoſtium ordines turbaret conſtiterat. Agatho-
C cles perſpecta hoſtium acie, ipſe quoque ſuos inſtruit ac in dextro c ornu Archagathum filium cum mille quingentis auxiliarijs locat; medios autem Syracuſanos, qui tria millia erant, conſtituit: ipſe cum delectis contra ſacram Carthaginienſium cohortem conſiſtit. Vbi ad manus ventum eſt, ſumma vtrinque vi concurritur; primaque impreſsione funditur Pœnorum equitatus. Hanno vbi contra quàm ſperauerat hoſtem fortiter reſiſtere, fuſumque ab illis equitatum ſuum conſpexit; cum ſacra cohorte in medios hoſtes impetum facit; pugnam ipſe ante alios fortiſsime ciens: ſed dum ſe audacius in confertos ingerit, telorum multitudine obrutus cadit. Carthaginienſes amiſſo duce fortiſsimo, quan-
D quam animis fracti aliquando tamen adhuc reſtitere: donec Bomilcar cum integra ferè ſua acie in fugam ſe dedit, ſuosque in dextro cornu fortiſsimè pugnantes deſtituit: qui poſtquam ſe proditos deſertosque a duce ſuo viderunt, fuga præcipiti ad caſtra feruntur: hærent fugientium tergis Syracuſani, & vnà cum fugientibus in caſtra irrumpunt: Pœni caſtris captis, continuata per campos fuga diſperguntur. Cecidêre ea pugna è Carthaginienſibus mille, vt alij prodiderunt, tria millia: victores trecentos deſiderauêre. Agathocles tam inſperata victoria potitus, ducto verſus Tunetem exercitu vrbem occupat. Adrumetum inde progreſſus, cum oppidum prima impreſsione capere nõ potuiſſet, obſidione cingit.

AGATHOCLIS IN AFRICA CONTRA POENOS RES GESTAE.

Similiter & Carthaginienſes relictos apud Tunetem Agathoclis milites, A
in vrbem compulſos obſident. Id vbi Agathocli renunciatum eſt, par-
te copiarum Adrumeti relicta, collem vnde tam ab illis qui Tunetem
obſidebant quàm ab Adrumetanis conſpici poterat, cum paucis noctu
occupat ignesque quàm latiſsimè fieri imperat. Ita vno eodemque
ſtratagemate Carthaginienſes qui Tunetem obſidebant; ſimul & Adru-
metanos qui ab ipſius exercitu obſidebantur, fefellit. Illi enim Agatho-
ADRVMETVM ET THAPSVS A AGATHOCLE CAPTA. clem cum totis viribus ad ſoluendam obſidionem venire rati, relictis e-
tiam impedimentis in fugam ſe conijciunt: Adrumetani autem nouum
eſſe exercitum putantes qui Agathocli in auxilium veniret vrbē dedunt.
Ad hunc modum Agathocles Adrumeto potitus, Thapſum quoque B
expugnat; vrbesque alias partim per vim capit, partim promiſsis ad ſo-
cietatem allicit. Fracti tot cladibus Carthaginienſes, legatos in
Siciliam ad Amilcarem mittunt; qui eum de præſenti rerum ſtatu cer-
tiorem reddant: moneantque vt ſubſidium afflictæ tot calamitatibus
patriæ quàm primum mittat. Amilcar legatos vt acceptam cladem diſ-
ſimulent hortatus, rumorem ipſe in exercitu contrarium ſpargit: dele-
tum videlicet in Africa cum ipſo Agathocle Syracuſanorum exercitum.
Legatos deinde Syracuſas mittit, ciuibus vti vrbem dedant ſuadet. ſi
quam hactenus in Agathocle eiusque copijs ſpem habuiſſent, vti eam
deponant hortatur: deletum namque occidione cum illo vniuerſum ex- C
ercitum: naues omnes incenſas idque oſtenſis exuſtarum nauium fer-
ramentis confirmant. Credidêre id è plebe plurimi non intellecta frau-
de: magnoque ob eam calamitatem mœrore angebantur. Duces au-
tem quibus perſpecta ſuſpectaque erat Pœnorum calliditas, famam ver-
bis eleuabant: & dum metuunt ne qua hinc in vrbe ſeditio oriretur, om
nes quos erga Tyrannidem minus affectos nouerant, ex vrbe emigrare
compellunt: qui patria pulſi ad Amilcarem confugiunt. Ille exſulibus
benignè exceptis, cum vniuerſis copijs Syracuſas contendit: præmiſſa-
que legatione Atandro fratri Agathoclis reliquisque ducibus, ſi vrbem
dedant impunitatē pollicetur. Coacto ſuper ea re ducum ac primatum D
concilio, Atander qui magnitudine animi a fratre plurimum degene-
rabat, vrbem dedendam cenſebat. Contra Erimnon AEtolus qui A-
tandro fratri ab Agathocle conſiliorum ac rerum gerēdarum comes da-
tus fuerat, exſpectandum cenſuit; donec quid de Agathocle factum eſ-
ſet certò ſciri poſſet in quàm ſententiam ab omnibus diſceſſum eſt. Id
poſtquam Amilcar cognouit, machinas omne genus ad vrbem vi ex,pu
gnandam comparat. Interim qui ab Agathocle ad victoriam nuncian-
dam Syracuſas miſsi fuerant: eluſis hoſtibus qui magna contentione
illos inſequebantur, in portum Syracuſanum euaſerunt: Syracuſa-
nosque

A nosque nunciata victoria, resumtis animis in spem meliorem erexerũt. Amilcar postquam ob tam secundos in Africa successus Syracusanos ferocire, se autem contemtui esse vidit, ne tempus frustra tereret, exercitum ab vrbe deducit: & quinque militum millia in Africam Carthaginiensibus auxilio mittit. Agathocles interea, Elymum Afrorum regem, qui a se ad Carthaginienses desciuerat, prælio victum interficit: similiter & Carthaginienses, quòd auxilijs ab Amilcare missis aucti essent, congredi ausos superat. Sub idem ferè tempus Amilcar, subactis cunctis ferè Siciliæ vrbibus, rursus in Syracusanos mouet; somnio quo sibi Syracusis cenare visus fuerat confirmatus. Syra-
B cusani intellecto Amilcarem aduersus se iter habere, noctu tria peditum millia & equites quingentos, vrbe emittunt: eosdemque Euryclum tumulum vrbi vicinum præruptum vndique & præcipitem, ad transitum hostis impediendum occupare iubent. Vix occuparant locum Syracusani, quum Amilcar consilium suum hostes latere existimans, ad vrbem cum copijs mouet; vbi ad tumuli angustias peruenit, impediente semet in transitu multitudine clamor & tumultus in exercitu exoritur.

Syracusani intellecto e clamore hostium aduentu, notis sibi itineribus decurrentes, impetum vndique in hostes faciunt; plurimosque inopinata impressione turbatos in fugam auertunt. Pars tamen exhor-
C tante Amilcare, fortiter aliquandiu Syracusanos in se irruentes sustinuerunt. sed postquam Amilcar ipse itinerum peritia ab hoste circumuentus, captus est; tum demum omnes simul se in fugam conijciunt: plurimi in tenebris ex mutua ignorantia a proprio equitatu obtriti interierunt. Ita Syracusani tenebrarum beneficio, exigua cum manu centum vigintiquinque millia hostium, vt quidam scriptum reliquére, fuderunt. Tanta victoria exultantes, Amilcarem vinctum secum in vrbem adducunt: eumque cognatis eorum qui in bello ceciderant, tradunt: qui varijs prius ludibrijs inde & tormentis vexatum excruciatumque tandem interfecerunt: caput eius in Africam Agathocli missum. Agri-
D gentini qui id tempestatis inter Siculas Græcorum vrbes, opibus potentiaque florebant; dum Syracusanorum Pœnorumque vires mutuis conflictationibus affectas vident; ea occasione ad Siculas vrbes in libertatem vindicandas vti constituunt. Xenodicum igitur ducem creant: eumque validissimis cum copijs emittunt: Ille haud segniter imperio vsus, primò Gelam expulso Agathoclis præsidio in libertatem asserit. Ducto inde Herbitam exercitu, vrbem vi expugnatam necatis præsidiarijs in populi potestate relinquit. Mox & in Leontinorum agro castrametatus, expugnato castello ex quo Agathoclis præsidiarij decurrentes agros Leontinorum vastabant, illos quoque ab hac molestia liberatos in

AGRIGENTINI DVCE XENODICO SICVLAS VRBES LIBERAT.

ſocietatem accipit. Pari beneficio & Camarinæos affectos in partes A
ſuas traxit. Syracuſani tam felici Agrigentinorum ſucceſſu conſterna-
ti quum Carthaginienſibus mare infeſtum tenentibus, Agrigentinis
verò a terra inſtantibus, fame inſuper premerentur, neceſsitate adacti,
inſtructis triginta triremibus ad commeatus in vrbem conuehendos
enauigant. Verùm a Carthaginienſium claſſe in alto conſpecti, in-
curſioneque ab illis facta, amiſsis decem triremibus, reliqui vix fuga
periculum vitarunt. Agathocles poſtquam, qui Amilcaris
caput adferebant ad ipſum peruenirent, equo ad Pœnorum caſtra per-
uectus eminus quidem ſed vnde & illud conſpici, & ipſius dicta audiri
poterant, id illis oſtendit. Pœni tanti viri morte & clade exercitus B
adeò conſternati fuére vt nuſquam ex vallo prodire auderent. Ce-
terùm fortuna quæ benigna hactenus Agathocli affulſerat, conuer-
ti paullatim in deterius cæpit: parumque abfuit quin Agathocles a
militibus tumultuantibus occideretur; idque ea occaſione quam iam
referemus. Erat inter duces Lyciſcus vir bello egregius; hunc conui-
cia in Agathoclem patrem iacientem ægrè paſſus Archagatus dum in
tentorium ſe recipit interfecerat: hoc facto incenſi milites ad arma con-
uolant: Agathoclem, ni filium ad ſupplicium dedat, interfecturos ſe
minantur. Ille abiecto paludamento ſordidatus in medium progreſ-
ſus, milites vt filij adoleſcentiæ ignoſcant precatur: militibus autem C
magis magisque tumultuantibus, Agathocles enſem ſtringit quaſi
manus ſibi illaturus: quo viſo milites ne id faciat conclamant: ignoſ-
cere ſe filio. ille collaudata militum beneuolentia, imperatoriam veſtem
reſumit; mox in Carthaginienſes, qui audita ſeditione ad vallum pro-
greſsi milites ad deficiendum pelliciebant; eruptionem facit: & pauen-
tes multa cum cæde in caſtra compellit. Agathocles præ-
ter ſpem ab hoc periculo liberatus, relicto apud Tunetem Archagatho
filio delectis fortiſsimis quibuſque ex toto exercitu veſtigijs Carthagi-
nienſium, qui in Numidiam properabant & defectores ad officium re-
ducerent inſiſtit: eosque apud Numidas qui Zuphones nominabantur, D
aſſequitur. Carthaginienſes vbi hoſtem conſpexére in tumulo quo-
dam vndique aſpero & præcipiti, cuius radices flumine alluebantur, ca-
ſtra communiunt; hinc Numidarum equitatum qui hoſtes iter facien-
tes infeſtet, emittunt. Agathocles inſtructa acie, oppoſitiſque aduer-
ſus Numidarum equites ſagittarijs & funditoribus, ad Pœnorum caſtra
contendit. Pœni ex aduerſo relictis caſtris in prælium egreſsi Syracu-
ſanos in traiectu fluminis occupatos inuadunt; Syracuſanis autem for-
titer reſiſtentibus neutrisque primò congreſſu cedentibus, æquo diu
marte pugnatum eſt: donec victus tandem Syracuſanorum virtute Pœ-

nus

A nus in fugam vertitur: fuſos Syracuſani inſequuntur ac in caſtra confugientes oppugnant. Numidarum interea equites qui ſe hactenus ſpectatores pugnæ præbuerant; quum Agathoclem oppugnandis Pœnorum caſtris intentum, ſua ſine præſidio reliquiſſe viderent; Syracuſanorum impedimenta diripiunt. Id poſtquam reſciuit Agathocles, relictis Pœnis Numidas raptim perſequutus, partem prædæ recuperat, & quo milites qui ſua amiſerant ſolaretur, ſpolia hoſtium ipſis diſtribuit. Legatos inde ad Ophellam Cyrenarum regem qui inter commilitones Alexandri magni fuerat, & regnum ſua ſibi virtute pepererat mittit; offerens illi ſi Carthaginienſes eius auxilio viciſſet ſe Africæ im-
B perio ipſi ceſſurum; quippe quod non cupiditate, ſed neceſsitate ductus inuaſerit: contentum ſe, ſi in Sicilia tranquillè regnare poſſet; ſin augendi imperij cupiditate teneretur, vicinam ſibi Italiam eſſe; vbi virtutem ſuam experiri, quàm Africam tanto maris ſpatio a Sicilia diſiunctam tentare, facilius ſibi eſſet. His inflatus promiſsis Ophellas primùm ſocietatem cum Agathocle iungit: tum peditum decem millia & equites ſexcentos e regno ſuo cogit: quibus acceſſére extra ordinem auxiliariorum decem millia. Maximisque itinerum difficultatibus diu multumque fatigatus, ad Agathoclem tandem cum his quas diximus copijs peruenit. Agathocles Ophellæ obuiam profe-
C ctus, eundem humaniſsimè excepit; ſuppeditatis abundè omnibus quæcunque afflictis aduerſo itinere copijs neceſſaria erāt; verùm neutiquam diuturna hæc beneuolentia fuit; Agathocles namque qui inſidias Ophellæ moliebatur; obſeruato tempore, quo maxima eius militum pars lignatum aut pabulatum ſe contulerat; accuſare eum repentè vti proditorem apud exercitum cæpit: ita irritatis in eum omnium animis exercitum confeſtim contra Cyrenæos educit. Turbatus tam ſubita inopinataque conuerſione Ophellas, cùm fruſtra ſe defendere niteretur, in prælio cadit. Agathocles Ophellæ milites qui prælio ſuperfuerant, promiſsis conciliatos ſuis copijs adiungit. Interea temporis
D dum prælium inter Agathoclem & Ophellam committitur, Bomilcar Pœnorum dux Tyrannidem apud ſuos inuadit: ſed a Carthaginienſibus libertatem fortiter tuentibus captus, in crucem agitur. Agathocles verò auctus Ophellæ copijs Vticam per vim expugnat: & cæde promiſcua vſque ad innoxiam ætatem, ne illis quidem qui ad templa arasque confugerant parcens, deſæuit; Multus præterea cum maritimis tum mediterraneis oppidis potitus, rebus in Africa proſperè ſuccedentibus anxius de Siciliæ ſtatu in eandem traijcere ſtatuit: & relicto in Africa Archagatho filio cum reliquis copijs, duo militum millia in naues imponit ac in Siciliam nauigat. Xenodicus interim

AGATHOCLIS CVM OPHELLA CYRENARVM REGE SOCIETAS.

VTICAE AGATHOCLE CAPTA.

Agrigentinorum dux, qui compluribus Siciliæ vrbibus in libertatem aſ- A
ſertis ſpem ceteris fecerat, fore vt tota breui Sicilia liberaretur; exercitum decem millium peditum & mille equitum contra Leptinem & Demophilum Agathoclis præfectos educit. Leptines & Deinophilus cùm octo millibus peditum & ducentis, equitibus verò mille ducentis obuiam tendunt. Prælio commiſso vincitur Xenodicus, deſideratis haud amplius mille quingentis è ſuis. Hac tantilla clade Agrigentini perterriti a pulcherrimo liberandæ Siciliæ incepto deſtitére. Agathocles qui iam in Siciliam appulerat; victoria ſuorum erectus; Heracleam, quæ iugum excuſſerat, rurſus ad officium reducit. Inde Thermenſes qui Pœnorum imperio parebant, in deditionem accipit: Apol- B
loniam vi expugnat: eodem modo & Cæphaledio potitur. Conatus præterea Centoripam occupare, a ciuibus magna cum ſuorum cæde reijcitur. Dinocrates interim exſulum imperator, quum libertatem recuperare volentibus, ſe ducem fore profiteretur; affluentibus vndique ad eum militibus, validas breui copias coegit: & Agathoclem, quòd hoſtibus impar eſſet, cedendo eludentem, veſtigijs eius inſiſtens conſectatur. In Africam Archagathus poſt patris diſceſſum, cupiens egregij aliquid per ſe præſtare, Eumachum cum parte exercitus ad vlteriora Africæ ſubigenda dimittit. Is proſpera fortuna vſus, expugnata Tocas vrbe, Numidas finitimos imperata facere coe- C
git: ducto inde ad Phellinas oppidum exercitu, idem deditione in poteſtatem accepit. vlterius progreſſus Aſphodelarum populum ſubegit: mox & Meſchelam vrbem quæ a Græcis qui Troiam expugnauerant originem repetebat, capit, atque ita cum exercitu ſpolijs onuſto ad Archagathum reuertitur. Cognita viri virtute Archagathus, aliò rurſus Eumachum cum copijs emittit: qui in Pithecuſarum gentem (qui quòd ſimias vice deorum venerabantur id nominis a Græcis acceperunt) profectus primariam illorum vrbem per vim expugnat, mox gentem vniuerſam ſponte in deditionem venientem in ſocietatem accipit. Car- D
thaginienſes intellectis tam ſecundis Syracuſanorum ſucceſsibus, exercitum trifariam diuiſum contra illos emittunt. Archagathus audito hoſtium conſilio, ſuum ſimiliter exercitum in tres partes diuidit. E quibus vnam duce AEſchrione in mediterranea aduerſus Annonem Pœnorum ducem mittit: alteram maritima tueri iubet, reliquos ipſe relicto Tuneti valido præſidio, ducit. Tribus igitur hinc inde exercitibus per Africam vagantibus, arrectæ erant omnium mentes quà in ſpem, quà in metum futurorum. Primus inter alios Anno AEſchrionem ſibi oppoſitum per inſidias adortus, quatuor militum millia cum ipſo duce interfecit. Alter Pœnorum dux Himilco Eumachum, qui exercitum

AGATHOCLIS IN SICILIAM REDITVS.

DINOCRATES EXVLVM SYRACVSANORVM REX.

ARCHAGATHI IN AFRICA RES GESTAE.

præda

A præda onustum trahebat, simulata fuga ad insidias perttractum cum omnibus copijs cæcidit. triginta tantum ex octo millibus ad Archagathum fuga elapsis. Accessit ad hanc calamitatem, quòd omnes pænè socij relictis Agathoclis partibus ad Pœnos transierant. Archagathus collectis ijs qui cladem euaserant, militibus, Tunetem se recipit: & misso in Siciliam nuncio Agathoclem quo in periculo res sit edocet; oratque vt rebus afflictis quàm primùm subsidio properet. Agathocles vbi suorum cladem resciuit, septem & decem triremes milite complet: ac Leptine toti Siciliæ præfecto, ipse omnibus ad nauigationem necessarijs iam præparatis, tempus ad enauigandum idoneum exspectat: triginta Car
B thaginiensium triremibus eius egressum obseruantibus. Inde noctu duodeviginti sociorum triremes, insciis Carthaginiensibus ad Agathoclem venerunt: qua ille occasione lætatus, iubet socios quãprimùm ipse pugnam cum Pœnis inijsset, illos a tergo inuadere, atque ita in altum euehitur: cumque insequerentur Carthaginienses, Agathocles conuersis repentè proris hostes a fronte inuadit: instantibus a tergo (vti iusserat Agathoclis) socijs, Carthaginienses ancipiti malo circumuenti in fugam vertuntur, cadit in prælio Pœnorum dux; idque sua manu ne viuus in hostis potestatem veniret. Ita fugatis Carthaginiensibus, liberum deinceps mare Syracusani ad commeatus in vrbem conuehendos habuêre.
C Agathocles nauali victoria lætus, Leptinem ad deuastandos Agrigentinorum agros mittit: qui imperata strennuè exsequutus, quum ad vrbis vsque muros terrorem intulisset, Xenodicum Agrigentinorum imperatorem ad manus secum conferendas prouocabat: quo certamen detrectante ciues indignati, ignauiam illi exprobrabant. Hinc cum non tam spe victoriæ quàm pudore coactus copias in aciem eduxisset, amissis peditibus quingentis, & equitibus sexaginta prælio superatur. Quam ob cladem, quum ciues sibi infensos, eorumque oculis se notari videret, relicta vrbe Gelã profugit. Agathocles superatis terra mariq; hostibus. cõuocatis amicis & Syracusanorũ optimatibus sacrificia celebrat: mox ad
D epulas & hilaritatẽ cõuersus, cunctis in quem cumq; volebant dicteria iaciendi, liberã potestatem concedit: ita vt ne sibi quidem parci vellet. Sed funestæ quam plurimis hæ epulæ fuere: Nam dum vino animos faciente liberius in Tyranni vitam dicterijs ludunt, exitium sibimet crearunt. Agathocles namque nemine sinistri aliquid suspicãte aut metuente oẽs repente mercenario milite cinctos ad vnum interfecit. Hac ciuium laniena perpetrata rursus in Africam nauigat; quò vbi peruenit, cum summam omnium rerum in castris inopiam, tum ipsos milites frequentibus cladibus animo deiectos inuenit. Hinc cum in solo felicis prælij euentu omnem sibi spem reliquam intelligeret, quàm primùm manus cũ hoste con-

AGATHOCLIS ALTERA IN AFRICAM EXPEDITIO.

ſte conſerere optabat. Id quum Carthaginienſes minimè lateret, ne A
vel inuiti cum hominibus deſperatis & qui in ſolis dextris ſpem habe-
rent, dimicare cogerentur, in locum munitum, vbi vel pauci multos
arcere potuiſſent, ſeſe receperant. Agathocles itaque poſtquam nul-
lam ab hoſte pugnandi copiam fieri videt, ſumta ex deſperatione auda-
cia, caſtra Pœnorum oppugnare aggreditur; Ceterùm milite fruſtra fa-
tigato ac tribus de exercitu ſuo millibus amiſsis, loci potius iniquitate,
quàm virtute hoſtium ſuperatus. Nocte quæ hanc pugnam inſequu-
ta eſt vterque exercitus caſu mirabili detrimentum accepit. Cartha-
ginienſes namque quum captiuos ex more Saturno immolarent, flam-
ma repentè inualeſcens proximum aræ tabernaculum; mox & Præto- B
rium corripuit: inde totis ſe paſsim caſtris (quod tentoria ex arundine
confecta idoneum igni nutrimentum præbebant) incendium diffudit:
Ingens igitur conſternatio milites ſubitò inuaſit: plurimis ex his dum
ſua eripere & ignem reſtinguere conantur, flamma interceptis: alijs au-
tem, qui vt incendij violentiam effugerent ex caſtris proruperant, in diſ-
crimen priori maius prolapſis. Afri namque vſque ad quinque mil-
lia, qui ſub Agathoclis auſpicijs militauerant, vt ad Pœnos tranſirent,
veniebant: hos Pœnorum vigiles rectà ad caſtra ſua tendere conſpicati,
ſuſpiciatique hoſtes eſſe, ad arma conclamant. quo facto conſternati
qui in caſtris erant, in fugam ſe ſubitò effundunt: multique in tenebris C
pro hoſtibus a ſuis habiti, cæduntur. nec ante pauoris aut fugæ finis
fuit, quàm Carthaginem peruentum eſſet. Ciues fugam ſuorum è
mœnibus conſpicientes, portas fugientibus raptim aperiunt: vixque or-
to demùm die, quum neminem hoſtium conſequi viderent, animos re-
ceperunt. Simili pænè modo & Agathoclis exercitus cladem ſenſit. A-
fri enim transfugæ quos iam diximus, quum incendium ac tumultum
in Pœnorum caſtris vidiſſent non auſi vlterius progredi, retro vnde ve-
nerant gradum retulere. Quos poſtquam Siculorum quidam con-
ſpexiſſent, hoſtem venire ſuis nunciant, hinc orto tumultu ad arma Sy-
racuſani diſcurrunt, ac nullo ordine ex caſtris prorumpentes, palatique D
per tenebras, incerti quos peterent, in ſuos arma vertunt: atque exorta
demum luce errore intellecto in caſtra reuertuntur. hac tam inani con-
ſternatione, Pœni quinque millia ſuorum, ſiculi quatuor deſiderarunt.
Agathocles cognita Afrorum a ſe defectione, quum hac inſuper clade
vires ſuas affectas, ſeque imparem deinceps ad fortunam prælij cum Pœ-
nis tentandam non ignoraret, Africam relinquere ſtatuit: ſed quia na-
ues ad exercitum traijciendum deerant, concilium ſuum milites celauit:
aſſumptoque clam noctu iuniore filio Heraclide (Archagati enim fero-
ciam ſuſpectam habebat; verebaturque ne poſtquam in Siciliam perue-
niſſet,

A niſſet, res nouas contra ſe moliretur) ad mare contendit. Non latuit eius fuga Archagathum: qui indignitate rei commotus, quòd ſolus inter infeſtos ad cædem a patre proderetur; militibus rem aperuit. illi re intellecta fugientem perſequuti, comprehenſum cum Heraclide filio in caſtra reduxerunt. Ceterùm quum rumor in exercitu ortus eſſet, aduentare hoſtes, panicus terror caſtra inuaſit; omnesq; incerti quē ducem ſequerentur, armis raptim ſumptis, extra vallum proceſſerunt. vbi qui Agathoclem vinctum habebant, quum illum vti erat compeditum produxiſſent, moti ad miſerationem eo ſpectaculo milites, liberari eum vinculis iuſſerunt. Ille ſtatim vt liberatus fuit, nulla filiorum

AGATHOCLIS EX AFRICA IN SICILIAM FUGA.

B ratione habita, clam ſe proripuit: & conſcenſa cum paucis ſcapha in Siciliam nauigauit. Id vbi in caſtris cognitum, haud ſecus quàm ſi ab hoſte capti fuiſſent, omnes trepidauére: bis ſalutem ſuam a rege ſuo proditam, ſeque medijs in hoſtibus deſertos conclamantes, qui ne cæſi quidem in terra hoſtili inſepulti relinquendi fuerant: & interfectis prius Agathoclis filijs ad hoſtes deficiunt. Carthaginienſes poſt Agathoclis fugam, omnibus quas ille occupauerat vrbibus, partim vi, partim deditione potiuntur. Agathocles autem vbi in Siciliam peruenit; aſſumta copiarum parte ad AEgeſtam vrbem, ſociam proficiſcitur: & quod exhauſto bellis ſuperioribus ærario re pecuniaria deſtitue-

C retur, ditiſsimos quoſque AEgeſtanorum, maximam fortunarum partem ſibi tradere coegit. Quod vbi plurimos indignè ferre atque hinc contra ſe tumultuari vidit, cunctos ciues defectionis inſimulat: eductoſque extra vrbem inopes quidem ad vnum omnes iugulat: ditiores verò ad indicandam quæ ipſis reliqua erat, pecuniam varijs tormentis prius excruciatos, ſimiliter interficit. Nec a feminarum quoque locupletum cruciatibus abſtinens, quorundam calcanea forcipibus dilaniat, alijs vbera præcidit. denique nullum ſæuitiæ aut crudelitatis exemplum in miſeros ciues prætermittit. Nec his ſatiatus, pueros ac virgines AEgeſtanorum in Italiam miſsas vendidit: vrbemque ipſam nomine pri-

D ſtino ſpoliatam, pro AEgeſta Dicæpolim appellauit; eamque tranſugis incolendam tradidit. Cognita deinde filiorum in Africa cæde, Syracuſas ad Atandrum fratrem mittit; iubetque vt omnium qui in Africa ſint neceſſarios obtruncet. Paruit ille fratris mandato, ita crudeliter eius iuſſa exſequutus, vt non feminis, non ſenibus decrepitis, imò ne innoxiæ quidem ætati pepercerit, tantusque fuit occiſorum numerus; vt quum necatorum corpora in mare proijcerentur, mare per dies aliquot cæſorum ſanguine purpuraſceret. Quodque grauiſsimum erat, occiſos, nec affinis nec amicus ſepeli-e, imò ne deflere quidem eam calamitatem audebat; veritus ne ſi aliquam cum interfectis neceſsitudinem

AEGESTA DICAEPOLIS AB AGATHOCLE APPELLATA.

habere deprehenſus fuiſſet, vnà necaretur. Dum hæc Syracuſis aguntur; Paſiphilus vnus ex Agathoclis præfectis, intellecta eius quam in Africa acceperat calamitate, cum exercitu & ciuitatibus ſuæ fidei commiſsis ad Dinocratem exſulum ducem deficit. Conſternatus hac defectione Agathocles; miſsis ad Dinocratem legatis, offert ſe Tyrannidem depoſiturum, ſi Thermæ tantum & Cephaledium ſibi cum agro ſuo relinquerentur. Reiecit tamen has conditiones Dinocrates: quumque identidem cum ijſdem mãdatis legati ad ipſum reuerterẽtur, rem in aliud ſemper tempus differendo extrahebat. Quod vbi vidit Agathocles, miſsis ad exſules Legatis, Dinocratem accuſat, per illum ſtare quo minus illi libertate & patria potirentur. Inde pacem cum Carthaginienſibus his conditionibus facit; vt illi cunctas vrbes quæ illorum ditionis ante hoc bellum fuiſſent, reciperent: ipſe viciſsim pro earundem vrbium redemtione, trecenta talenta, & tritici ducenta millia medimmum a Pœnis acciperet. Ceterùm quum ab exſulibus pacem nullis conditionibus impetrare poſſet, prælio cum ijſdem congredi, quamquam copijs longè inferior, conſtituit. Peditum quinque millia in armis habebat; equites non plures octingentis: cum his copijs ad Gorgium, quo loco Dinocrates caſtra habebat, profectus, eundem ad prælium prouocauit. Nec detrectauit pugnam Dinocrates, contemta copiarum eius paucitate: & cum vigintiquinque peditum & tribus equitum millibus, in aciem ex aduerſo proceſsit. Pugnatum vtrinque acerrimè; his virtute, illis multitudine ſuperantibus: tandem Dinocratiani poſtquam duo millia ex ipſorũ acie ad Agathoclem tranſfugiſſent, rati plures tranſijſſe, territi in fugam ſe conijciunt. Agathocles inhibitis a perſecutione militibus, legatos ad exſules mittit: hortatur vt relicta diſcordia, armisque depoſitis pacem ſecum faciant, & in patriam ad vxores & liberos reuertantur. His verbis decepti multi exſulum relicto tumulo in quo tutò conſederant, in plana ad Agathoclem deſcenderunt: quos quum ille armis prius nudatos armatis cinxiſſet; omnes ad ſeptem vſque millia interfecit. Hac exſulum cæde perpetrata, pacem cum Dinocrate facit; eumque parti copiarum præficit: & inuiolatam exinde amicitiam cum eodem vſque ad mortem conſeruauit. Dinocrates in amicitiam ab Agathocle receptus; ſocias omnes Tyranno prodidit: & Paſiphilum Gelæ comprehenſum interfecit; Gelamque ipſam in Agatholis poteſtatem redegit. Agathocles compoſitis Siciliæ tumultibus, cum claſſe in Corcyram inſulam traijcit, eamque ſubactam cum Lanaſſa filia Pyrrho Epirotarum dotis nomine regi tradit. In Italiam inde contra Bruttios copias tranſuexit, qui poſtquam fama atque opinione potentiæ eius territi, legatos pro pace ad eum miſiſſent;

AGATHOCLIS PACEM CVM CARTHAGINIENSIB. FACIT

EXSVLVM SYRACVSANORVM CAEDES.

CORCYRA AB AGATHOCLE SVBACTA.

A sissent; ille tam diu legatos apud se detinuit, donec vniuersum ex Sicilia exercitum traiecisset. Ceterùm haud diu ea fraude lætatus paucis post diebus grauissimo morbo correptus, in Siciliam redire coactus est. Accessit ad hoc mali & alia calamitas: bellum enim inter filium & nepotem ipsius ortum, regnum in duas partes distraxit; his filio, illis nepoti eius fauentibus; occiso tandem filio regnum nepos occupat. Agathocles itaque super inualescentis morbi vim, tanto domestico vulnere afflictus, desperata salute Theogenam vxorem & duos paruulos ex ea genitos ad se vocat; eosque statim cum vxore in nauim in quam & pretiosissimam omnem suppellectilem comportari fecerat, impositos in AE-
B gyptum mittit, nec multò post coniugis liberorumque discessum, annos tum natus nonaginta quinque; naturæ concesit. Habeo auctores qui interitum eius aliter referant: nempe illum quum templum Vulcani apud Liparenses donarijs spoliasset, amissa per naufragium classe, ægrè cum paucis euasisse: suspicatumque Deorum ira id sibi euenisse, sponte se in ignem præcipitasse.

AGATHOCLES MORITVR.

IERONOS.

C. HIERO II. HIEROCLIS F. SYRACVSARVM REX.

VArijs post mortem Agathoclis belli cladibus Sicilia lacerata est: hinc Pœnis, inde Syracusanis Insulæ imperium ad se trahẽtibus. His tertij accessere Mamertini dubia inter vtrosque fide nutantes. Syracusani crebris prælijs a Carthaginiensibus superati, Pyrrhum Epiri regem, qui per id tempus cum Tarentinis aduersus Romanos bellum gerebat, in auxilium euocauére. Is statim ex Italia in Siciliam transgressus, Syracusanos Pœnorum obsidione liberauit. Erycem Carthagi-
D niensium ditionis oppidum, natura munitissimum per vim cepit: ac Pœnos tota pænè Sicilia expulit. Ceterùm quum ob frequentes victorias superbia elatus, grauior indies Siciliæ immineret: Theonemque qui tradendarum Syracusarum auctor fuerat, ex sola suspicione occidisset, ciuitates Siciliæ certatim ab illo deficientes; partim Pœnis, partim Mamertinis sese adiungunt. Turbatis itaque sociorum defectionibus Pyrrhus, Sicilia decedere statuit: vtque id honestius facere posset, Litteras se accepisse simulauit; quibus a Tarentinis in auxilium aduocaretur. Amissa itaque æquè facile quam eandem antea acquisierat, Sicilia, in Italiam reuertitur & Mamertinos ex itinere se infestantes prælio

PYRRHI REGIS IN SICILIAM ADVENTVS.

HIERO HIERROCLIS PRAETOR SYRACVSANVS.

ſuperat. Poſt Pyrrhi ex Sicilia profectionem Hiero Prætor creatur: cuius hoc in magiſtratu tanta humanitas & moderatio fuit, vt conſenſu omnium primo dux aduerſos Mamertinos, inde rex crearetur. Futuræ in illo maieſtatis eius educatio prænuncia fuit. Patre namque Hierocle, qui originem ſuam a Gelone primo Syracuſanorum rege repetebat, & matre ancilla genitus, ne materni generis ſordes notam tam claræ familiæ inurerent, a patre expoſitus fuerat: ſed paruulum & humanæ opis indigentem, apes congeſto circa iacentem melle, per dies aliquot aluiſſe traduntur. Quo de prodigio conſultis aruſpicibus, acceptoque reſponſo regnum filio portendi, pater infantem recolligit; & in ſpem futuræ potentiæ diligenter ali præcipit. Eidem in ludo inter æquales diſcenti, lupus tabellam, in turba puerorum repentè conſpectus eripuit. Adoleſcenti quoque prima bella ineunti, aquila in clypea, noctua in haſta conſedit. Quod oſtentum conſilio prouidum, manu ſtrenuum, & regem quandoque futurum præſignificabat. Multoties ſingulari certamine congreſſus, ſemper victor diſceſſit: a Pyrrho etiam donis militaribus ob virtutem ſæpius ornatus, forma quoque corporis inſignis; & vires inſuper miraculo fuére. In colloquio facilis, in negotio iuſtus, in imperio clemens erat: prorſuſque nihil illi regium præter regnum deeſſe videbatur. Hiero itaque vbi primùm imperator creatus eſt, quò opes ſuas firmaret, cum Leptine viro opibus & potentia inter Syracuſanos præcipuo, ducta in matrimonium eius filia, affinitatem contrahit. Et quum videret veteranos Syracuſanorum milites ad ſeditionem & res nouãdas admodum procliues, quò Rempublicam ab hac moleſtia liberaret, expeditionem in Mamertinos, qui Meſſanam partim eiectis; partim necatis ciuibus occupauerant, edicit. eductisque ex vrbe Syracuſana copijs, ad Centoripam quo in loco hoſtes erant, caſtrametatur: facta inde hoſti pugnandi copia, ac veteranis in prima acie collocatis, ipſe a tergo cum Syracuſanis lento gradu ſubſequitur: idque eo conſilio vt interuallo in medio relicto veterani facilius ab hoſtibus circumuenirentur, nec aliter quàm ſperauerat euenit. Mamertini namque feroci impetu in acie frontem illati, poſtquam neminem loco cedere, ſed obnixè contra ab illis reſiſti viderunt; ſinuata pauliſper in medio acie, veteranos a tergo clauſerunt, & in orbem coactos telis vndique obruerunt. Hiero interim alio cum Syracuſanis itinere profectus, omnes incolumes in vrbem reduxit. Et quum videret Mamertinos ſtolidè hac victoria exultantes; Syracuſanos tanquam victos contemtui & ludibrio habere, eductis ex vrbe Syracuſanorum lectiſsimis quos ipſe in militari diſciplina exercuerat, ad Longanum fluuium manus cum Mamertinis conſerit; eosque poſt grauiſsimam

MAMERTINI AB HIERONE DEVICTI.

A mam hinc inde cædem ſuperat: & præcipuos illorum duces in prælio capit. Qua victoria quum Mamertinorum inſolentiam retudiſſet, Syracuſas reuerſus communi ciuium ſuffragio rex ſalutatur; Olympiadis centeſimæ & vigeſimæ tertiæ anno ſecundo. Mamertini rebus ſuis afflictis auxilium a Carthaginienſibus petiuére; atque arcem illorum fidei ſeruandam commiſére. Ceterùm haud multò poſt tempore, quum Pœnorum potétiam & perfidiam ſuſpectam haberent, auxiliũ per legatos ſupplices a Romanis rogarunt: quod vbi ſe impetraſſe intellexére, Carthaginienſium præfectum dolo circumuentum vrbe ſimul & arce eijciunt: vrbemque in populi Romani poteſtatem dedunt.

HIERO REX SALVTATVS.

B Carthaginienſes præfecto præſidij, quòd eius ignauia arcem amiſſam cauſarentur in crucem ſublato, Meſſanam terra mariq́ue obſidione claudunt. Hiero autem vbi Carthaginienſes in Mamertinorum excidium animatos cognouit, occaſionem veniſſe ratus, qua gentem barbaram & indomitam, penitus delere, aut Sicilia eijcere poſſet, fœdus cum Carthaginienſibus percutit: ductoque ad Meſſanam vrbem exercitu, ad Chalcidicum montem caſtrametatur. Interim Ap. Claudius conſul Romanus eluſis Pœnorum nauibus, qui eius traiectum obſeruabant; Meſſanã noctu peruenit & miſsis poſtero die ad Hieronem pariter & ad Pœnos legatos, tentauit num æquis conditionibus pacẽ inter ipſos com-

MESSANA A CARTHAGINIENSIBVS OBSESSA.

C ponere poſſet. Ceterùm quum vtroſque obſtinatius in ſententia perſiſtere, & auerſos a pace eorum animos conſpiceret; eductis & vrbe copijs, Hieronem ſeorſim inuadit: nec detrectauit ille certamen pugnatum vtrinque acriter: ſed tandem ſuperior virtute militum Romanus, ceſa maxima regiarum copiarum parte, regem ipſum ad caſtra vſque fugientem inſectatus eſt. Hiero eo prælio Romanorum virtutem expertus, proxima nocte deſertis caſtris, Syracuſas plenus pauoris ac metus redijt. Ap. Claudius cognita regis fuga, fugientem inſequitur, deuaſtatoque paſsim hoſtili quà ſibi iter erat, agro; Syracuſas obſidione cingit. Romani cognitis proſperis ſuorum in Sicilia ſucceſsibus, nouos

SYRACVSAE A ROMANIS OBSESSAE.

D conſules M. valerium & C. Octacilium, in Siciliam cum quatuor legionibus mittunt. Hiero autem vbi Romanorum vires in Sicilia inualeſcere & fractos aduerſo prælio ſuorum animos vidit: miſsis ad Conſules legatis, pacem petit. Exhilarati eo nuncio Conſules, quòd magni exiſtimarent Hieronem ex hoſte, Populo Romano amicum reddere: pacem cum illo ijs conditionibus componunt: vt rex captiuos Romanos quos in vinculis habebat, abſque pretio dimitteret: argenti talenta centum penderet. Firmata ad hunc modum cum Romanis pace, eandem Hiero per quinquaginta, quibus regnauit annos, inuiolatam conſeruauit, Romanisque tutiſsimum in rebus aduerſis ſubſidium, & amicus fi-

PAX INTER ROMANOS ET HIERONEM.

diſsimus fuit. Finito demùm primo bello Punico, cum Pœni Roma- A
norum armis fracti, tota illis Sicilia ceſsiſſent; & domi grauiſsimo mercenariorum bello, quo Reſpublica Carthaginienſium ad extrema pænè deuenit, premerẽtur. Hiero cum e re ſua eſſe putaret, ſi Carthaginienſium potentia non penitus excinderetur ne Romani illorum metu in totum ſublato immodeſtius ſe erga ſocios gererent, claſſem commeatu & armatis inſtructam, Carthaginienſibus ſubſidio miſit. Ceterùm cum pace per Siciliam parta, regni eius opes florerent ad ornandam rempublicam Syracuſanam conuerſus, humanum ſe erga omnes & affabilem exhibuit nihilque a priuatis habitu differens, ſine vllo ſatellite in publicum prodibat: controuerſias ciuiũ magna cura; nec minori iuſtitia finiebat. Quum- B
que artificioſis ſumptuoſisque nauium conſtructionibus haud mediocriter delectaretur; vnam præ ceteris conſtruxit, cuius cum magnitudo, tum artificium cunctis miraculo fuit: proditur in huius ædificatione inſumpſiſſe materiã quæ ſexaginta triremibus ſuffectura fuerat, quæ a trecentis artificibus præter reliquam miniſtrorum & operarum turbã, duodecim demùm menſium ſpatio abſoluta eſt. Tantam nauigij molem frumento onuſtam, quòd magnam in AEgypto annonæ caritatem eſſe intellexiſſet, Alexandriam Ptolomæo regi tranſmiſit. Tripodem inde aureum ex auro illaborato Apollini Delphis muneri miſit. Auctores tradunt, Hieronem Pyrrho Epirotarum regi primùm hoſpitio, deinde C
& affinitate iunctum fuiſſe: ac Gelonem Hieronis filium Nereida Pyrrhi filiam in vxorem duxiſſe. Ceterùm quum poſt diu infidam inter Pœnos ac Romanos pacem, bellum rurſus longè grauiſsimum inter eos exarſiſſet: quo Italia vniuerſa per quindecim annorum ſpacium, duce Hannibale crudeliſsimè a Pœnis lacerata, & vaſtata, & res Romana in extremum pænè excidij periculum prolapſa eſt, fideliſsimè ſe erga Romanos Hiero, vti deinceps proſequemur geſsit. Poſt prælium ad Trebiam commiſſum, Carthaginienſes claſſem, cum ad deuaſtandam Italiæ oram, tum ad Siciliam inuadendam inſtruxerant. Verùm tempeſtate inter nauigandum exorta, nauibus fluctuum & ventorum vi a ſe inuicem di- D
uulſis, nouem ex illis Liparas, octo Vulcani inſulam tenuére; tres æſtus in fretum auertit. Has duodecim triremes ab Hierone qui tum fortè Meſſanæ Sempronium Conſulem operiebatur, immiſſæ nullo repugnante captas in Meſſanenſium portum pertraxére. Cognitum ex captiuis, præter viginti nauium claſſem è qua ipſi eſſent, quæque ad depopulandam Italiæ oram, miſſa fuerat, quinque & triginta alias quinque remes ad ſollicitandos veteres ſocios Siciliam petere: Lylibæique occupandi præcipuam illis curam eſſe. Hæc ſtatim vt cognita erant, Hiero AEmylio Prætori, cuius tum prouincia Sicilia erat, præſcribit: monetque vt firmo

A mo præſidio Lilybæum tueatur: hanc namque vrbẽ præcipuè Pœnos petere. Id poſtquam ÆEmilio renunciatum eſt, intentiorem vbique cuſtodiam adhiberi, & Lilybæum firmo præſidio muniri curauit. Prælio inde nauali ad Lilybæum inter Pœnos Romanosque commiſſo, ſuperior Romanus fuit: captæ ſeptem naues Punicæ, & in his milites mille ſeptingenti. Necdum hoc cognitum Meſſanæ erat, quum Ti. Sempronius Conſul Meſſanam venit: fretũ intranti rex Hiero cum claſſe ornata obuiam proceſsit: tranſgreſſusque è naui regia in Prætoriam aduentũ Conſuli cum incolumi exercitu gratulatur. ſtatum inde inſulæ & Carthaginienſium conatus exponit: pollicitusque ſe quo animo bello priore po-

HIERONIS IN POPVLVM ROMANVM BENEFICENTIA.

B pulum Romanum iuuenis adiuuiſſet: eo ſe ſenem adiuturum: frumentum in naues, veſtimẽta militibus & ſocijs naualibus gratis præbiturum; grande periculum Lilybęo, maritimiſque ciuitatibus eſſe oſtendit & quibuſdam res nouare volentibus, occaſionem non defuturam. Sempronio itaque minimè cunctandum viſum eſt, quin mox Lilybæum peteretur: Conſul igitur & rex cum claſſe regia ſimul profecti; cum inter

C nauigandum pugnatum ad Lilybæum fuſasque & captas hoſtium naues intellexiſſent, Conſul Melitam inſulam, Hiero Siciliam cum claſſe ſua repetijt. Poſtea quum Hiero Romanos grauiſsimam rurſus cladem apud Thraſimenum fluuium accepiſſe cognouiſſet, claſſem cum commeatu & mille ſagittarijs ſimul & victoriam auream pondo trecẽtorum viginti Romanis in ſubſidium miſit. Legati regij in Senatum introducti retulerunt, cladem exercitus Romani Hieroni allatam, adeo eum affeciſſe; vt nulla regni ſui clade magis indolere potuerit: itaq; quanquam probè ſciat rem Romanam, admirabiliorem rebus aduerſis quàm ſecundis eſſe: miſſa tamen a rege omnia; quibus a bonis fidelibusque ſocijs bella iuuari ſoleant: quæ ne abnuant magnopere ſe patres conſcriptos orare. Legatis actæ gratiæ & a ſenatu reſponſum eſt. virum bonum, fidumque ſocium Hieronem eſſe: atque vno tenore quo in amicitiam po

D puli Romani peruenerat; fidem ſemper ſeruaſſe; ac rem Romanam in omni tempore munificè ab illo adiutam. Ceterùm quum poſt prelium ad Cannas commiſſum, rurſus noua claſsis a Pœnis in Siciliam ad deuaſtandum Hieronis regnum miſſa eſſet; Senatus Romanus per T. Octacilium Prætorem de regis periculo certior factus, quamuis affectiſsimis tum ob cladem Cannenſem reipublicæ viribus, claſſem tamen Hieroni ſubſidio miſit. cui in ſe beneuolentiæ vti gratiam referret Hieron; T. Octacilium prætorem frumento & ſtipendio in ſex menſes iuuit. Gelonem quoque filium, qui audita Romanorum ad Cannas clade; contemta patris ſenectute ad Pœnorum partes ſe contulerat: iamque vrbes aduerſus Romanos armare cæperat; ne fœdus eius temeritate

HIERONIS REGIS OBITVS.

ritate violaretur, per insidias sustulisse creditur. Non multò post filij mortem; iam nonagenario maior, anno regni quinquagesimo, Hieronymo ex Gelone filio nepote, quindecim annorum puero successore regni relicto moritur. Traditur ante mortem in animo habuisse Syracusas liberas relinquere; ne sub dominatu puerili, regnum bonis artibus firmatum euerteretur. Sed huic consilio obstitêre filiæ; ratæ nomen quidem regium penes puerum fore; regni autem administrationem & imperium penès se virosque suos Andronodorum & Zoilum: hos enim tutorum primos Rex testamento dederat, victus itaque assiduis filiarum precibus Hiero, inceptum mutauit. Tutores enim quindecim puero reliquit: quos precatus est moriens, vt fidem erga populum Romanum, a se per annos quinquaginta cultam, inuiolatam conseruarent: puerumque suis pertinacissimùm vestigijs insistere assuefacerent. Hæc vbi mandasset exspirauit. Funus eius a ciuibus magna cura & pietate celebratum suis pænè neglectui fuit. Populo quoque Romano memoria ipsius ita grata fuit, vt captis postmodum a Marcello Syracusis, nihil æquè Syracusanis ad meliores pacis condiciones a Senatu Romano impetrandas profuerit; quam Hieronis memoria ac fidei erga Po. Ro. integritas. Hieronem solus omnium auctorum Pausanias insidijs Dinomenis Syracusani occisum scribit: quod tamen verum non esse, vel hinc animaduerti potest, quod nulla eius rei mentio apud Latinos Scriptores exstet: neque enim illi (Liuius præsertim) rem tanti momenti in Rege socio populi Romani prætermissuri fuisse videntur.

A B C

IEPΩNYMOY.

HIERONYMVS GELONIS F. SYRACVSARVM REX.

MOrtuo Hierone, tutores Hieronymum quindecim annorum puerum in concionem producunt: recitatum inde Hieronis testamentum; paucis qui ad excitandos clamores in concione dispositi erant, id approbantibus: ceteris animo parum læto excipientibus; qui conspecta immatura Hieronymi ætate, verebantur ne animus iuuenilis regno per se gubernando impar ad deteriora inclinaret. Ceterùm Andronodorus reliquis statim tutoribus remotis, Hieronymum iam iuuenem & regni potentem esse dictitans, ac proinde tutela quæ sibi cum pluribus communis erat, deposita, cunctorum in se solum potentiã conuertit. vix vlli etiam bono moderatoque regi, in tanta ciuium erga Hieronem beneuolentia ac charitate succedenti, facilis ad fauorem apud Syracu-

D

A racusanos via futura erat. Verùm Hieronymus quasi vitijs suis aui desiderium etiam magis excitare vellet; primo statim initio quantũ ab eius humanitate differret, ostendit. Nam qui per tot annos Hieronem eiusque filium Gelonem, non veste aut alio quouis insigni a ceteris ciuibus differre vidissent; purpuram repentè, diadema, & satellites armatos conspexére: quadrigisque albis vti Dionysius Tyrãnus antea solebat, Hieronymum è regia procedentem. Hunc tam superbum apparatum, habitumque consimiles sequebantur mores: contemtus omnium hominum, superbæ aures, contumelioſa dicta, aditus non modo alienis, sed & tutoribus difficilis: hinc factum est vt multi tutorum metum supplicij morte aut voluntario exsilio præuerterent. Sunt & auctores qui referant, eum primò assentationibus Osis parasiti corruptum ad imitationem Dionysij Tyranni diadema & purpuram assumsisse. Nec his contentus vnam ex ancillis cui Pitho nomenerat, in matrimonium duxit: eamque diademate ac reliquo vestitu regio ornatam, reginam salutari voluit. Crescente itaque indies fastu & superbia societatem Romanam abrumpere, seque ad Pœnorum partes conferre cogitabat: sed distrahebatur in diuersa animus trium potissimùm contentionibus. Andronodorus enim & Zoilus eum ad Pœnorum societatem inclinare; Thraso verò his contrarius in Romanorum fide atque amicitia, retinere conabatur. Indicatur interim per Calonem quendam coniuratio in Hieronymi caput facta: Calo enim a prima pueritia Hieronymo intimus fuerat. Is vnum tantummodo ex coniuratis Theodorum, a quo ad facinoris societatem se sollicitatum fatebatur; indicare potuit: qui cõprehensus statim, atque Andronodoro ad torturam traditus, de se haud cunctanter fassus, conscios celabat. Postremò quum omnibus, supra quàm humana potentia tollerare posset, tormentis laniaretur, victum se malis simulans, a conscijs ad innoxios indicium vertit, Thrasonem eius consilij auctorem mentitus: nec enim aliter quàm tanto socio confisos vnquam rem aggredi ausos fuisse. Nominat deinde & alios ex Tyranni amicis, quorum nomina inter tormenta doloresque occurrére. Maximam indicio fidem Thrasonis nomen apud Hieronymum fecit. Itaque extemplò ad supplicium traditur: additi pænè & alij iuxta insontes. Coniuratorum nemo dum torqueretur Theodorus, aut latebras quæsiuit aut fugit; tantum illis fidei in Theodori constantia fuit: tantaque eius in conscijs celandis fortitudo. Thrasone itaque iam sublato, qui solus semper obstiterat, quò minus Hieronymus Pœnis se adiungeret; haud dubiè iam res ad Pœnos inclinabant. Missi statim ad Hannibalem legati: ac remissi ab eo cum Hannibale nobili adolescente, & Hippocrate & Epicide, qui Pœni materno genere, nati Carthagine, sed Syra-

HIERONYMVS REX

CONIVRATIO IN HIERONYMVM DETECTA.

cuſis oriundi erant, auo ſcilicet exſule Syracuſano. Per hos iuncta ſocie- A
tas inter Hannibalem & Hieronymum: nec inuito Hannibale cum Hie-
ronymo manſerunt. Ap. Claudius, cuius tum Prouincia Sicilia
erat, vbi hæc intellexiſſet, Legatos quam primùm ad Hieronymum mi-
ſit: qui cum ſe ad renouandam ſocietatem quæ inter Romanos & eius a-
uum interceſsiſſet, veniſſe dicerent per ludibrium auditi ſunt, percun-
ctante per iocum Hieronymo, quis euentus prælij ad Cannas fuiſſet, vix
credenda enim Hãnibalis Legatos referre, velle ſe quid veri ſit intelligere:
vt inde maturè rebus ſuis conſilium caperet. Romani contra cum ſe-
riò Legati audirẽtur ſe redituros dicentes; admonito potius quàm roga-
to Hieronymo, ne fædus cum Romanis ab auo Hierone percuſſum vio- B
lare vellet, diſcedunt. Poſt Romanorum diſceſſum, ſtatim Legati a Hie-
ronymo Carthaginem miſsi, ad fædus cum illis ex Hannibalis ſocietate
ineundum. Pacto itaque inter eos conuenit, vt quum Pœni Romanos
Sicilia pepuliſſent (quod breui futurum ſperabant) Himera amnis qui
mediam fermè inſulam diuidit; Punici Syracuſanique imperij limes eſſet.
Sed inflatus adulatorum aſſentationibus Hieronymus, qui eũ non Hie-
ronis tantùm, ſed & Pyrrhi materni aui (natus enim ex Nereide Pyrrhi fi-
lia fuerat) meminiſſe iubebant: aliam rurſus legationem Carthaginem
mittit: qua petebat, vt deuictis Romanis Italiæ imperium Pœnis; ſibi au-
tem Sicilia vniuerſa cederet. Conceſſum & hoc a Carthaginienſibus C
eſt: nihil recuſantibus, quò illum a ſocietate Romana auerterent. Ce-
terùm poſt hæc omnia in eius exitium præcipitia fuére. nam poſtquam
præmiſsis Hippocrate & Epicide cum duobus armatorũ millibus ad ten-
tandas Romani imperij vrbes, ipſe cum reliquo exercitu qui quindecim
millium erat in Leontinos profectus eſſet: coniurati qui omnes tum for
tè militabant, ædes viæ anguſtæ imminentes, qua Hieronymo ad forum
eunti tranſeundum erat, occupauerant. Ibi quum reliqui inſtructi ar-
matique tranſitum ipſius exſpectãtes ſtarent; vni ex ſatellitibus, cui Indi-
gemini nomen erat, hæ partes datæ ſunt: vt cum vicinus huius ædis ianuæ
rex eſſet, per ſimulationem aliquam ſubſequentem a tergo turbam in an D
guſtijs moraretur. Vti conuenerat ab Indigemine factum eſt: tanquam
abſtricto nodo laxaret pedem, turbam moratus tantum interualli fecit;
vt in prætereuntem ſine armatis regem impetus fieret: confoderetur que
prius aliquot vulneribus quàm ſuccurri poſſet. Orto hinc clamore ac
HIERONYMI CAEDES. tumultu, in Indigeminem obſtantem tela a ſatellitibus coniecta; ita ta-
men, vt duobus duntaxat vulneribus acceptis euaſerit. Hic exitus Hie-
ronymi poſt decimum quintum regni ſui menſem fuit. Satellites cæde
regis conſpecta alij aliò diffugiunt: percuſſores verò partim in forum ad
multitudinem parta iam libertate exultantem, partim Syracuſas ad præ-
uenien-

A ueniendum Andronodorũ properant. Sed iam perceperat Andronodorus rei geſtæ famam, atque Inſulam firmo ſtatim præſidio muniuerat. Ceterùm poſtquam multitudinis in recuperanda libertate conſenſum cognouit, non auſus obſiſtere, ſimulato ſe quoque libertati fauere, collaudatisque percuſſoribus; claues inſulæ in populi poteſtatem tradit: pro quo beneficio, Prætor cum Themiſtio, qui Harmoniam Gelonis filiam in matrimonio habebat; & alijs aliquot creatur, verùm haud diu in fide permanſit: inſtigante namque Damarata vxore, Hieronis filia, atque aſſumto in ſocietatẽ Themiſtio Tyrannidem occupare tentauit. ſed prodito per Ariſtonem (nam & huic rem omnem communicauerat) Andro-
B nodori conſilio, præuentus vnà cum Themiſtio occiditur. Nec contenti eorum cæde Syracuſani, vxores ſimiliter vtriuſq; Damaratam Hieronis, & Harmoniam Gelonis filias immiſsis percuſſoribus, interfecêre. Erat & altera Hieronis filia Heraclia Soſippi vxor: qui voluntario exſilio Tyrannidem Hieronymi vitauerat. Ea quum ad ſe quoque percuſſores venire præſciſset; in ſacrarium ad penates cum duabus filiabus virginibus confugit: diuque per Hieronis patris, & Gelonis fratris manes percuſſores obteſtata, ne ſe innoxiã Hieronymi inuidia conflagrare ſinerent, ex cuius regno nihil præter exſilium viri haberet; poſtquã in vanum ſe preces effundere vidit, vt ſaltem puellis parceretur orare inſtitit, a qua ætate
C etiam hoſtes irati abſtinerent. néue Tyrannos vlciſcendo ſcelera quæ odiſſent ipſi imitarentur. Ceterùm cum nihil proficeret, Heracliam a penetralibus abſtractam iugulant: cædique matris etiam filiarum cædem addunt. Hic exitus Hieronymi Tyrannorum vltimi cum tota familia fuit, quæ poſt eius interitum acta ſunt; & quomodo Syracuſæ in Romanorum poteſtatem peruenerint, in Syracuſarum deſcriptione proſequuti ſumus.

HISTORIAE VRBIVM ET POPVLORVM MAGNAE GRAECIAE ET ITALIAE.

HVBERTI. GOLTZII HERBIPOLITAE
VENLONIANI CIVIS ROMANI.

A



QVIDEM benigne lector, quum ea Græcorum numiſmata quorum populi ſedes in Italia habuerunt, in ordinem aliquem digerere conſtituiſſem,
B putabam me haud omnino abſurdè facturum, ſi quidquid vrbium aut populorū pecuniam Græcorum elemẽtis ſignaſſet, aut etiam Græcæ in Italia originis eſſet, ſub Magnæ Græciæ nomine com- MAGNA GRAECIA.
plecterer. Neque enim eam ad tam anguſtam nominis rationem atque Magna Græcia a priſcis incluſa fuit, coarctandam putauimus; ſed eius vocis vſum, ob rei argumentum latiſsimè per totam Italiam diffuſum, largius nobis eſſe vſurpandum: idque vti non ſine æqui lectoris vtilitate & commoditate, ita haudquaquam contra nobiliſsimorū ſcriptorum auctoritatem; quando Strabo ipſe non Italiæ ſolùm magnam Græciam
C incluſit; ſed & in Siciliam vſque extenſam fuiſſe prodidit. Ad hæc obſeruo Italiam non vno tantùm loco, ſed variis regionibus & vrbibus à Græcis cultam & frequentatam fuiſſe. Adde quòd quemadmodum Italia, vti nunc, ita & olim nobiliſsima totius Europæ regio, non vniuerſa ab initio Italiæ nomine donabatur; ſed hi tantum qui Iſthmum inter Laum flumen, ſinum Hipponiatem ſiue Napitinum; ac Scyllaticũ incolerent, Itali (qui ijdem & OEnotrij olim) vocabantur. ita æquiorem nobis fore lectorem putauimus, ſi nunc magnæ quoque Græciæ nomine paullò largiùs ob cauſſas prædictas vſuri ſumus. Quare vt Italiæ non vna totius appellatio olim fuit; ſic nec vnam quoque commu-
D nem omnium fuiſſe poſſeſsionem facillimè obſeruari poteſt. nam Heſperia, Auſonia, Saturnia, & demum quoque vt iam diximus, Italia partium tunc, non totius appellationes fuerunt: quas partes, vt in monumentis rerum geſtarum traditum eſt, alij alias ab initio tenuerunt; Siculi, Tyrrheni, Vmbri, Ligures, OEnotrij, Peucetij, Aborigines, Pelaſgi. Quorum alij iterum huius regionis indigenæ fuiſſe; alij aliunde, & ex Græcia plerique in hanc terram omnium iam tum rerum copia affluentem traieciſſe ſcribuntur. Verùm vt eorum quiſque venerit, vt bella pacemque cum finitimis fecerit, nobis hoc loco non eſt conſilium ſcribere: id vbi opportunitatis ex numiſmatibus occaſio ſeſe offeret, non

omiſſuri: nam vti eorum temporum non ſatis explorata memoria eſt, A
ita quæ de iis Antiqui prodiderunt, fabulis quàm hiſtoriis ſimiliora videntur. Adde quòd parum conſentanea, atque adeo pugnantia inter ſe ſæpe tradant; vt vix probabile quidem, quod in tam diſcrepantibus rebus adferas, quidquam inuenias. Ceterùm ex officio nobis facturi videbamur, ſi primùm Italiam paucis, vt à natura; & à populorum iure diſtincta deſcriberemus. Natura enim intra mare & Alpes eam in Trianguli formam (ſi bono in primis auctori Polybio credimus) vt eius apex Maſsiliam quoque perſtringat, incluſit. Verùm & hoc addamus, Italiam à Populo Ro. propriè vocatam fuiſſe, quidquid ad ſuperum mare Rubicone; ad inferum Arno fluminibus claudebatur, vti ex traden- B
tium auctoritate conſtat. Ligures, Gallos, Venetos, Carnos ob eam cauſſam, quòd in Prouinciæ formam incluſi erant, ab eo nomine excludebant. ſed ipſum Polybium qui Scipioni AEmiliano, & deletæ Carthagini æqualis ſcripſit, audiamus. Tota, inquit, Italia in trianguli ſpeciem eſt formata: eius latus vnum quod ad orientem ſolem ſpectat, Ionio, ac deinceps Hadriatico mari terminatur: alterum verò quod ad meridiem, Siculo, & Tyrrheno: ex quibus inter ſe coeuntibus, apex trianguli efficitur. in meridiem proiectum promontorium quod Cocinthus appellatur, Ionium à Siculo mari diſtinguit: tertium verò latus quod Septemtrionem & mediterraneam regionem intuetur, deinceps Alpium cre C
pidine circumſcribitur: quæ à Maſsilia & ijs quæ ſupra Maſsiliam ſunt locis initium ducit. & continenter vſque ad intimum Hadriæ ſinum extenditur. Apud ipſam autem, de qua dixi, crepidinem Alpium (quã etiam quaſi baſem trianguli appellare licebit) à meridie ad ſeptemtrionem ſubiecti ſunt campi totius Italiæ vltimi, qui bonitate & magnitudine omnibus qui in Europa ſunt antecellunt. Vniuerſa verò ea linea, qua hi campi definiuntur, ſpeciem trianguli format: cuius apex ab Alpiũ & Apennini montis concurſu non longè à Sardonio mari ſupra Maſsiliam figuratur. Laterum autem vnum à Septemtrione vt ſupra dixi, Alpes ſunt; quæ ad ducenta ſeptuaginta quinque paſſuum millia porri- D
guntur, alterum verò à meridie Apenninus, qui ad quadringenta quinquaginta. baſim autem totius figuræ litus Hadriatici ſinus affingit: cuius magnitudo eſt à Sena oppido in intimum ferè ſinum, vltra CCCXII. millia: adeò vt horum camporum ambitus, non multum à mille ducentis quinquaginta, millibus paſſuum differat. Quocirca, ſi Italiæ terminos ſecundùm naturam propagatos ſequemur; hos Italiæ populos numerabimus: Ligures, Gallos, Venetos, Carnos, Etruſcos, Latinos, Campanos, Lucanos, Græcos, Apulos, Frentanos, Picentes, Vmbros, Sabinos, Veſtinos, Marſos, Marrucinos, Pelignos, & Samnites. Quòd

ſi ex

ITALIA.

A si ex iure, quo Italiæ populi cum Romanis vel fœdere vel amicitia sociati; vel legibus quoque donati sunt, Italos distinguemus; futurum est, vt eos in tres tantum populos distributos fuisse obseruemus. in Latinos, Italicos, & Prouinciam Galliam. Atque vt ius illud omne à fœdere manabat, erantque fœdera alia alijs æquiora; ita non eadem omnes populi cõdicione sunt vsi; sed alij aliis meliore vel deteriore. quæ si per premiorum gradus distinguantur, optima erat ciuium Romanorum siue iuris Quiritium condicio: aliquãto incommodior Latinorum: infra Latinos Italicorum: durissima verò prouinciarum. Latinitatis siue Latij iuris præcipuæ partes erant, vt ius suffragij Romæ non in tribu certa, sed ex magi- LATII IVS.

B stratuum arbitrio haberent: & quod summum erat, qui ius Latij habebat, is si apud Latinos magistratum quæsturam aut AEdilitatem gessisset, ius ciuitatis Romanæ assequebatur. Populi quoque qui ius Latij habebant, suis à prætoribus non à Romano magistratu administrabantur. atq; hoc ius populi latini fuit, vsq; ad annum ab vrbe condita DCXCIV. quo ex lege Iulia ius ciuitatis vniuerso Latio datum est. Italicum ius neque suffragij lationem habebat; neque per Magistratus administrationem ciuitatem assequebatur. Ceterum Italici magistratibus suis & legibus, non Prætori Romano, vt prouinciæ parebant. ITALICVM IVS.

Prouinciæ ius præcipuè in eo versabatur, quod ijs leges domesticæ adi PROVINCIARVM IVS.

C mebãtur & pro ijs aliæ à Romanis dabantur: regebanturq; à prætore qui ius de rebus priuatis dicebat; caussas verò publicas cũ concilio cognoscebat, & imperium cũ belli gerendi potestate habebat. Hæc de iure populorum Italiæ paucis hîc a nobis adscripta sunt & per compendium, vt quoties de iure Latij, Italico aut prouinciarum in libris antiquorum occurret, intelligi quid scriberetur possit. Ceterùm vt numismata nostra variè per Italiam eiusque regiones sparsa populos quos nuncupauimus contingant, operæ precium me facturum arbitratus sum si ea occasione vsus paucis vniuersam Italiam per populos & limites suos (veluti si eam per itinerarium obirem) distinctam simul etiam agros eorum &

D vrbes, quantum ad rem propositam opus esset, complecterer; confidens eo consilio me tum priscorum monumentis magnam lucem, tum luculentum rebus nostris compendium esse allaturum. Atque a Latinis quorum agris etiam Roma cis Tiberim imposita erat, exorsi obseruamus duplex fuisse Latium, vetus & nouum.

Vetus Latium ab occasu Tiberi & Etruscis: a Septemtrione Aniene & Sabinis, Vsente flumine & Volscis ab oriente; Tusco mari a meridie terminatur. atque in eo fuisse populos, Albanos, Rutulos, Volscos, & AEquos quos & AEquicolas vocabant. LATIVM VETVS.

Volsci quidem ferè versus mare, citra & vltra Vsentem flumen oppida xviij. te-

xviij. tenuerunt: inter quæ præcipui nominis & maritima Antium, & A
Anxur ſiue Tarracina & Sueſſa Pometia.

LATIVM NOVVM. Latium nouum ad Septentrionem Anio, Sabini & Marſi; ad ortum Samnites & Campani; ad meridiem mare a Circeijs ad Lirim continebat: cuius populi Oſci, Auſones, & Hernici.

Auſones propriè dicti fuerunt Aurunci inter Volſcos & Campaniam ſiti: quorum oppida Minturnæ, Veſcia & Auſonia fuerunt. e quibus Minturnas ad Lirim ſitas Stephanus Sannitibus adſcribit.

CAMPANIA IN TRES REGIONES DIVISA. Latio Campania eſt adiuncta.

Campaniam a Liri amne ad Vulturnum; a Vulturno ad Sarnum; a Sarno ad Silarim antiqui produxerunt. quare tres Campaniæ partes a B veteribus inſtitutæ, vna quam Auſones, Aurunci, Sidicini, & Campuani tenuerunt: altera, quam Cumani & Opici: tertia, quam Nucerini.

Prima ad mare Sinueſſa (quæ & Synope ante dicebatur) & Vulturno oppidis frequentata erat, intus autem Gauro, Maſsico & Falerno montibus, campo Stellate, Sueſſa Aurunca; Calibus, Caſsino, Teiano Sidicino, Venafro, Calatia, Callicula, Trebula, Caſilino cum ſilua Gallinaria, & capite ipſo regionis Capua.

Secunda ad mare Linternum oppidum cum fluuio; Cumas, quas Dionyſius in Opicis collocat; Miſenum, Baias, ſinum Lucrinum & Auernum habebat: tum Puteolos, Neapolim & Heracleam, omnes in eo C ſinu qui Crater dicitur: intus verò Atellas, Abellam, Sueſſulam, Acerras, Veſuuium montem, Nolam & Pompeios.

Tertia ad mare oppida habuit, Stabias, Surentum & Mineruæ promontorium: intus Salernum Nuceriam & Picentiam. Obſeruo etiam agrum a Surrento ad Silarim flumen, Picentinis huc ex aduerſo Adriatrici litore traductis fuiſſe per xxx. P. M. attributum.

LVCANIA Lucani a Silari fluuio ad Laum vſque tenuerunt: ad mare quidem Pæſtum ſiue Poſsidoniam, Palinurum promontorium, Veliam, Buxentum; intus Thebas Lucanas interijſſe Cato auctor eſt. & Pandoſiam Theopompus apud Plinium. Ceterum Lucaniæ caput Petiliam fuiſſe D obſeruo. Lucaniam attingit ea regio quam Græci magna ex parte incoluerũt: eadẽ in tres partes diuiſa fuit, Bruttios, Meſſapios, & Salentinos.

BRVTTII. Bruttij (vt ſuo loco dicemus) genus hominum agreſte, & fugitiuum, expulſis Græcis occuparunt eam partem quæ quondam OEnotria & Italia dicta inter duos ſinus Hipponiatem, in Tuſco mari & Scyllaticum in Ionio erat: Iſthmumque illum a Lao flumine ad Metapontum vſque tenuerunt: ſicuti ex Annochi auctoritate Strabo prodit.

Deinceps occurrit regio quæ Iſthmo eſt incluſa a Tarento ad Brundiſium: quam Meſſapiam, Iapygiam, Calabriam, & Salentinam varijs nominibus

A nominibus appellarunt:quanquam alij eandem in duas partes,Strabone atteſtante,diſtribuant. Vnam in qua Tarentum, quam Calabriam & Meſſapiam; alteram in qua Brundiſium quam Salentinos, ſiue vltimã Iapygiam nominarunt.

Ceterùm quod ad Magnam Græciam attinet, eius limites nonnulli multò anguſtiores,Ptolemæum Pliniumque ſequuti conſtituunt. Ab Alece enim flumine in Rheginorum agro, quidquid agrorum aut opidorum a Locrorum ſinu itidem Scyllatio vſque ad Tarentum circa Ionij maris oram continebatur, Magnæ Græciæ ſolùm adſcribunt. Si vera eſt Antiochi ſententia quam Strabo profert, Græcorum limites a

B Lai fluminis in ſinu Hippomate oſtio vſque ad Alecem flumen ſecundum Tyrrheni maris oram multò longius Italiæ ſpatium, quàm ſecundùm Ionij maris litora occuparunt. Sin etiam ex eadem ratione veros Bruttiorum fines aſsignauerimus,neceſſum eſt maritima eorum fuiſſe Tempſam,Terinam Metaurum fluuium,Scyllæum promontorium, Rhegium,Leucopetram, Herculeum promontorium, Alecem flumen Rheginorum agrum dirimens a Locrenſi,Bruttium,& Zephyrium promontoria, & ſupra Locros cognomento Epizephyrios Mamertinum caſtrum:vnde Mamertini qui Meſſanam fraude occuparunt nomen ſortiti ſunt vt nonnullorum eſt opinio. Item Caulloniam, Scyllatium,

C Lacinium promontorium,Crotonem,Sybarim,Thurios, quorum oppidum deducta Colonia Copiæ appellationē accepit: tum & Lagariam vrbem,Acirim & Sirim flumina,ac poſtremò Metapontum. Intus verò Numiſtrum,Conſentiam,Hipponem,Heracleam,quæ & Siris vocata eſt;& vt Straboni placuit Pandoſiam. In altera huius regionis parte a Tarento Brundiſium terreſtri itinere XXXII. P. M. opida per continentem ſunt a Tarento Vria,Meſapia, Aletium.in ora verò Galeſus flumen,& Tarẽtum,Senonum Gallipolis, Iapygium ſiue Salentinum promontorium, in quo Leuca, mox vnde breuiſsimus eſt in Græciam traiectus ab Hydrunte in vltimam Iapygiam ſecundum Adriatici maris

D oram Brundiſium,vtrunque a Ptolomæo Calabriæ iuxta mare Ionium adſcriptum.Hydruntem Plinius a Brundiſio quinquaginta M.P.diſiungit. Poſt Salentinos Apuli a Brundiſio ad amnem Fiternum vſque agros tenuerunt. Obſeruo Apulorum duo fuiſſe genera: Vnum quos Peucetios,itidem Iapygas & Pediculos vocarunt; quorum oppida ſecundum mare,Barium,Egnatia,Rhudia:amnes Pactius & ex Hirpinis montibus defluens Aufidus,mediterranea autem Venuſia & Cælia.

MAGNA GRAECIA.

APVLIA DVPLEX.

Alterum Apulorum genus, quos Daunios & Meſſapygas cognominabant,in qua oppida ſecundùm oram Salapia,Sipus,Apeneſte,Garganus mons,Hyrium,inde Fiternus flumen.mediterranea Teanum cogno

mento Apulum, Luceria Colonia, Arpi, Canuſium oppida. Addit A
Strabo, eos qui ſinum iuxta Garganum montem incolunt Apulos proprie fuiſſe appellatos.

FRENTANI. Poſt flumen Fiternum quod Apuliam terminare diximus, ſequebantur ad mare Frentani, vſque ad Aternum flumen; a quo deinceps Picentes ſunt: ita vt inter Apulos & Picentes nulli alij populi quàm Frentani fuerint interiecti. In ora flumen Trinium portuoſum: oppida Iſtonium, Buca, Ortona, Aternus amnis. intus verò Anxanum & Larinum.

PICENTES. Vltimi vt diximus Italiæ, ſi a populorum iure diſtinguantur, circa Adriatici maris oram Picentes erant, qui ab Aterno amne ad AEſin maritima tenebant. in quibus opida maritima veterum ſcriptorum te- B
ſtimonio celebrata Caſtrum, Cupra maritima, Truentum, Nomana, Ancona. intus Cupra montana, Firmũ & Aſculũ vtrumq; cognomento Picenum: Hadria colonia, & ager Prætutianus. Deducti ex his agris Picentes, in aduerſo Tyrrheni maris litore inter Sarnum & Silarin flumina, vt ſuo loco meminimus conſederunt. Ceterùm deinceps oram Italiæ maritimam, eiuſque fines & limites ſecundum ſitum paucis proſequemur. vltra AEſim flumen Galli Senones vſque ad Rubiconem habitarunt. hanc regionem primùm Liburni coluerunt; eos expulerunt Siculi; Siculos Vmbri; Vmbros vt ex Catone Plinius teſtatur Etruſci. Poſt Senones ex tranſalpina Gallia profecti Tuſcis exactis re- C
gionem occuparunt, & Senogalliæ nomine ab ijſdem appellata eſt: in qua hæc opida præcipuè floruerunt, Sena, Fanum fortunæ, Piſaurum, Ariminum. Sed poſtquam Romani & hanc partem deiectis aut debellatis Gallis in poteſtatem redegiſſent; placuit vt Italia, quæ eò vſque AEſi flumine intercluſa fuerat, ad Rubiconem vſque produceretur. Poſtea vero extincto omni Gallorum nomine, Vmbriæ propter affinitatem hæc pars attributa eſt. quod ex Strabone, Valerio Maximo atque alijs patet.

GALLIA TOGATA SIVE CITERIOR. Sequebatur vltra Rubiconem Gallia citerior quæ & Togata appellata eſt: quæ quidquid montium Camporumque & agrorum mari Li- D
guſtico flumine Arno ad mare inferum, Adriatico ſinu Rubicone & Formione fluuijs ad ſuperum mare terminabatur & conuexa prope Alpium crepidine incluſum erat, continebat. Mare hanc vt diximus a meridie claudebat. Alpes a Meſsilia in orbem prope per vada Sabatia, Taurinos, Salaſſos, Rhætos, Comum, Brixiam, veronam, Vicetiam, Opitergium, Aquileiam & Tergeſte vſque in ſinum Adriaticum ductæ, Septemtrionem & occidentem claudebant. ſinus ipſe & hinc Rubicon, illinc Formio duo flumina Orientis partem definiebant.

Ceterùm quidquid agri ab occidente Atheſi, ab Oriente Adriatico, a

Septem-

A Septemtrione vt ait Strabo, Natiſone flumine; a Meridie Pado comprehenſum eſt, id totum Venetorum fuit: eaque regio vniuerſa Venetia eſt. VENETIA.

A Natiſone vſque ad Formionem Carni erant; quorum opida Aquileia, Concordia, Tergeſte. CARNI.

Galliam vero Citeriorem, Apenninus ferè mediam diſcriminabat, & flumen magnum Padus, qui ex montis Veſuli fonte in Alpibus ortus ex Apennino celebrati nominis octo, alia ex Alpibus vndecim recipit; pluribuſque in ſinum Adriaticum oſtijs erumpit.

Ligurum, vt ait Dionyſius, natio antiquiſsima & regio latiſsima fuit, LIGVRES. partemque non modicam Galliæ vlterioris & Italiæ inſedit. Qui ci-
B tra Apenninum habitarunt in Montanos & Maritimos diſtincti fuerunt.

Montani a Nicæa, vnde Apenninus attollitur, vſq; ad fontes Macræ pertinuerunt. a Macra verò vſque ad Arnum Ligures Apuani.

Maritimi a Maſsilia vſque ad Piſas, vt Polybius ait, conſederant. quæ ora opida habuit Herculis fanum, Lucum Feroniæ, Lunam. & poſt Macræ fluminis oſtium, Genuam, vada Sabatia, Albingaunium, Albiũ, Monæci portum, Herculis portum, & Italiæ finem Varum. Intus opida pauca, caſtella plurima. in ijs Luca, quæ ante Etruſcorũ ait fuiſſe Liuius, & poſtea Ligurum.

C Etruſci ſequuntur poſt Ligures a Piſis opido Romam vſque; qui ETRVSCI. quidquid agrorum inter Arnum & Tiberim flumen erat, inſidebant. Etruriæ verò opida circa maritimam oram celebrari obſeruo, Alſium, Pyrgos, Tarquinios, Grauiſcas, Coſam, Volcas, Telamonem promontorium, Populoniam, Volaterras & Piſas. Interius populi erant, Veientes, Falerij ſiue Faliſci, Capenates, Vulſinienſes alijque multi apud veteres celebrati.

Hactenus itaque eos proſequuti ſumus populos, qui Italiæ oram inſiderant, ac ſiue Tuſcum, ſiue Siculum, ſiue Ionicum, ſiue Adriaticum
D mare attingebant: reliquum eſt vt paucis quantum ad noſtrum pertinet inſtitutum, eos qui mediterranea tenebant referamus.

Vmbros (vt inde exordiamur) Sempronius a frontibus Tiberis vſque VMBRI. ad Narem flumẽ perducit; ſequutus vt opinor antiquorum temporum rationem. Strabo a mari ferè ab Arimino vſque ad Ocriculos, recentiorem, poſtquam ager Gallicus, (vt ſcripſimus) Vmbris eſt attributus, deſcriptionem fecit. Opida Nequinum (quod deducta colonia a Nare fluuio Narnia dictum fuit) Meuaniam Propertij Poëtæ patriam, Nuceriam aliaque aliquot non ignobilia Vmbri tenuerunt.

Sabini inter Vmbros ab Occidente, & Latinos ab Oriente ſiti erant. SABINI. & quidquid agrorum inter Narem & Anienem flumina contineretur id

totum Sabinorum fuiſſe, veteribus placuiſſe video. A

Sequuntur inde populi quattuor, vt non admodum latis, ita nec ſatis certis finibus ab antiquitate conſcripti.

VESTINI. Veſtini; vt opinor, Sabinis proximi Aternum flumen ab Oriente, ab Occidente Sabinos, a Septemtrionem Picentes habebant.

MARRVCINI. Cis Aternum Veſtinos ſequebantur Marrucini Frentanis ſubiecti.

PELIGNI. Sub Marrucinis Peligni quorum oppida, Corfinium, & Sulmo Ouidij Pœtæ patria.

MARSI. Marſi ſupra ſe Veſtinos a Septemtrione, ab occaſu Sabinos, ab orien te Pelignos; a meridie lacum Fucinum & AEquos ſiue AEquiculos attingebant. B

SAMNITES. Reſtant Samnites populi, quorum regio Samnium appellata in lõgitudinem lõge plus quàm in latitudinem patebat. habuit a ſeptemtrione Frentanos & Apulos; a meridie Campanos & Lucanos, ab occaſu Auſones cum Pelignis; ab oriente itidem Apulos cum Lucanis. Populi in his claruerunt rerum geſtarum memoria nobilitati; Pentri, Caraceni, & omnium vltimi Hirpini.

HIRPINI. Hirpinorum vrbes Plinius recitat Beneuentũ, Coſam & Herculaneiũ.

Populorum itaque ſedes locaque ſuis limitibus vtcunque ex antiquitate obſeruare potuimus, bona fide adſcripſimus. Ceterùm vt nihil quod in hoc noſtro argumenti genere deſiderari, aut diligentia noſtra C præſtari poſsit omittamus; ſequitur; vt quemadmodum paucis oſtendimus quo iure populi inter ſe ſecundùm Italiæ regiones diſcriminati erant; ita etiam ciuitatum iura inter ſe admodũ diuerſa fuiſſe doceamus.

Ciuitates itaque Italiæ eo iure inter ſe differebant, vt aut Coloniæ, aut Municipia; præfecturæ, aut fœderata oppida; fora, aut conciliabula fuerint appellatæ.

COLONIAE. Colonias vocabant Romani oppida, in quæ populus Romanus ciues ſuos ad incolendum deduxiſſet; idque ſex potiſsimùm de cauſsis obſeruatũ fuiſſe priſcorũ auctoritate traditur. Vnam, ad vicinos populos coercendos: alterã, ad hoſtium incurſiones reprimendas; tertiam, ſtirpis augendæ: quartã, plebis Vrbanæ exhauriendæ; quinD ctam ſeditionis ſedãdæ cauſſa; Sextam, vt præmijs veteranos afficerent. Quacunque autem de cauſſa deducendæ erant Coloniæ lege Agraria opus erat, & Coloniæ curatoribus: qui vel triumuiri aut plures (nam lego agris diuidundis, aut Coloniæ deducendæ etiam xx. viros ſimul datos fuiſſe) deductis ſub vexillo in agros Colonis, aratro vrbem & agrum tauro & vacca iunctis. auſpicio primùm facto, circumarabant, ac deſignabant, quod vti etiam in numiſmatibus tam conſularibus quàm imperatorijs olim a nobis in lucem datis frequenter videre licet; ita Ciceronis quoque Frontini, Varronis & Græcorum auctoritate confirmatum

eſt. Ius

A eſt. Ius vero Coloniarum duplex fuiſſe colligo. Vnum earum quæ ciuitate Romana; alterum, illarum quæ Latinitate aut iure Latij donatæ erant. Quæ ius ciuium habebant, iure Quiritium priuato tantùm, non publico vtebantur. qui latinitatis, ij iure Latij quod iam expoſuimus fruebantur. Reſpublica Coloniarum in legibus & legum curatoribus poſita erat. Legum curatores aut magiſtratus aut ſacerdotes erant; hi diuinarum, illi humanarum leges a Coloniæ deducendæ curatoribus, quum primum conderentur, dabantur. Adhæc in colonijs conſilium erat & Senatus & populi. Senatores in colonijs, vt & in municipijs, Decuriones vocabantur. In Decurione legendo, vt & in Senatore Roma-
B no, cenſus, vt ex Plinio ſecundo conſtat, obſeruabatur, atque ætas. Magiſtratus coloniarum præcipui erant aut Duumviri aut IIIIviri, aut IVviri Iuris dicundi; (totidem namque inuenio) qui Conſulibus vel Prætoribus Romanorum comparari poterant. Præterea Coloniæ Cenſores, AEdiles, Quæſtores habebant; & ſuos in Vrbe patronos. ſic Bononia in Antoniorum clientela; Puteoli in Iuniorum patrocinio erant: Atque huiuſmodi patronorum frequens tum in antiquis marmorū inſcriptionibus atque alijs monumentis, tum priſcorum ſcriptis haud infrequens mentio eſt.

Municipia oppida erant iure ciuium Ro. donata, nomen ijs factum a MVNICIPIA.
C muneribus capiendis, munera enim, reipublicæ publica cum auctoritate curationes erant. Municipiorum duo genera fuerunt; Vnum quibus Ciuitas cum iure ſuffragiorum; alterum ſine ſuffragio data erat. illis dare Quiritibus honores & capere poteſtas fuerat; iſtis non erat: ſed in legionibus vt ciues, non in auxilijs vt ſocij, adſcribebantur. Reſpublica eorum ſi ordines quæramus, Decuriones, Equites & plebem habebat: ſi conſilium publicum, Senatum, & Populum: ſi magiſtratus & Sacerdotes; IIviros & IIIIviros Iuridicundo, Cenſores, AEdiles, Quæſtores & Flamines Municipiorum obſeruabimus & qui ex Decurionum ordine legebantur, Decemprimos, qui tributorum exactioni præerant. Decurio-
D num decreta, vt Senatus conſulta Romanorum veteribus etiam litteris celebrantur. Populi verò ſummum ius fuiſſe video in legibus ferendis & magiſtratibus municipalibus creandis.

Sequitur vt de præfecturis pauca quædam adferamus. Præfecturæ vocabantur oppida in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur: & erat earundem reſpublica quædam, ita tamen vt magiſtratus ſuos non haberent: ſed præfecti quottannis in eas mittebantur; qui ius dicerent; Præfectorum duo genera erant, vt & præfecturarum: Vnum quattuorvirorum aut ſevirorum, qui populi Ro. ſuffragio creabantur, & in præfecturis ius dicebāt. Alterum earum quæ a præfectis adminiſtrabantur: quos

PRAEFECTVRAE.

tur:quos Prætor vrbanus in quælibet loca legibus mittebat. Ius in præ- A
fecturis priuatum ex edictis præfectorum Romanorum cõstituebatur:
publicum autem vniuersum a Senatu Romano petebatur: nempe cen-
sus,Tributorum,vectigalium,& militiæ:vsqueadeo vt non meliori con-
dicione essent præfecturæ quàm Prouinciæ. fuerunt tamen in Præfectu-
ris Consilia publica,summusque ordo qui conuentus vocabatur,erat &
equestris ordo & plebeius. Magistratus autem alij eò Roma mitteban-
tur,qui ius dicturi essent; quos Præfectos appellabant. eosque a numero
(vt iam diximus) Quattuorviros aut Seviros dicebant; sunt tamen qui
eosdem Sexprimos quoque vocatos opinantur. alijs placet Sexprimos
in præfecturis Decemprimis Municipalibus respondisse. Verùm ma- B
gistratus ex præfecturæ corpore creatos AEdilem & Quæstorem obser-
uo. nam quod Liuius & Festus produnt Præfecturis fuisse magistratibus
interdictum, eos non de quibuslibet loqui opinor, sed solum de ijs qui
iuris dicendi potestatem haberent.

Ceterùm opida quæ neque Coloniæ, neque Municipia, neque præ-
fecturæ erant,fœderata vocabantur;quæ aliud ius nullum,quàm fœderis
FAEDERA TA OPPIDA. & societatis cum Po.Ro.habebant. Fœderata verò quæ in Italia fuerunt
opida,aut Latij fœdere obstricta erant; vt Tibur & Prænestę: aut Itali-
co; vt Neapolis,Velia & Heraclia; aut Gallico;vt Rauenna. Habebant
ea opida & suam rempublicam,leges & magistratus. Hinc ciuibus Ro. in C
ciuitates fœderatas exsulatum ire teste Polybio permissum erat: tãquam
in eas quæ rempublicam suam propria in potestate haberent;neque Ro-
manis obnoxiam. Obseruo in opidis fœderatis omnes ferè magistratus
fuisse,qui Romæ erant,Dictatorem, Consulem, Prætorem, AEdilem,
Quæstorem.

FORA. Reliquum est de foris & conciliabulis. forum hic accipimus pro loco
in quo ius dicitur; hinc notæ apud Ciceronem atq; alios scriptores phra
ses, forum agere, & forum indicere,qua forma dicendi vtebantur magi-
stratus, quando locum iurisdicundi, qui conuentus appellabatur,desig-
nabant. Altera significatio fori locum nundinationis aut in quo nundi- D
næ agerentur denotabat:quem prætores quoque (Seruio teste) in prouin
cijs soliti erant indicere. Quod ius etiam ad priuata prædia aliquando
translatum fuisse & Plinius Secundus & Suetonius in Claudio auctores
CONCI- LIABVLA. sunt. Verùm ea loca proprio vocabulo non fora; sed distinctionis gra-
tia conciliabula fuisse dicta inuenio.

Ceterùm hæc omnia ita sese in Italia habuisse ex antiquitate constat;
quousq; bello Italico siue sociali anno abvrbe cõditaDCLXIII.ea lege quã
L.Iulius Cæsar Consul tulit,ciuitas populis Italicis data est. Atque vt
nullis colonijs ante eam legem Iuliam ius suffragij patuit,sic post eam la-
tam om-

A tam omnibus esse permissum constat: nisi si fortè paucæ aliquot scelere aut calamitate id ius amisissent. Itidem & Præfecturis suffragij ius esse concessum ex Sullana Ciceronis & Pædiani commentariis apertum est. Postquam autē Italia a Philippo & Perperna censoribus in tribus triginta quinq; censa erat, caussa facilè patet, quur post legem Iuliā multa opida & Municipiorū & coloniarum nomine simul donata sint: multa itidē præfecturæ & Municipia appellata. quia quatenus colonos haberent, coloniæ; quatenus præfectos, præfecturæ nomen tulerunt. vt autem suffragij iure donata sunt, eatenus municipia sunt nominata. Et quia ius suffragij vnà cum tribu obtinuerunt, factum est vt veteres scriptores
B sæpe Tribuum appellatione, populos Italiæ ciuitate donatos indicasse videantur. vti Suetonius in Testamento Augusti & Martialis non semel qui quum populum a tribubus distinguunt, populi nomine plebem Romanam intellexisse videntur; Tribuum verò Italiam.

Illud addo, omnia quæ hactenus de Coloniis ceterisque opidis dicta sunt, intelligēda esse de ijs Colonijs quæ iussu Senatus deducta sunt. nam militares Coloniæ a L. Sulla Dictatore primùm per vim deductæ sunt; qui vt veteranos præmijs emeritæ militiæ donaret, inimicorum suorum agros parta ciuili victoria, militibus per quos vicerat diuisit. COLONIAE MILITARES.
Quod postea Cæsar Dictator, M. Antonius; M. Lepidus; & C. Cæsar O-
C ctauianus IIIIviri Reipublicæ constituendæ, & ipsemet Augustus imitatus est: Legionesq; vniuersas vnà cum Tribunis & Cēturionibus, & suis cuiusque ordinis manipulis fuisse deductas, bonus imprimis auctor Corn. Tacitus scriptum reliquit.

ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ.

NEAPOLIS Cumanorum Colonia.

D CAMPANIAM, vt regionem totius Italiæ a fecunditate & prouentuum felicitate commendatissimam, ita latissimè secundum Tyrrheni maris oram sese obliquantem aut insinuantem, aut interius cum fortissimis Italiæ gentibus coniunctam, atque adeò plures sub se populos complectentem, veterum auctoritate celebratam fuisse obseruamus; idque tanto scribentium consensu, vt vel hinc nonnulli eam non modò Italiæ, sed totius terrarum orbis pulcherrimam plagam appellare non dubitarint. Nihil enim mollius cælo Campano aut clementius; nam bis floribus vernat: nihil solo huberius; ita vt hinc certaminis siue contentionis inter Liberum & Cererem, imò & ipsam Palladem (propter olei CAMPANIA.

Campani

Campani præcipuè autem Venafrani præſtantiam) de regionis domina- A
tu nata ſit fabula: nihil mari hoſpitalius. hîc illi nobiles portus, Caieta, Miſenus; & tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus, & Auernus. hîc amicti vitium nobiliſimarum gloria montes Gaurus, Falernus, Maſsicus, & pulcherrimus omnium Veſuuius. Vrbes ad mare Sinueſſa, Cumæ, Puteoli, Neapolis: intus Capua, quondam tertia inter duas maximas, potentiſsimaſque Romam & Carthaginem annumerata: prætera Atella, Sueſſa Aurunca, Teanum Sidicinum, Cales ſiue Calenum, Nola, Nuceria, Picentia. Ceterùm vt Campania in tres partes diuiſa ſit & quibus terminata fluminibus iam ab initio in præfatione noſtra diximus. Illud addam, quantum equidem in Romanorum hiſtoria obſeruare potui; a B
Sidicinis armis Samnitium oppreſsis, & ad Capuanorum auxilia ſeſe conferentibus, occaſionem fuiſſe oblatam, qua Romani iuſta pro Campanis vtpote ſocijs, arma induere coacti ſunt, nam Capuani a Samnitibus acie fuſi, ab ijſdem, quia armis plus poterant, ſeruitutem metuentes, ſe, vrbem atque agros anno ab vrbe condita CDX. in fidem populi Ro. dediderunt. atque is belli motus reliquam per partes traxit, Campaniam; vt ius Italicum ex populi Ro. iuſſu accipere coacta fuerit.

Inuenio tres in Campania agros a veteribus célebratos. Campum Stellatem; Falernum & Leborinum ſunt qui opinentur a Leborino agro vniuerſam hanc regionem hoc ſeculo terram Leborinã ſiue vt nunc C
Italia pronunciat Terram di Lauoro nominatam. Ceterùm vt ijs quarum exhibemus in Campania numiſmata ciuitatibus ius Italicum primo obuenerit; inde etiam lege Iulia aut ciuitate Romana donatæ, aut ſuæ libertati permiſſæ ſunt, ſingulis adſcribemus. & paucis quoque (ſiquidem earum rerum memoria quæ ſanè vel incuria hominum vel iniuria temporum etiam a priſci ſeculi ſcriptoribus ante Romanorum res geſtas deſideratur exſtat) quæ ipſarum ciuitatum origo; qui maiores, reſpublica, res geſtæ, fortuna, incremẽta aut interitus fuerint; ſingulis adiuti, numiſmatum ſymbolis adſcripturi; aut coniecturis veriſimilibus propoſituri ſumus. Aggreſſurus itaque ciuitatum Campaniæ D
tam maritimarum quàm interiorum aliquot, quorũ ad manus noſtras numiſmata peruenerunt hiſtoriam, exordium a Neapolitanis ſumere placuit: non quidem quod id ordo Geographiæ ita poſtulet: ſed ſicuti tradente Liuio Neapolitani antiquiſsimis temporibus Græcorum in Italia primi fædere cum Po. Ro. cõiuncti fuêre; quod illi vno & perpetuo iuris & fidei tenore ſemper ſeruarunt: ita nunc Neapolis totius facilè regionis caput eſt nobiliſsimorũ præclariſsimorumq; virorũ vti & olim cum alumna tum ſedes celeberrima, Neapolitani primùm abſque controuerſia in ordine locum mereri videbantur. NEAPOLIS itaque a Cumanis

in ſinu

A in ſinu qui ob ſimilitudinem ſitus crater dictus erat, condita eſt. Cumani verò e Chalcide Euboiæ originem trahunt; qui claſſe qua domo aduecti erant, plurimùm in ora eius maris quod accolunt potuêre; primò in inſulas AEnariam & Pithecuſam egreſsi, deinde in continentem ſedes transferre auſi Cumas, (vt in Cumarum deſcriptione oſtendemus) inde Palepolim, haud procul ab eo loco vbi poſtea ad litus Neapolim, condiderunt. Hanc a prima origine Parthenopen fuiſſe dictam, ob Parthenopes, (quæ trium Sirenarum vna celebratur) ſepulchrum ibidem dum vrbs conderetur inuentum, ab antiquitate memoriæ proditum eſt. Ceterùm poſtquam Cumani qui Cumis remanſerant vereri cœperunt, ne
B exhauſti colonis qui ob loci ſitum & agri fertilitatem magna frequentia Palæpolin ſedes tranſtulerant, ipſi quoque tandem patriam deſerere cogerentur; conſilium vrbis nouæ demoliendæ capiunt: eaque magno impetu euerſa, quum peſtis Cumanos adorta ſæuiret, conſultusq; Apollo reſpõdiſſet, ſaluti ipſis futurum, ſi Palæpolin quam euertiſſent inſtaurarent; oraculum ſequuti nouam vrbem cõdidiſſe traduntur, quã Neapolim hinc vocarunt. Obtinuit tamen vſus apud rerum Romanarũ ſcriptores, vt Palæpolis nomẽ & Neapolis, quòd duabus vrbibus haud procul diſtãtibus idem populus eſſet, promiſcuũ fuerit: donec fœdere in populi Romani amicitiam recepta, obſoleto priore nomine, Neapolis tan
C tùm diceretur; nomenq; Parthenopes poëtis relinqueretur. A Græcis ex Chalcide & aliquot Athenienſibus ab initio frequẽtatam, legibuſque & Græcis inſtitutis coaluiſſe obſeruo. Additur ab eiſdem, quũ antea Parthenope vocaretur, quaſi nouam ab ipſis conditam vrbem Neapolin fuiſſe dictam. Solinus tamen ni mendum ſit, eandem ab Auguſto inſtauratam; & ab eo primùm tempore Neapolin vocari cœpiſſe ſcripſit: ſed Solinum ſcriptorum & temporum auctoritas erroris coarguit; quũ Lycophron Ptolomæo Philadelpho æqualis Neapolis mentionem faciat; itidem toties bello Punico ſecundo Liuius, nec rarò aliquot in locis ipſe etiam Cicero: potiſsimùm in Balbi & Archiæ defenſionibus, vt ce-
D tera omittam. Gymnicum certamen & Muſicum Quinquennale Neapoli magna Græcarum vrbium frequentia, & conuentu celeberrimo, idque ſingulo quoque luſtro ex oraculo fuiſſe celebratum, veterum auctoritate teſtatum eſt. Hinc forſitan in Neapolitanorum numiſmatibus Minotaurus laureo ſerto a victoria donãdus toties apparet; & Diana in altera numiſmatum parte, Spectantur inter cætera duo poſtrema, in quibus, vti & in præcedentibus, Minotaurus a victoria coronatur; quorum alteram partem facie Dei Hebonis a Neapolitanis pro Baccho culti ſignatam opinor. Macrobius enim auctor eſt, & eiuſdem auctoritatem etiam Iunij Aquilæ, quod exſtat de eodẽ Deo Epigramma con-

firmat. videturq́; Hebon vocari vt Hebe: id eſt a prima lanugine & molli teneraque ætate. Quanquam nec hæc quoque improbabilis coniectura videri poſsit, Neapolitanos huiuſmodi numiſmatũ ſuorum Symbolis originem ſuam ad Theſeum maioreſque ſuos Athenienſes quorũ coloni Chalcidenſes erant voluiſſe referre. induxit me in eam cogitationem Macrobius apud quem ex Pherecyde refertur, Theſea quũ in Cretam ad Minotaurum duceretur, votum pro ſalute atque reditu ſuo, Apollini ὀυλίῳ; καὶ Αρτεμιδι ουλια concepiſſe; vtriſque vt ſalutis ſuæ auctoribus. Apollo namque ὀυλιος cognomento & apud Homerum & Menãdrum poëtas celebratur: ad hæc & Mileſij Apollini ὀυλίῳ pro ſalute ſua immolabant. vt autem ad Gymnicum certamen quinquennale reuertamur, illud à Neapolitanis in honorem Auguſti conſtitutum Suetonius auctor eſt: ipſumque Auguſtum extremis vitæ ſuæ diebus illud perſpectaſſe: etſi auctores habeam qui (vt meminimus) illud ex oraculo diu ante Auguſti tempora inſtitutum fuiſſe referant. Illud certè conſtat, Neronem Neapoli primùm, vt Muſicæ ſuæ profectum oſtentaret, in theatrum prodijſſe; tantoque ſtudio id proſequutum fuiſſe, vt ne concuſſo quidem terræ motu theatro, antè cantare deſtiterit, quàm nomon inchoatum abſolueret. Sed iſta eueniſſe quum res Romana vnius dominatione oppreſſa erat ſcimus; nunc quæ fortuna Neapolitanorum fuerit dum libera eſſet reſpublica; paucis, a Palæpolitanis exorſi, proſequemur. Palæpolitani partim infida Samnitium aduerſus Romanos ſocietate freti, partim peſtilentia, quæ in vrbe graſſari nunciabatur, fidentes, multa hoſtilia aduerſus Romanos qui agrum Campanum Falernumque incolebãt, perpetrauerant. L. Cornelio Lentulo itaque & Q. Publilio Philone Coſs. feciales Palæpolin ad res repetendas miſsi, quum ferox reſponſum retuliſſent, bellam Palæpolitanis ex auctoritate patrum populi iuſſu indictum eſt. Nolani Palæpolitanis ſe iunxerant. Conſuli igitur Philoni bello Græcos perſequendi prouincia obuenit, qui loco opportunè inter Nolam & Palæpolin capto, mutuam auxilij ſocietatem hoſtibus ademit. Quum diu teneret ea obſidio, imperium Philoni cum Proconſulari poteſtate quoad cum Græcis debellatũ eſſet, prorogatum eſt. Palæpolitani quum arctiſsimè obſiderentur; & velut a ſuiſmet ipſi capti præſidijs indigna ſe cum liberis ac coniugibus, & quæ captarum vrbium extrema ſunt, paterentur; & grauiorem inſuper ſeruitutem à nouis Samnitium & Tarentinorum quæ venire nunciabantur auxilijs metuerent, principes ciuitatis Charilaus & Nymphius deditionis conſilium inter ſe communicant, quod vbi placuiſſet, Charilaus ad Philonem profectus, tria militum millia ad occupandam eam vrbis partem quàm Samnites inſederant, accepit. Nymphius, vti conuenerat, eodem tempore Samnitium prætorem

A B C D

PALÆPOLITANI.

arte

A arte aggreſſus, perpulit vt præſidiũ noctu ab vrbe ad hoſtium agros populãdos deduceret: atq; interea Charilaus in vrbem à ſocijs ex compoſito receptus eſt. Nolani ex vrbe Palæpoli Nolã ſe fuga recipiunt. Samnites autem excluſi, nõ externis modò ſed & popularibus ſuis ludibrio fuêre: ſpoliatiq; atq; egentes domum redîre. Tandem eò ſumma rei Græcorũ venit, vt Neapolitani fædere Italico in amicitiã populi Ro. recepti, leges ſuas, rempublicã, & ſuos magiſtratus neutiquã Romanis obnoxios retinerent: Cuius rei documentũ eſt, quod Polybius prodidit, Ciues Romanos qui exſilij cauſſa ſolùm vertebant, Neapolin, ſe vt in liberam ciuitatem contuliſſe. Adhæc quòd quũ Romæ Cereris ſacerdotes, quæ Græ-

B cæ originis & liberæ erãt, ad ſacra faciẽda legi debebãt; aut Neapolitanas aut Velienſes vt ex fæderatis ciuitatibus fuiſſe delectas. Comiter inde a primo fædere Neapolitanos populi Romani ſocietatẽ conſeruaſſe obſeruo: vſqueadeo vt quũ res Romana grauiſsimo Hannibalis prælio ad Trebiã & Traſimenũ affecta laboraret, legatos miſerint, qui quadraginta pateras aureas magni ponderis, in ſubſidium belli populo Romano offerrent. Quibus quidẽ legatis gratiæ a Senatu pro cura & munificentia actæ ſunt; vnica tantùm patera, quæ minimi ponderis fuit, accepta. Rurſus cùm Romanus multiplici clade ad Cannas ferè ad internecionem fractus eſſet, Neapolitani fidem cum fortuna non mutarũt: Hannibalem-

C que victricia ſigna circumferentem & per agrum Campanum mare inferum petentem, vt occupata Neapoli vrbem maritimam haberet: & licet turma equitum ipſorum cum Hegria præfecto ex inſidijs circumuenta ac deleta, pacis tamen conditiones & ſocietatis fædus offerentem excluſerunt. Flexerat inde Hannibal iter in Capuanos; a quibus receptus iterum Neapolitanorum animos partim ſpe, partim metu nequidquam tentauit. Neapolitani enim quum vim hoſtis metuerẽt; intelligerentq; Hãnibalem vt maritimo oppidò potiretur, magna cupiditate teneri, quò curſus nauibus ex Africa tutus eſſet, M. Silanũ cum præſidio acciuerant, ita vt non ſolùm munitiſsima vrbis mœnia ab hoſte conſpe-

D cta, haudquaquã prompta oppugnationi, ſed & præſidium Romanum receptum, ab vrbe oppugnanda Pœnum abſterruerint. Quid deinceps Neapolitanis cum Romanis publicè negocij fuerit, aut geſſerint, obſcura memoria eſt. illud obſeruo, Neapolin ſeceſſu Romanorum ad otium & voluptatem fuiſſe frequentatam: eamque ſuis legibus, republica, & libertate magna vſos. cui rei argumento eſt; quòd Neapolitani, quum ſocijs & latinis lege Iulia ciuitas data eſſet, iuris ſui libertatem ciuitati, vt Cicero in oratione pro Balbo oſtendit, antepoſuerint. Nec ne mouet quòd Cicero Neapolin, quæ ciuitas fœderata erat, vt iam oſtendimus, Municipium vocet. reſpexit enim ad id tempus, quo ipſe ſcribebat; ſi-

NEAPOLIS CIVITAS FAEDERATA.

quidem tum Neapolis lege Iulia ciuitatem acceperat;qua ratione & Mu A
nicipium cum iure ſuffragij erat. Ceterùm Coloniam fuiſſe aliquando Neapolin,antiquis quidem marmorum inſcriptionibus, ſed nullius ſcriptoris, quantum equidem obſeruare potui, auctoritate teſtatum eſt. Inſcriptiones enim diſertè Ordinis & Populi & Patroni Coloniæ Neapolitanæ meminerunt; neque an ciuium Romanorum, an ſociorum Latinorum,an denique militaris fuerit; ad hæc neque a quo,neque quando deducta ſit, oſtenditur. Verùm Neapolin multis ab Auguſto beneficijs affectam,& inſtauratam,& decreto ornatam fuiſſe,quo
P. VIRGILIVS MARO. annua vicena millia Neapolitanis à fiſco ſuo numerari iuſſerat, Plinius tradit. P. autem Virgilium Maronem Neapolin, vt commodiſsimum B
Muſarum hoſpitium ſeceſſu ſuo frequentaſſe,nec longè ab ea circa Pauſilypum duobus ab vrbe paſſuum millibus, vt Seruius metitur, ſepultũ
PAVSILYPVS. fuiſſe,memoriæ proditum eſt:ad hæc L.Papinium Statium qui Thebaida ſcripſit, Neapoli oriundum eſſe. Non longè a Neapoli Pauſilypus mons & promontorium erat, amœnitate ſitus, fertilitate, & ſalubritate commendatus. Itidem perfoſſo monte cauerna, quam Seneca Cryptam Neapolitanam vocat.hîc Villa Virgilij & Luculli,qui montem maiore impenſa exſciderat quàm villam exſtruxerat: ita vt etiam curruum commeatui peruius eſſet. Fuit & Cæſaris piſcina,a Plinio & Columella ob ſalubritatem piſcium & eorum viuacitatem commendata. Neapo- C
lis verò ſitum ab extremo occidente horam cum beſſe diſiunxit, Ptolomæus:ab AEquatore verò partibus quadraginta ſemis.

ΠΥΤΕΟΛΙΤΩΝ.

PVTEOLI Cumanorum Colonia.

DICAEARCHIA. PVTEOLOS antea quàm bello Italiam Hannibal laceraret, Dicæarchiam a iuſto imperio,quo eius reſpublica florebat,dictam fuiſſe, & a Cumanis conditam,eorumque fuiſſe emporium, Strabo, Plinius, D
multiſque alij auctorum prodiderunt. Cumani vrbis ſuæ vti antiquiſsimæ originem e Græcia atq; Euboia inſula a Chalcidenſibus;Chalcidenſes ab Athenienſibus repetunt: quo & Puteolanorum numiſmata ſpectare credibile eſt. quæ Apollinis ὀυλίου (vt paullò antè memorauimus) faciem aduerſa,Minotaurum auerſa parte exprimunt. Ceterùm quum Dicæarchia emporium, tempore belli eius quod Hannibal cum Romanis in Italia gerebat, frequentari cœptum eſſet, Q.Fabius ex Senatus auctoritate illud communijt; & præſidium ei impoſuit: mutatoque nomine,Puteoli deinceps vocari incœpit: idque ſiue a puteorum quibus a-
PVTEOLI. ger eius

A ger eius abundabat,frequentia: siue, vt nonnullorum est opinio,a putore aquarum & aëris, sulphureo semper vapore grauis. Atqui quum Festus Puteolos inter ea præfecturarum genera recenseat, in quas præfecti irent a populo Romano creati,suspicari licet eam præfecturæ nomine & iure, tandiu administratam fuisse (annis videlicet vndeviginti) donec P. Cornelio Scipione Africano II. Ti. Sempronio Longo Cos. Colonia ciuium Romanorum trecentorum hominum lege Acilia Tribunicia eò deducta est. habuitque ea Colonia priuata quidem aliqua ciuitatis iura, vt & ceteræ Coloniæ; nulla tamen publica: ita vt nomine ciues Romani,re verò Coloni tantùm essent Puteolani. argumento est, quòd Li-
B uius prodat Colonos qui Puteolos, Salernum, & Buxentum adscripti nomina dederant, quum ob id se pro ciuibus ferrent, senatum iudicasse non esse ciues Romanos. Argumento etiam est, quòd P. Scipio Africanus & P. AElius Pætus Censores, portoria rerum venalium Capuæ ac Puteolis fruenda locarunt. Festus enim Capuam sub eodem præfecturæ genere cum Puteolis recenset. Addit Liuius ab ijsdem Censoribus colonos trecentos (is enim numerus a senatu definitus erat) qui Puteolos deducerentur, fuisse adscriptos: eosque P. Scipione Africano II. & Ti. Sempronio Longo Cos. fuisse deductos. & extat antiquum epigramma siue inscriptio, quæ ab Colonia deducta annos nonaginta recẽset, N.
C Fufidio & M. Pullio Duumuiris; quum Romæ Consulatum gererent P Rutilius Rufus & Cn. Manlius Maximus, quæ numerorum ratio cum ipsis quoque Fastis congruit. A secundo namque Africani maioris Consulatu vsque ad P. Rutilij Rufi & Cn. Manlij consulatum, anni nonaginta in fastis interesse numerantur. Itidem in antiquis inscriptionibus etiam AEdilium Coloniæ Puteolanorum mentio fit: & Cicero Antoniũ accusat, Puteolanos iccirco infestantem, quòd C. Cassium & Brutos sibi patronos adoptassent. Ceterùm quum illud factum constet postea quàm lege Iulia Puteolani ciuitatem adepti erant; verisimile est Puteolanos ab initio præfecturæ legibus fuisse administratam, donec Colonia
D ciuium Romanorum fieret. Atqui post deuictum Antonium, Augustus vrbe rebusque vrbanis constitutis, quum Italiam XXIIX. colonijs frequentasset, Puteolos quoque militarem coloniam Augustam, vti Frontinus tradit, deduxit; in qua iter vno latere populo debebatur triginta pedum; agerque eius veteranis & Tribunis legionarijs in iugeribus adscriptus erat. Addam & illud, extare Puteolis templum quod frontispicij inscriptio & titulus Augusto a L. Calpurnio L.F. positum & dedicatum testatur. Admonet autem Puteolorum situs ratio, vt prodigiosam Caligulæ Cæsaris ex Sueronio ostentationem referamus: qui vt nouum & inauditum antea spectaculi genus ederet, medium quod inter

PVTEOLI PRAEFECTVRA.

PVTEOLI COLONIA CIVIVM RO.

PVTEOLI COLONIA MILITARIS.

moles Puteolanas & Baias trium millium & ſexcentorum ferè paſſuum A
patebat interuallum, ponte coniunxerat, contractis vndique onerarijs
nauibus, & ordine duplici ad ancoras collocatis, ſuperiectoque aggere
terreno, ac directo in Appiæ viæ formam: per quem pontem ipſe vltrò
citroque per biduum commeauit, eumque apparatum inſtituiſſe credi-
tur ad æmulationem Xerxis, Perſarum regis, qui non ſine admiratione
aliquanto anguſtiorem Helleſpontum contabulaſſe ſcribitur. Lau-
dant tamen alij alias huius rei rationes, ad eludendam ſcilicet Thraſylli
mathematici auctoritatem Caligulam hunc pontem excitaſſe. prædixe-
rat enim Thraſyllus, non magis Caligulam imperaturum, quàm per Ba-
ianum ſinum equis diſcurſurum. Tacitus autem ſcriptum reliquit, Ne- B
ronem veteri Puteolorum opido ius coloniæ & cognomentum a ſe de-
diſſe. Meminerunt Puteolorum etiam Plinius & Vitruuius: hic ob
puluerem Puteolanum, qui cæmento Cumano admixtus in molibus
ædificandis etiam ad omnem maris impetum inexpugnabilis ſit; ille ob
purpuriſſum, quod vel Tyrio tantùm a veteribus commendato præ-
ſtantius & nobilius cenſendum ſit. Ceterùm quia mare mediterraneũ
quà ſeſe circũ hæc litora inſinuat, duos ſinus faciat nobiles admodum,
Puteolanum ſcilicet & Baianum; obiter & Baiarum ipſarum & ſinus ſi-
mul & vicinorum vſque ad Cumas locorum mentionem facere viſum
eſt. A Puteolis itaque in Euro auſtrum flexuoſo ſeſe litore incuruat C
ſinus Baianus, eo quo ſuprà diximus interuallo, a Baijs nobiliſsima olim
vrbe ſic dictus: locus tam a Romanis quàm a reliqua Italia vniuerſa ob
medicatarum aquarum fontes, maximo hominum cõcurſu & frequen-
tia celebratus. Vrbi ipſi nomen factum a Baio Vlyſsis filio nonnulli
prodiderunt. Ab eo ad quinque millia Miſenum promontorium, a
Miſeno AEneæ quondam tubicine dictum, in mare prominet. atque eo
loco Auguſtum claſſem contra belli ſubita inſtructam ſemper habuiſſe
& Suetonius & Tacitus ſcribunt. Inter Puteolos & Baias, & quæ Baijs
ferè aduerſæ ſunt Cumas, æqualibus proximè interuallis diſtabat Auer-
nus & Lucrinus lacus, tanta omnium ſcriptorum commendatione cele- D
brati. Obſeruo quoque in hoc tractu Phlegræos fuiſſe campos, ob per-
petuos ignes ita dictos: & aquas in eo agro tam feruidas ex Pauſaniæ
teſtimonio fuiſſe, vt plumbeos per quos fluant tubulos diſ-
ſoluant. Puteolorum longitudinem Ptolemæus par-
tium XXIX. cum deunce vnius partis; latitu-
dinem quadraginta vnius
menſurat.

KYMA-

A

ΚΥΜΑΙΩΝ.

CVMAE Chalcidenſium Colonia.

CVMAS Chalcidenſium Coloniam, vetuſtiſsimam omnium quæ a Græcis in Italiam Siciliamque deductæ ſint, fuiſſe inuenio. Primò hunc locum gẽs Opicorum incoluit: eiecta hæc ab Oſcis eſt: Oſcos deinde Chalcidenſes; Chalcidenſes viciſsim Tuſci expulêre. Poſtremò quum in Romanorum poteſtatem Cumæ deueniſſent, ab illis Colonia militaris facta eſt. Hanc primitus deduxiſſe Chalcidenſes, ducibus
B Megaſthene Chalcidenſe & Hippocle Cumæo traduntur. Conuenerat inter eos, vt de Coloniæ nomine ſortirentur: quumque ſors Hippocli Cumæo obueniſſet, is nomen vrbi à patria ſua impoſuit. etſi ſint qui CVMA.
nomen vrbi ἀπὸ τῶν κυμάτων, id eſt a fluctibus, factum contendant. Amœniſsimus hic totius Italiæ tractus eſt, & quaſi naturæ certãtis miraculum quoddam, varijs paſsim lacubus fluminibusque diſtinctus. Vulturnus ad ortum, in meridiem Glanis fluentes, totum hoc ſpatium in peninſulæ formam amplectũtur: intus Lucrinus Lacus, ſinuſque eiuſdem nominis: tum Acheruſia palus poëtarum fabulis celebrata; qui ibi deſcẽſum ad inferos patere ſcripſere: & tepentes fontibus Baiæ, frequenti prin-
C cipum Romanorum receſſu inſignes. Inter hæc ipſa Cumarum vrbs ad mare, media inter Vulturnum amnem eiuſdemque cum amne nominis vrbem & Miſenum promontorium; ingens murorum ambitu complexa ſpacium. in medio eius editus cõſurgit collis; in eo templum Apollinis, a Dædalo (vt fama tenuit) conditum, quum iram Minois ex Creta fugiens, huc appuliſſet. Apparet vaſtus eodem in colle ſpecus, vbi Sibyllam Cumanam vaticinari quondam ſolitam antiquitas pro- SIBYLLA CVMANA.
didit. Adpuliſſe & huc deleto a Græcis Ilio AEneam ferunt; factoque, vt mos erat, ſacrificio, duce Sibylla ad inferos deſcendiſſe. Habebat vrbs arcem inſignem, & portum tutiſsimum; totumque hoc li-
D tus oſtreis optimis abundabat. Ceterùm quum Cumarum vrbs agri fecunditate & maritimis commercijs in magnam breui potentiam amplitudinemque excreuiſſet: inuidia huius felicitatis ducti populi finitimi, in vrbis excidium conſpirant. Ab Etruſcis itaque; Daunijs, Vmbrisque ad quingenta peditum & duodeviginti equitum millia armantur. Cum his copiis domo profecti, ad Glanim Vulturnumq; amnes caſtra locant. Cumani viciſsim diuiſa in tres partes iuuentute, vnã ad vrbis præſidium, alteram ad tutandas naues reliquere: tertiam cum hoſtibus congreſſuri in aciem eduxere. ſexcenti omino equites erant, & quatuor millia peditum. cum tam exiguis copijs tantam hoſtium multitudinem

BELLVM CVMANORVM CVM ETRVSCIS.

dinem aggredi ausi, vicére. Hærebant enim multitudine sua Etrusci, seque mutuò angusto loco constipati conculcabant, obterebantque: Cumanis ex aduerso, ne circumuenirentur, locorum angustiæ saluti fuére. Peditatu itaque Etrusco nulla re egregiè gesta in fugam conuerso, pugnam inde equitatus excepit; quum procella subitò coorta, illataq; cum impetu in ora oculosque equitum Etruscorum, illos quoque re turbatos in fugam auertit. Insignis maximè fuit equitum Cumanorum ea pugna fortitudo; & inter eos Aristodemi Malaci virtus præcipuè enituit; ducem namque hostium præter alios non paucos primi nominis, singulari certamine congressus occidit. victores Cumani, facto Dijs pro victoria sacrificio, sepultisque honorificè suis qui pro patria pugnantes ceciderant, in certamen deinde venerunt, cui potissimùm ob rem fortissimè ante alios gestam corona deberetur. Potior ciuium pars, & maximè plebs, Aristodemo eum honorem deberi contendebat. Contrà Optimates (penes quos tum summa rerum apud Cumanos erat) pro Hippomedonte magistro equitum nitebantur. Ad seditionem postremò res spectabat: vnde veriti qui e ciuibus ætate prouectiores erant, ne res ad arma & cædes prolaberetur; auctores fuêre vt vtrisque corona decerneretur. Sopita ijs condicionibus discordia, Aristodemus deinceps plebis partes in republica sequutus est. Vnde Optimates consilia eius suspecta habentes, veritique ne auctus potentia res nouare tentaret, quò honesto aliquo prætextu ipsum de medio tollerent, Aricinis auxilium contra Etruscos, Aruntemque Porsenæ filium, a quibus obsidebantur petentibus, populo persuasére vt duo millia auxiliariorum ex egentissimis seditiosissimisque de plebe conscripta, ductu Aristodemi Ariciam veluti ad certam internecionem mitterentur. Sed secus atque illi sperauerant euenit. Aristodemus enim re fortiter atque feliciter gesta, Arunte hostium duce sua manu in singulari certamine cæso, ac Etruscis in fugam versis, atque ita Aricia graui obsidione liberata, quamplurimis magnificentissimisque muneribus ab Aricinis donatus Cumas redijt, magna cum ciuium gratulatione & promiscuæ multitudinis occursu: atque vti multo cum verborum honore ac faustis acclamationibus, ita non sine pari Optimatum inuidia exceptus atque in vrbem deductus est.

Ceterùm cõciliatis sibi iam antea dum ab Aricia Cumas nauigat, cùm verbis tum muneribus, eorum qui secum in ea expeditione fuerant animis; adhæc adiuncto sibi priuatim comitate ac blandimentis, corruptissimo quoque militum ac manu promptissimo, si fortè ad nouandum Reipublicæ statum ipsorum opera vti cõstituisset: capta occasione, dum coram frequenti Senatu de rebus a se ad Ariciam gestis verba facit, socij facinoris & coniurati per confertã turbam irrumpẽtes, præcipuos quosque Opti-

A que Optimatum nihil tale exſpectantes interimunt. effractoque nocte inſequenti carcere, tam eos qui rerum capitalium rei, quàm qui ex Etruſcis captiui in vinculis detinebantur, ſolutos ac libertate donatos, armis inſtruit: eorumque ſatellitio ſtipatus in publicum prodit, ac populo in concionem vocato, acri in optimates oratione inuectus, eoſdem meritas ob tot in ſe iniurias atque inſidias exſoluiſſe pœnas dictitat: reliquis ciuibus ſe libertatem reddere, ac conſtituiſſe pari cum ceteris conditione in patria tranquillè vitam exigere. Inde cum agris diuiſis, tum remiſſo ære alieno ac munificentia multitudinem vrbanam ſibi conciliat. Ceterùm quum tam ob agrorum diuiſionem quàm æris alieni remiſsionem te-
B nuioribus a potentioribus ſe metuere diceret, arma vniuerſa tam publica quàm priuata in templis Deorum deponi hortatur, & perſuadet; inde repetenda ſi quando opus eſſet. Quibus ſtatim per ſuos ſatellites occupatis, perſcrutatis inſuper intimis domorũ priuatarum penetralibus, ſi quid intus armorum occuleretur, quam plurimos e ciuibus præcipui nominis, maximè ſi quos ſibi infenſos atque aduerſos credebat, interfici iuſsit: cauſſatus rebus nouis eos ſtudere, armaque contra edictum apud ipſos fuiſſe deprehenſa. Adhæc adiunctis priori ſatellitio nequiſsimis perditiſsimisque ciuibus, tum & ſeruis dominorum cæde pollutis, externum quoque militem ad duo millia mercede conducit. Rebus ſuis
C ad hunc modum confirmatis, atque vniuerſa ciuitate exarmata, liberè ac pro arbitrio Tyrãnidem in quoſuis exercere cœpit: bona interfectorum inter ſceleris miniſtros diuidit: filios eorundem omnes vrbe excedere iubet; pœna capitis conſtituta ni pareant: coniuges dominorum interemptorum ſeruis nubere compellit: reliquam iuuentutem vrbanam interdicto armorum vſu atq; exercitatione, molliter & ad omnem luxum ad vigeſimum vſque annum inſtitui curat. Verùm enimuero quum iam diu ſumma felicitate Tyrannidem tenuiſſet; & res ſuas in tuto eſſe putaret, in ſenectute vltores ſcelerum Deos atque homines ſenſit, ab ijs, quorum ipſe parentes necauerat, quoſque in exſilium eiecerat, in regia
D oppreſſus, atque vnà cum liberis ac neceſſarijs interfectus. Ità liberatis a Tyrannide Cumanis ſumma rei ad Optimates rediit. Ceterùm haud diu Cumanis otium fuit: Etruſci enim inito cum Pœnis fœdere, vix tum a Tyrannide reſpirantes aggrediũtur: terra Etruſcus, mari Pœnus vrbem circumſedit. Cumani cum ſe vndique premi viderent, opem Hieronis Senioris Syracuſanorum Tyranni per Legatos ſupplices implorant. Haud vanæ fuêre legatorum preces. claſsis enim ſtatim ab Hierone in auxilium miſſa, animos Cumanis ad tentandam prælij fortunam fecit: magno animorum ardore vtrinque concurritur: & æquo diu marte pugnatum erat, neutro inclinante victoria; cum tandem forti ac fideli Sy-

ARISTODEMVS TYRANNIDEM APVD CVMANOS OCCVPAT.

CVMANI ARISTODEMI TYRANNIDE LIBERATI.

BELLVM CVM POENIS ET ETRVSCIS.

racusanorum opera,fusis fugatisq; nõ sine magna clade hostibus Cumanus superior euasit. Florere inde rursus Cumanorũ res auctis diuturna pace opibus cœperat; quũ nouũ illis cum Campanis socia amicaq; prius gente bellum oritur. Causa belli in incerto est:hoc constat,priores intulisse Campanos;ac Cumanos prælio superatos fugatosq;,atq; intra vrbem compulsos,terra,mariq; circumsedisse: ac tandem post longã obsidionem ciuibus nequicquã resistẽtibus,vrbe per vim potitos:spoliatamque & cædibus promiscuis exhaustam,colonis ex suis in eam conscriptis incolendam dedisse. Ceterùm Cumanorum,antequam in Campanorum potestatẽ peruenirent, potentiã testantur Coloniæ ab illis deductæ. Primùm Parthenopæ ab illis condita,ab Sirenarũ vna,quæ ibi sepulta erat,sic dicta. Eam quum postmodũ Athenienses,vnà cum Chalcidensibus occupassent;nomen eius in Neapolim mutarunt. Tum Dicæarchia altera Cumanorũ colonia;qua pro Emporio vsi sunt; quæ post Puteoli appellata est. Ceterùm Campani cũ Cumas a se occupatas nouis colonis habitandas dedissent, etiam reliquias Cumanorũ quæ cladi superfuerant,in societatẽ vrbis agriq; receperunt: & summa concordia rẽpublicam administrantes, in vnũ quasi corpus coaluere. hinc factum vt multa vetusti ritus argumenta apud Cumanos perseuerarent,Campanis nihil mutantibus. Egregia Cumanorum erga Romanos fides bello Punico secundo enituit. Nam quum vniuersa penè Campania a Romanis ad Pœnos atq; Hannibalem defeciset, initio ab Capua facto;Cumani vtidé facerent,nec promissis nec minis Campanorum adduci potuére. Campani itaque quod minis promissisq; non poterãt,dolo tentarunt,sed frustra. Cumani enim fraudẽ suspicati,dissimulato tamen se quidquã sibi a Campanis metuere;postquã Semproniũ Gracchum Consulem,qui id tẽporis ad Linternum castra habebat, de Cãpanorum consilio certiorem fecissent,eiusdẽ Consulis opera adiuti, non solùm Campanorum insidias euasẽre:sed dispositis in contrariũ insidijs,ac noctu impressione in castra Campanorũ facta, incautos improuisosque aggressi, Campanorũ ad duo millia cecidẽre,captis vnà cũ ipso duce Mario Alfio signis militaribus triginta quattuor. Hannibal Campanorũ sociorum clade intellecta, precibus eorundẽ fatigatus, vastato latè agro Cumano, castrisq; mille ab vrbe passibus communitis,Cumas omni apparatu oppugnare instituit. Verùm Cumani cum proprijs viribus subnixi,tum & Romanorum præsidio adiuti, disturbatis incensisque Pœnorum machinis,facta subitò vnà cum Graccho Consule duabus portis eruptione, fusis fugatisque in castra vsque Pœnorum stationibus,cæsisq; mille quadringentis,Hannibalem obsidionem soluere cogunt. Cumanis finito bello Punico petentibus a Romanis permissum,vt publicè Latinè loquerentur:

BELLVM CVMANORVM CVM CAMPANIS.

CVMA A CAMPANIS CAPTA EORVNDEM COLONIA FACTA.

COLONIA A CVMANIS DEDVCTAE.

CVMANORVM ERGA ROMANOS FIDES.

CVMA A PAENIS OBSESSA

A B C D

querentur: vtq; præconibus eorum Latinè vendendi ius eſſet. Cumanam quoq; rem per præfectos a populo Romano miſſos adminiſtratã fuiſſe inuenio. Bello etiam Marſico, quod a multis Italicum appellatur, Cumani Romanos ſumma fide iuuére: nihilque ab illis omiſſum quod a bonis & fidelibus ſocijs præſtari poſſet. Poſt Iulij tamen Cæſaris cædẽ, quũ M. Antonius, C. Cæſar Octauianus, qui poſt Auguſtus appellatus eſt, & M. Lepidus Triũviri Reipublicæ conſtituẽdæ maximam penè & fertiliſsimã Italiæ partẽ veteranis ſuis, poſt bellũ Philippẽſe in victoriæ præmiũ aſsignarent; ager quoq; Cumanus viritim in iugeribus veteranis diuiſus eſt. ipſaq; vrbs Cuma, ciuibus vrbe agrisq; pulſis, iuſſu Auguſti colonia facta eſt. nulla præteritorũ in populũ Romameritorũ aut officiorũ ratione habita. Celebratur naualis Cæſaris Auguſti cũ Sex. Pompeio ad Cumas pugna; qua grauiſsimã Auguſtus cladẽ accepit; maxima nauiũ parte capta aut depreſſa. Ceterùm vt de Cumanorum numiſmatibus ac ſymbolis in ijſdem expreſsis aliquid ſubiungamus; Conchile illud quod in primo, tertio ac quarto ſpectatur, muricis operculum eſſe exiſtimo; ideo a Cumanis ſignatum, quod Murices ad ſinum Baianum laudatiſsimi, ſi quid Horatio credimus, capiebantur: aut certè quia purpuriſsum e purpuris circa hæc litora collectum a Plinio commendatur. In auerſa parte Paguri ſiue alius cuiuſquam e cancrorum marinorum genere caput cum prioribus pedibus ſine chelis adparet: Pagurus autem veteribus prudentiæ & ſapientiæ ſymbolum fuit: atque hac de cauſſa e collo Epheſiæ Dianæ olim ſuſpenſus fuiſſe proditur: & Paguri exſuuijs Dianæ caput ob ſimilem cauſſam in Bruttiorum numiſmatibus eſſe ornatum ſuo loco referemus. Paguro ſapientia tribuitur, quia verè, quum cruſtam exſuerit, & aculeis, armisque ſuis ſpoliatum ſe ſenſerit, lateat; viribusque ſuis diffiſus nullos aggrediatur; donec teſtam nouam eamque iam induratam recuperarit: Prudentia etiam vtitur, in excutienda grauiore teſta, ſi quid Oppiano credimus. quum enim tempus appetit, huc & illuc tanquam furijs incitatus fertur, alimenta perſequens; vt ex pleniore victu facta ad corporis molem acceſsione, teſta diſrumpatur. Traditur quoque Pagurum muſicam amare, & ea delectari: ipſumque præcipuè vim Lunæ ſentire, qua creſcente ſucculentior fiat & melior: atque ob id lunæ; ob Muſicam verò Apollini ſacrum haberi. Adparent in duobus poſtremis numiſmatibus capita Sybillæ Cumanæ, cuius ob vaticinia celebris admodum apud priſcos memoria eſt. Cumarum longitudinem Ptolemæus XXXIX. partium cum triente, latitudinem XLI. ſ. ponit, & Liternum Vrbem Scipionis Africani ſeceſſu notam, ſextante partis quàm Cumas orientaliorem: quam tamen alij vltra Cumas in occidentem tranſponunt. Liternum

CVMANVS AGER VETERANIS DIVISVS.

PAGVRVS.

inter præfecturas, quas Præfecti ſuffragijs a populo creati adminiſtrabãt, A a Feſto refertur. Coloniam ciuium Ro. eò deductam eodẽ anno, quo & Puteolos, Liuius prodit. Frontinus eam inter colonias militares ab Auguſto deductas recenſet. Vulturnum colonia ad Vulturni fluminis oſtium erat: eam Ptolemæus ſeptunce quã Cumas orientaliorem, quincunce auſtraliorem facit. Vltra Vulturnum fluuium Gaurus mons ad ripam vſque Liris orientalem pertinebat. Huius montis pars occidentalis Gaurus; orientalis & iuga eiuſdem Maſsicus; ſeptemtriolis Falernus dicebatur. Falernus ager eius montis ad Septemtrionem decliuitate porrigebatur. vinum, quod ſummis collibus naſcebatur, Gauranum; quod mediis, Fauſtianum: quod imis, Falernum vocabatur. vltra Falernum agrum, veſcinus ager erat, a Veſcia Campanorum opido dictus, quod nomen in Annalibus Liuij frequentiſsime deprauatum eſt. Veſtini enim Sabinis ad ortum proximi erant; vt Veſcini Capuanis & Sidicinis. B

ΣΙΝΥΕΣΣΑΝΩΝ.

SINVESSAM, quæ antea Græcæ originis vrbs Sinope vocata fuit, a ſinu Setano ad quem ſita erat dictam fuiſſe, boni in primis auctores Liuius & Strabo prodiderunt. Sinopes quidem nominis nonnulli originem repetunt a Sinope Pontici maris vrbe: verùm qua occaſione (an nominis ſimilitudine decepti incertum) non referunt. C

SINVESSA PRIVS SINOPE DICTA.

Ceterùm quod ad Sinueſſam pertinet, eius coloniæ deducendæ cauſſam Samnites præbuerunt, qui Ap. Claudio Cæco II L. Volumnio II Coſs. per Veſcinos in Campaniam agrumque Falernum tranſcéderant, ingentemque prædam fecerant. Volumnius enim conſul Samnites præda impeditos oppreſſerat, & Campaniæ agros ab hoſtili impetu liberatos populo R. aſſeruerat. Placuit itaque vt duæ Coloniæ circa Falernum & Veſcinum agrum; vna ad oſtium Liris fluuij, quæ Minturnæ dicta eſt, (de quibus paullò pòſt acturi ſumus) altera quam nunc deſcribimus in ſaltu Veſcino Falernum contingente agrum deducerentur. Tribunis pl. negotium datum erat, vt plebiſcito P. Sempronius Prætor Triumviros colonis in ea loca deducendis crearent. nec qui nomina darent facilè inueniebantur: quia in ſtationem ſe propè perpetuam infeſtæ regionis, non in agros mitti rebantur. Velleius eam proximo demum anno, Q. Fabio Maximo Rulliano V. P. Decio Mure qui ſe deuouit IIII. Coſs. quarto & viceſimo anno ante bellum cum Pyrrho rege geſtum, Sinueſſam fuiſſe deductam & Samnitibus oppoſitam ſcribit. Ceterùm bello Punico ſecundo, quum Hannibal a Caſilino ad aquas vſq; Sinueſſanas

SINVESSA COLONIA D

AQVAE SINVESSANAE.

A ſanas populatum excurreret; agrosque ac villas Sinueſſanorum vreret; ita vt omnia iam belli cladibus flagrarent, neutiquam is terror Sinueſſanos a fide dimouere potuit. Calidas in agro Sinueſſano aquas, easque hecticis & phthiſicis ſaluberrimas Strabo & Plinius teſtantur. addit Plinius eaſdem feminis ſterilitatem; viris inſaniam abolere. Huius quoque rei cauſſa Tacitus Claudium Cæſarem, paullò antequam deſijſſet morari in terris, aduerſa valetudine correptum, vt vires reficeret, cæli eius mollicia & ſalubritate aquarum, Sinueſſam profectum ſcribit: forſan quoque in eam ſpem inductus, vt aquarum beneficio ſeſe a ſtultitia, qua notatur, liberaretur. Quod ſi rerum abditarum ſymbolis quidquam
B tribuendum ſit; opinari licet hac de cauſſa Pagurum, quem iam ſapientiæ notam eſſe oſtendimus, etiam in Sinueſſanorum numiſmatibus expreſſum; vt in altera parte Teſtudinem lutariam ſalubritatis ſymbolũ. Teſtudinem enim medicinæ periti hecticis in potu dant, tum ad refrigerandum, tum ad alendum: carnes verò cum hordeo coctas phthiſicis vtiles ſcribunt. niſi vtrumque ad vrbis ſitum referre malimus: videlicet quod maritima ſit Pagurum; quod ad ſaltum ſita & aquis dulcibus abundet, teſtudinem, vt animal Amphibium ſignaſſe. Sinueſſanos victoria aliqua nauali, cuius apud nos obſcura memoria eſt, potitos argumento eſſe poſsit, Neptunus tridenti ſuo inſignis curru triumphali qui in
C altero nummo ſpectatur: aut certè eundem ipſis pro Deo tutelari cultũ fuiſſe, Sinueſſanos etiamſi maritimi eſſent, ſacro ſanctam tamẽ vacationem, quum hoſtes in Italia eſſent non habuiſſe, Senatus conſulto declaratum fuiſſe Liuius prodit. Obſeruo quoque in libello Coloniarum Sinueſſam inter Colonias militares in hæc verba recenſeri: Sinueſſa muro ducta: iter populo non debetur: ager eius in iugeribus, limitibus intercisis, militibus eſt adſignatus. Exſtat & vetuſta inſcriptio, quo mulſum & cruſtum & cæna Colonis Sinueſſanis. ex teſtamento L. Pappij Pollionis præbenda præſcribuntur. Ptolemæus Liris fluuij oſtio particulæ vnius ſextante orientaliorem; vncia verò Septemtrionaliorem ponit.
D huic namque XXXIIX. s. partium longitudinem; XLI. partis cum triente latitudinem adſcribit. Liris oſtium longitudine XXXIIX. partium cum triente; latitudinem XLI. cum quadrante deſcribit. Strabo qui Auguſti æqualis fuit, tradidit maritimam Latij oram vſque ad Sinueſſam fuiſſe ſuo ſæculo protenſam; nec diuerſa ab eo Plinius tradit. Liris quidem e Veſtinorum agro & Apenninis collibus originem ducit, atque in mare Tyrrhenum ad Minturnas adfertur.

SINVESSA COLONIA MILITARIS.

MINTVRNAE AVSONES. MINTVRNAS Auſonum fuiſſe vrbem, Auſones autem Auruncos propriè dictos in Tzetzis græca hiſtoria inuenio, inter Volſcos & Campaniam ſitos. Minturnas tamen etiam Samnitium fuiſſe prodit Stephanus. has Liris interfluit: ſupra eas Fregellæ; ſupra fregellas Arpinum, ſupra Arpinum Sora, omnes ad Lirim teſte Strabone. Lirim prius Glanicum fuiſſe vocatum nonnulli ſcribunt. Ad huius ripas lucus erat & templum deæ Maricæ non longè a Minturnis dicatum. Marica vxor Fauni fuit: eamque pro Dea litoris Minturnenſium fuiſſe cultam Honoratus teſtatur. B

MARICA DEA.

MINTVRNAE COLONIA. Coloniam Minturnas eodem anno eſſe deductam; quo & Caſinum M. Valerio Maximo, P. Decio Mure Coſs. Liuius libro nono prodidit: decimo tamen ſcribit, iſtud XVII. annis, aut (ſicuti in Sinueſſa meminimus ex Velleij auctoritate) XVIII. tardius factum fuiſſe. Minturnas Coloniam militarem a C. Cæſare deductam Frontinus ſcribit.

MINTVRNAE COLONIA MILITARIS. Ceterùm bello ciuili Mariano, quum Sulla armatus Marium & eius factionem vrbe expuliſſet; equiteſque Sullani ipſum perſequerentur, vt vitæ ſuæ conſuleret in Minturnenſium paludibus ſe condidiſſe ſcribitur: atque inde equitum ſtrepitu territus emergenſque, deprehenſus & Minturnas abreptus eſt. Minturnenſes quod tanti viri dignitatem reuereriti ipſum incolumem dimiſerint & officijs quoque fugientem proſequuti ſint meritò laudantur. C Quo autem modo Minturnæ cum alijs duobus Auſonum, oppidis Auſonia & Veſcia per proditionem principum aliquot iuuentutis in poteſtatem populi Ro. peruenerint, apud Liuium videre eſt libro IX. Portis enim per inſidias occupatis eadem hora, eodemque conſilio tria oppida capta ſunt: & quia ducibus abſentibus impetus factus fuerat, promiſcuis in ciues cædibus ſæuitum eſt, deleta vniuerſa ferè ad internecionem Auſonum gente. In Auſonum itaque regionem cædibus exhauſtam Latinorum gentem immiſſam, atque inde Latium nouum fuiſſe appellatam veriſimile eſt. quod accidiſſe opinor inter bellum Tarentinum & Punicum primum. D Ea fuit olim gentis Auſonum celebritas, vt ab ijſdem, teſte Dionyſio & Strabone, tota Italia a Græcis Auſonia diceretur, & mare Auſonium, quod poſtea Thyrrenum. Porrigitur in mediterraneis campus Pontinus, quam regionem antiquiſsimis & multis ante conditam vrbem temporibus, Mutianus teſtante Plinio XXIII. vrbibus frequentatam prodidit. Auſonibus nomen fuiſſe factum ab Auſone Vlyſsis & Calypſus filio Feſtus memoriæ proditum reliquit. Paludum Pontinarum frequens etiam apud ſcriptores mentio eſt. has duo flumina efficiebant: quorum

LATIVM NOVVM.

AVSONIA.

VFENS FL.

præci-

A præcipuum Vfens erat; quod & Vfentinæ tribui nomen dedit;vt Feſtus & Lucretius teſtantur, & Latium nouum a veteri diſtinguebat. Obſeruo a M.Cornelio Cethego Conſule eas paludes fuiſſe ſiccatas, & ad agriculturam diuiſas. VFENTINAE TRIBVS.

AXVRITANORVM.

TARACINA quæ Volſcorum lingua Axur dicebatur in Pontinis paludibus ſita erat. Axuris nomen & numiſmata exprimunt, & Seruij ratio cum eiſdem congruit: Volſcos videlicet Iouem Axurium B coluiſſe quaſi dicas imberbem & ἄξυρον hoc eſt qui barbam non raderet, ξυρὸν namque nouaculam Seruius interpretatur. & certè numiſmata Axuritanorum Iouem imberbem oſtendunt;ſicuti Minturnenſium,barbatum & Latialem. Ceterùm quod ad Volſcos pertinet, ij ferè mare verſus vltra & citra Vfentem opida Axur ſiue Taracinam (quam a ſitus aſperitate Trachiniam fuiſſe dictam Strabo teſtatur)Antium & Sueſſam Pometiam (vt cetera opida hîc omittamus) tenuerunt. Volſcos primus vt Dionyſio placet,bello proſequutus eſt Ancus Rex.at Liuius ſecus;qui Volſcis a Superbo rege primùm arma illata ſcribit. At commotus ſemel ab eodem Volſcorum populus arma ad ducentos annos ſumſit:nec C quies fuit aut pax niſi per interualla & infida:æmulatione enim inuidiaque in populum Romanum ita acriter flagrabāt, inimicitiaſq; & hoſtilitatem ea animorum pertinacia exercuerunt, vt præter Tarquinium Superbum regem tribus Dictatoribus & ſeptem conſulibus triumphi & duobus Conſulibus Ouationis materiam præbuerint. Axuritanos autem in populi Ro. poteſtatem a C.Valerio Potito & C. Seruilio Ahala,qui Tribuni militum cum Conſulari poteſtate erant, per expugnationem eſſe redactos obſeruo:& opidum vetere fortuna opulentum militibus ad direptionem datum. Additur ob hanc potiſsimum victoriā Senatum decreuiſſe, vt ſtipendium miles de publico acciperet; quum D ante id tempus de ſuo quiſque eo munere functus eſſet. Anno inde octogeſimo L. Aimilio Mamercino, C. Plautio Proculo Coſs. Axur ſiue Taracinam trecenti in coloniam miſsi ſunt, & bina agri iugera acceperunt:neque poſtea,etiamſi maritimi Coloni eſſent, ſacroſanctam vacationem tenuerunt. TARACINA AXVR. IVPITER AXVR. VOLSCI. AXVRITANI IN POTESTATEM POP. RO. REDACTI. COLONIA AXVR DEDVCTA.

Inter Caietam & Taracinam oppidum Amyclæ erat,a Laconibus qui in comitatu Caſtoris & Pollucis erant conditum:qui quum tumultuoſis & vanis de hoſtium aduentu nuncijs aliquoties perturbarentur;interdixerunt,ne quis nouarum rerum nuncius eſſet. Ceterùm quum ſeriò hoſtes ſuperuenientes eos oppreſsiſſent, ſilentium imperatum ipſis AMYCLAE.

fuiſſe

fuiſſe exitioſum ſcribitur. Taracinæ longitudinem Ptolemæus xxxvii. A partium cum dodrante; Latitudinem quadraginta vnius partis cum quadrante poſuit. Vltra Taracinam Circeium promontorium & Circeij vrbs erat, inde Antium.

ANTIATVM.

Antivm Albanorum Colonia.

Antivm ab Albanis conditvm.

Antivm Volſcorum Metropolis, originis ſuæ auctores Albanos & Aſcanium AEneæ filium habuit, ſunt qui ad Tuſcos primordia vrbis referant. Sita erat vrbs, in rupe ardua, amœno in mari proſpectu, Ceterùm portu carens: donec Nero Imperator Colonia Veteranorum eò deducta, portum ornatiſsimum ibi conſtruendum curaret. B

Fortvna Antiatvm.

Colebatur apud Antiates, ſumma cum religione, pro tutelari vrbis numine Fortuna. Huic Deæ templum intra vrbem ædificatum erat vti ornatiſsimum & opulentiſsimum, ita & certa oraculorum fide celebre. Auxit admirationem prædicta C. Caligulæ Cæſaris cædes, nominato etiam percuſſore quæ mox inſequuta eſt. Mos erat ijs qui Deam conſulerent vt eius ſimulachrum promouerent; atque ita inter mouendum reſponſum reddebat.

Bellvm inter Antiates et Romanos.

Primùm Antiatibus cum Romanis bellum fuit anno ab vrbe condita ducenteſimo ſexageſimo Sp. Caſsio Viſcellino, & Poſtumo Cominio Aurunco Coſs. animum faciebat Antiatibus ad Romanos bello laceſſendum diſcordia ſeceſſusque plebis in Sacrum montem; ad delendum itaque nomen Romanum cum cæteris Volſcis conſpirant, atque agrum Romanum, incurſionibus populantur. Ceterùm Romani conciliatis inter ſe plebe & patribus, ac miſsis cõtra Antiates cum Poſtumo conſule legionibus, fuſis fugatisq; Antiatibus Longulo opido, in quod ſe ex fuga Antiates receperant, per deditionem potiuntur. Inde capiunt Coriolos, quò ſe maior Antiatum ac Volſcorum multitudo receperat. Hac clade fracti pacem petiére Antiates, Volſcique reliqui. Ceterùm non diu eam ſeruarunt. Conſilio enim & inſtigatione Accij Tullij Volſcorum principis, ductuque atque opera Cn. Martij (qui a captis nuper ſua potiſsimùm virtute Coriolis, Coriolani nomen aſſequutus fuerat) occupatis in Latio & finibus agri Romani compluribus, tum Romanorum colonijs, tum ſociorum opidis ad ipſam vſque vrbem Romam copias duxére: remiſsisque atroci cum reſponſo non ſolùm legatis Romanorũ, ſed & ſacerdotibus qui infulati & ſupplices ad caſtra Coriolani pacem petẽtes venerant: haud prius legiones agro Romano abductæ ſunt; quàm matronæ Romanæ vnà cum C D

coniuge

A coniuge ac matre Martij Coriolani missæ eundem patriæ reconciliarẽt. Posthæc occiso Antij per seditionem Martio Coriolano a multitudine populari, quàm Accius Tullus motus inuidia rerum ab ipso gestarum in Martium concitarat, ipsoque Accio haud multò post cum omni penè exercitu a Romanis cæso, Antiates & reliqui Volscorũ non sine frequentibus ac magnis suorum cladibus, bellum cum Romanis traxêre; factis subinde in agrum Romanum incursionibus; donec T. Quinctius Barbatus consul admoto ad Antium exercitu quò Volscorum multitudo metu Romanorum sese receperat, vrbem per dies aliquot obsessam in
B deditionem acciperet. Antio capto Romani ad Coloniam eò deducendam Triumviros creant, T. Quinctium, A. Verginium, & P. Furium: iussi nomina dare, qui agrum accipere vellent, adeò pauci dedére; vt ad explendum Colonorum numerum etiam Volsci adderentur. Verùm enimuerò cum colonos (quia minor pars ciuium Romanorum erat) vel per se parum fidos, ciues insuper & indigenæ qui post Antium deditum ad AEquos & aliò confugerant, in patriam reuersi, solicitarent, & a Romanis abalienarent, factum est vt Antiates sæpius rebellarent, & imperium detrectarent, hinc missis identidem a Romanis cum exercitu nunc
C consulibus, nunc alijs magistratibus, ad castigandam vindicandamque Antiatum perfidiam, capto sæpius tum ipso Antio, tum Satrico, quò se subinde Antiates recipiebant, pluribus triumphis, tam de se, quam de Volscis alijsque gentibus socijs & confœderatis materiam præbuére. Noua posthæc Colonia ab Romanis Antium deducta est; Antiatibusq; permissum, vt & ipsi si vellent, coloni adscriberentur: ijsque ius ciuitatis Romanæ datum est: naues tamen ademptæ, interdictumque mari Antiatibus. Hic finis rebellandi Antiati populi fuit; mansitque eorum deinceps inconcussa erga Romanos fides. Bello ciuili Mariano ingentem calamitatem vrbs accepit, Mario per vim capta; multaq; crudelitate in ciues sæuitum. Natum Antij C. Caligulam Cæsarem testatur in eius vita Suetonius; dilexisseq; eum hanc vrbem præter reli-
D quas: ita vt si diutius superuixisset, sedẽ imperij eò trãslaturus crederetur. Nero autem Cæsar captus amœnitate loci, Antiatibus immunitatẽ dedit, & Colonos eò ex milite Prætoriano adscripsit: portumque ibi operis sumtuosissimi fecit. Xenagoras apud Dionysium auctor est, Vlyssis & Circes tres fuisse filios: Romũ qui Romam; Antium qui Antiũ; Ardeam, qui Ardeam vrbes tres datis ijsdem de sese nominibus condidissent. Antij longitudinẽ apud Ptolemæũ xxxvi. partibus cũ dodrante; latitudinẽ xli. partis cum triente scriptã obseruo. Hinc ad Tiberim vrbs Ostia duobus & triginta millibus distabat; quam decimosexto ab vrbe miliari in ora Tiberis Ancus Martius condidit, deductis in eam colonis.

ANTIVM COLONIA ITERVM A ROMANIS DEDVCTA.

OSTIA.

HACTENVS oram Italiæ maritimam inter Neapolin & Oſtiam vrbes obiuimus: nunc aduerſo Tiberis tractu progreſsi ſedem vrbis, terræque marisque olim principis, populosque qui Latium vetus antequam Roma conderetur incoluerunt, paucis enumeraturi ſumus: vt cõſtet & Romanos origine Græcos eſſe. Memoriæ proditum eſt, primos omnium qui Latium eaque loca in quibus vrbs cõdita eſt incoluerunt, Siculos fuiſſe barbaros & indigenam gentem: eosque Aboriginum armis ſedibus ſuis expulſos, in Sicaniam nauigaſſe, inſulamque in poteſtatem redactam Siciliam a ſe nuncupaſſe. Aborigines verò Græcam fuiſſe gentem ex OEnotriis Græcis oriundam XVII. enim ante Troiana bella ætatibus; (ætatem autem Dionyſius XXVII. annis metitur; vt hic anni componantur, CDLX.) Arcades OEnotro & Peucetio ducibus ex Arcadia in Italiam commigraſſe. OEnotrij qui a Græcis Aborigines dicebantur, primi omnium fuerunt, qui ex peregrina gente Latium tenuerunt; a montanis ſedibus, vt eas colere Arcadibus mos fuit, Aborigines dicti, ſi quid Dionyſio credendum eſt. & ſi ſint, qui Aborigenes Italiæ indigenas, quaſi ſine origine dicas nuncupatos prodant. Nonnulli quaſi Aberrigines, veluti errones & incertis ſedibus vagos nuncupatos malunt: nobis tamen Dionyſij auctoritas præ ceteris placuit. Annis ante bellum Iliacum ferè centum, Pelaſgi ex Theſſalia pulſi in Italiam venientes, OEnotrijs adiuncti & iure cognationis excepti, omnes communi nomine Aborigines appellati ſunt. Pelaſgi e Peloponneſo & Argis oriundi, nomen a Pelaſgo Iouis & Niobes filio eorum rege acceperant. Ceterùm non admodum diuturna fuit Pelaſgorum gentis propago in Italia: quinquageſimo namque poſtquam appulerant anno, ob oracula neglecta multis magniſque calamitatibus oppreſſa defecit: eorumq; vrbes habitatoribus deſertæ, a Tyrrhenis poſtea occupatæ ſunt: qua ratione factum eſt, vt ſæpius Pelaſgorum & Tyrrhenorum nomina apud antiquiſsimos ſcriptores indiſtinctè accepta fuerint. Sexageſimus ante bellum Troianum annus agebatur, quum Fauno in Aboriginibus regnante, tertia Græcorum ex Peloponeſo claſsis, ex Palantio vrbe Arcadiæ duce Euandro Mercurij & Themidis nymphæ (quæ & Carmenta dicebatur) filio, in Italiam nouas quæſitum ſedes venit: qui a Fauno hoſpitaliter excepti, locoque ijs & agris, vbi vrbs poſtea condita eſt, aſsignatis, condito propè Tiberim Carmentæ hortatu oppidulo monte munierunt, quem Palantium ab vrbe ex qua oriundi erant appellarunt. Poſtea corrupta voce Palatium nominatum. Quarta inde Arcadum claſsis Hercule duce in hanc Italiæ partem venit: hic Hiſpania domita in patriam

ABORIGINES. B

PELASGI. C

EVANDER. D

FAVNVS REX.

A patriam reuertebatur, Arcadum pars maior, aut ſenio aut longo labore cõfecta, aut alias ob cauſſas miſsione impetrata in Italia remãſit; quæ Capitolino colle (is tunc Saturnius dicebatur) munito, opiduloque condito ibidem cõſedit. ijs admixti erant plerique Troiani, qui ſub Laomedonte bello Iliaco priore ab eodem Hercule captiui facti fuerant. Atque hi rempublicam ſuam ſeparatim aliquandiu adminiſtrabant: ceterùm haud multò poſt, victum, leges, ac ſacra cum Aboriginibus communicantes ſicuti Arcades, & prius Pelaſgi fecerant, vno omnes nomine Aborigines appellati ſunt. Præerat Aboriginibus quum Hercules in Italiam deſcenderet, Faunus e Marte, vti credebatur, genitus, Arcadibus

SATVRNIVS MONS.

FAVNVS REX.

B verò Euander. Verùm poſtquam Hercules Cacum qui Arcadum agros latrocinijs infeſtabat, confeciſſet; diuinos ab Euandro honores ex Carmentæ oraculo conſequutus eſt: hæſitque eius ſacrificij ius, & Græcanico ritu curatio, apud duas nobiliſsimas eius ſæculi gẽtes Potitiam & Pinariam; idque ex Herculis inſtituto ita tamen vt Potitij inter collegas Pinarijs potiores eſſent. Poſt Herculis ab Italia digreſſum annus agebatur quinctus & quinquageſimus; quinctus verò & triceſimus ex quo Latinus nõ Fauni vt opinabatur, ſed Herculis filius (a quo Aborigines omnes paullòante Troiæ euerſionem Latini ſunt vocati) apud Aborigines regnum adminiſtrabat, quum AEneas euerſa patria in Lau-

LATINVS REX.

C rentem agrum non longè a Tiberi appulit; fœdereque cum rege Latino percuſſo, filiam ipſius nomine Lauiniam, regni heredem in vxorem accepit. E cuius poſteritate, idque ſtirpe decimaſexta, Romulus & Remus gemini vrbis Romæ conditores prognati ſunt. Hos vti ſcriptores prodiderunt, primùm editos Amulius Rex, qui fratem ſuum Numitorem (e cuius filia Ilia, a Marte vti credebatur in ſomno compreſſa, gemelli prognati fuerant) regno per vim deiecerat; in Tiberim mergendos proijci iuſſerat. Verùm vi fluminis ad Palantij mõtis radices eiecti, a Lupa (ſi quid antiquitati creditur) aliquandiu enutriti ſunt; donec a Fauſtulo paſtore regio colligerentur. Hoc quoque ab Dionyſio traditur,

D Arcades victoriæ fanum in Palantini montis vertice exſtruxiſſe; Victoriam autem vti eſt in fabulis Arcadum, Palantis ex Lycaone nati filiam fuiſſe: & honores quos tunc habebat apud homines, Minerua iubente conſequutam; quòd cum hac dea ſimul educata fuerit. Quin & Neptuno Hippio ſiue Equeſtri Feſtum inſtituiſſe, quod Hippocratia Arcadibus, Latinis Conſualia dicebatur. Atque hæc paullò altius de prima vrbis origine a nobis repetita ſunt, vt aliqua veterum auctoritate, eorum numiſmatum rationem quæ Romanorum inſcriptionem præſeferunt, & profitentur fulciremus. Ceterùm diu admodum nos torſit quid de ijſdem conſtitueremus, vſqueadeo vt eadem tanquam adulterina ex or-

VICTORIA.

HIPPOCRATIA.

dine numiſmatum mouenda nonnunquam ſtatueremus; potiſsimùm A
quòd ea Græco artificio peritiſsimè etiam argento cælata videremus:
quum conſtet Romanos rudi ære vſque ad Seruij Tullij tempora vſos:
inde nota pecudum, vnde pequunia dicta ſit, ſignatum fuiſſe. Argen-
tum verò annis demùm quinque ante bellum Punicum primum ſigna-
tum Plinius teſtatur; notas autem argenti bigas atque quadrigas fuiſſe:
vnde bigati quadrigatique dicti: quemadmodum æris ex vna parte Ia-
nus Geminus, ex altera prora ſiue roſtrum nauis: ita vt ea quæ hic repræ-
ſentamus numiſmata neutiquam Romana videri poſsint. Quare
quum diu quid hîc ſtatuendum eſſet animo fluctuaremus, hæc tandem
nobis haud improbabilis viſa eſt coniectura, eadem olim ab aliquo an- B
tiquitatis peritiore, non minus ingenioſe quàm artificioſe excogitata &
procuſa, vt originem quam Romani a Græcis ducere vel credebantur,
ROMA VALENTIA PRIVS DICTA. vel videri volebant ijſdem exprimeret. Non deſunt qui prodant, vr-
bem ipſam ab initio Valentiam a Latinis dictam fuiſſe; Euandrum au-
tem poſtea Græcè Romam nominaſſe. Arcadum namq; dux Euan-
der, vt meminimus, ex Arcadia profugus, litteras Græcas Latinis dedit:
quanquam alij id Carmentæ matri Euandri attribuant: eamque ob hoc
beneficium inter deas & fatidicas eſſe relatam. Ne hæc quoque aliena
ab hiſtoria aut prorſus abſurda fuerit coniectura, auctorem horum nu-
miſmatum vt Hippocratia Arcadiæ Feſta, ſiue cõſualia Romanis dicta C
ſymbolo aliquo repreſentaret, equi caput & equum expreſsiſſe: Itidem
& Mineruam Galeatam ſiue Palladem parte aduerſa, victoriam verò
auerſa ſignaſſe; vt victoriæ Palantis filiæ, quæ vti ſupra memorauimus
Mineruæ iuſſu colebatur, rationem haberet. Herculem quoque Græ-
cum cui ex ipſius inſtituto ſacris operabãtur, aduerſa parte cum claua &
exuuijs leonis expreſsit; vt auerſa Romulum & Remum gemellos ab
hubere lupæ pendentes. Hactenus itaque rationem coniecturæ no-
ſtræ cum hiſtoria congruentem compoſuimus: quod ſi cui propiora his
aut certiora aſſequi contigerit; vt ea quoque eodem candore impartiri
dignetur rogamus. Ceterùm quod ad vrbis ab AEquatore diſtan- D
tiam, ſiue latitudinem pertinet, eandem duabus vncijs quam
Ptolomæus collegit, aut etiam Gnomonica ratio ex Trian-
gulorum doctrina patiatur, minorem artificium ob-
ſeruatio hoc noſtro ſeculo deprehendit. nos e
Latio in Campaniam Sueſani quorum
numiſmata proximè ſequun-
tur reuocant.

SVESA.

A

SVESANORVM.

SVESA ad Maſsicum Campaniæ montem ſita erat; de cuius origine, vt nihil ſatis certi ab antiquitate (quantum enim perſcrutari potui) memoriæ proditum eſt; ita frequens eiuſdem in hiſtorijs & a prima ferè vrbis origine mentio eſt; eiusque cognomen varia. Sueſam namque Pometiam Superbum regem Volſcis per vim eripuiſſe; atque, vt vrbis tunc opulentiam intelligas, ex diuendita præda XL. talenta auri argentique confeciſſe, Liuius auctor eſt. Iterum Ap. Claudio Pulchro & P. Seruilio Iſaurico Coſs. Volſci ſubitis Romanorũ armis victoriaque perculſi, primùm obſides trecentos a Cora & Pometia tradiderunt: mox ad arma conuerſi & prælio victi Pometiam opidum amiſerunt; cuius præda milites ab inopia recreati ſunt. Pometiani direpti diſpoliatique vt quidam ſcripſerunt, ſeſe Sueſam habitatum contulerunt; quorum acceſsione Sueſam cognomento Pometiam vocatam credunt. Atqui iſtorum opinionem Liuius a tempore coarguit, qui Sueſæ illud cognominis tribuit Superbo regnante. Ceterùm C. Sulpicio Longo, P. AElio Pæto Coſs. quum inter Sidicinos & Aurũcos bellum eſſet exortum, Auruncique a T. Manlio Torquato Conſule in deditionem accepti, nihil deinde mouiſſent, auxilium a Romanis petierunt. Sed priuſquam Conſules ab vrbe (Senatus enim Auruncos defendi iuſſerat) exercitum educerent, Aurunci opidum ſuum metu deſeruêre; profugique cum coniugibus ac liberis Sueſam bellis prioribus detritam munierunt: quæ deinceps Sueſa Aurunca ab Auruncis appellata eſt. Auruncorum verò opidum quod deſeruerant, a Sidicinis deletum. Coloniam Latinam L. Papirio Curſore. v, C. Iunio Bubulco Coſs. Sueſam Auruncam eſſe deductam Liuius memoriæ prodidit: id tamen Velleius biennio ferè tardius factum teſtatur. Lege Sempronia fuiſſe deductam; iterque populo non deberi Frontinus tradidit. Obſeruo Sueſam inter duodecim Colonias quæ bello Punico ſecundo imperiũ populi Romani abnuerint, & tributũ militemq; vnde darent ſe habere negauerint recenſeri: quibus tamen ſexto poſt anno per. s. c. imperatum eſt; vt quantũ quæque earum coloniarum militum plurimũ dediſſet populo Romano ex quo hoſtis in Italia eſſet, eius ſummæ numerum peditũ duplicatũ daret, & equites centenos vicenos; ſi qua eum numerũ equitũ explere non poſſet, pro equite vno tres pedites liceret dare. Exſtat etiam nũ antiqua inſcriptio quæ in colonia Sueſa ordinẽ Decurionum & Auguſtaliũ & plebem memorat: quod argumento eſſe nonnulli exiſtimant, Sueſam quoque Coloniam ſub Auguſto militarem fuiſſe: quod tamẽ apud nullum quos equidem videre potui, ſcriptorum ſatis certò confirmatur.

SVESA.

SVESA POMETIA.

AVRVNCI.

SVESA AVRVNCA COLONIA LATINA.

SVESA COLONIA MILITARIS.

TIANEΩN. A

TIANVM SIDICINVM. SIDICINI Sueſanos ſequuntur, quos Strabo e gente Oſcorum fuiſſe putat: horum præcipui nominis vrbs erat Tianum cognomento Sidicinum dignitate præſtans, & quæ ſecũdam poſt Capnam magnitudinem tenebat, in via Appia ſita. Ceterùm vt & iſtius vrbis fatum & origo nobis ignota ſunt; ita quæ de Sidicinis a nobis obſeruari potuerunt, paucis repetemus. Sidicini itaque A. Cornelio Coſs. M. Valerio Coruino III. Coſs. armis Samnitium oppreſsi, quum ad Capuanos ſe contuliſſent, bellum excitarunt quod a Po. Ro. cum Samnitibus pro Capuanis geſtum eſt. Capuani namque ab ijs in agro Sidicino fuſi, ſe B agros vrbemque in fidem populi Ro. dediderant. Ceterùm biennio poſt quum Samnites icto cùm Romanis fœdere Sidicinis arma intuliſſent, Sidicini quòd a Senatu repulſi eſſent; ad Latinos qui tum bellum populo Ro. parabant ſe contulerunt. Verùm enimuerò a T. Manlio Torquato Conſule victi fugatique vnà cum Latinis Sidicini, eidem conſuli triumphi materiam præbuére. Poſtea & alio prælio vnà cum Auſonibus qui arma cum Sidicinis coniunxerant, a Romanis ſuperati, cum T. Veturius Caluinus & Sp. Poſtumius Regillẽſis Conſules depopulatis Sidicinorum finibus, exercitum ad ipſa opidi mœnia admouiſſent, miſſo anno inſequenti nouo aduerſum ipſos exercitu, tandem cum Latinis C & tota Campania in poteſtatem populi Romani venerunt. Obſeruo Campanis poſt hæc ferè tempora ciuitatẽ ſine ſuffragij latione datam;

TIANVM MVNICIPIVM. quo tempore ſuſpicari licet & Tianum Sidicinum municipij iure donatum: nam etiamſi auctores, quantum equidem obſeruare potui, de tempore non prodiderunt, conſtat tamen diu ante legem Iuliam Tianenſes ciuitate donatos, ac iure municipali vſos. argumento eſt, quod C. Graccus in ea oratione, quàm de legibus promulgatis habuit, Tianum Sidicinum inter municipia refert; conquerens Tianenſes tanquam ciues Romanos, a magiſtratibus Romanis verberatos. Tianum verò Sidi-

TIANVM COLONIA MILITARIS. cinum inter militares Colonias ab Auguſto deductum, Frontinus te- D ſtatur; & iter paſſuum LXXXV. populo deberi; agrumque eius limitibus metricis aſsignatum fuiſſe. Ceterùm ne quem illud quoque fallat; duplex Tianum Italiam habuiſſe auctores prodiderunt; vnum, cuius nunc mentionem fecimus, cognomento Sidicinum; alterum Tea-

TEANVM APVLVM. num Apulorum, quod in mediterraneis Dauniorum Apulorum a Ptolemæo recenſetur & a Plinio: ijque Teanenſes, nec longè ab ijs in ortum diſtantes Canuſini populationibus feſsi, obſidibus L. Plautio Vennoni Conſuli datis, in deditionem Po. Ro. venerunt, vt Liuius prodit. Diodorus regionem omnem Dauniorum Apulorum populationibus vexatam

A xatam & Canuſinos in fidē acceptos ſcribit. Nec de Tianenſium vtrorumq; rebus quidquam aliud ſcriptum inuenimus. Ceterū quod ad numiſmata pertinet, primò quidē Apollo capite radiāte, auerſa parte Luna falcata gibberaq;, & cornibus ſingulas eōplexa ſtellas globum ſinu excipit. Altero, Mars galeatus & Gallus Martis ales exprimitur; cui ſupra criſtā granum tritici, fertilitatis ex agricultura ſymbolum, eſt adpictum; quod potiſsimùm effecit, vt Tianēſibus Sidicinis iſtud numiſma adſcriberemus, quia Sidicinus ager frumenti præſtantia, ſicuti Apulorū olearum cultu cōmendatur. Quod ad ſtellas vtrobiq; & varijs inde numiſmatibus adpictas pertinet, nonnulli eò referendum putant, quòd magna
B Græcia prius Heſperia dicta ſit: Heſperū itaq; ſiue Veſperuginem, (quàm Venerem non ſine ratione quidā opinati ſunt) his nummis exprimi. Verùm Ptolemæus, cui curæ fuit orbis habitati ſitum ab occaſu, in ortū, & decuſſatione ab Æquatore in Septemtrionē includere, Sueſam Aruncā de qua iam diximus, longitudine XXXIIX. partium cū beſſe; latitudinem XLI. partium cum quincunce deſcribit: Tianū autē Sidicinū triente partis Orientalius, quincunce ſeptemtrionalius collocat: at Teanū Apulorū duabus partibus cum beſſe verſus ortum a Sidicino diſiungit; ceterùm in eodem parallelo cum Sueſa, & quincunce, quam Sidicinū, Auſtralius diſponit. qua ratione Tianum Sidicinū & Teanum Apulorum ſecundū
C globoſam terræ ſuperficiem in ea latitudine paſſuū CXX. M. a ſe diſtarent.

HESPERVS STELLA.

Ceterùm quia viæ Appiæ meminimus, & eiuſdem frequēs admodum in progreſſu incidet mentio, officioſè me facturum in ſtudioſi lectoris gratiam opinatus ſum, ſi paucis eandem hoc loci deſcripſero. Via itaque Appia omnium maxima ac celeberrima, quā Statius Papinius haud immeritò reginam viarum appellat; ab vrbe ac porta Capena initium ſumebat; ab Appio Claudio Cenſore, vt Frontinus inquit, ad Capuam vſque munita. Tacitus tamen, & is qui de viris Illuſtribus ſcripſit, Brundiſium vſque ſtratam prodiderunt. quare ſunt, qui a Iulio Cæſare, cui eius viæ cura fuerat commiſſa, Brūdiſium vſque a Capua munitam tra-
D dant. Ea fuit latitudine, vt plauſtra duo ex aduerſo inuicem occurrentia liberè exciperet, longitudine vero paſſuum CCCXXX. M. ſunt qui propter flexus atq; ambages XX. M. adijciant. Certè Auguſti temporibus, ſi Horatio credimus; ſi Straboni, Tiberij, Brudiſium vſque pertinuit. & Druſus Scribonius Libo coniurationis aduerſus Tiberium reus, vt Tacitus auctor eſt, aliquando Mathematicos conſuluit, an habiturus eſſet opes, quibus viam Appiam Brundiſium vſque operiret. Hanc nouiſsimè, quod Dio teſtatur, Traianus reſtituit: deſiccatisq; paludibus, exciſis collibus, aggeratis vallibus, ac pontibus exſtructis permeabilem fecit. Fuit in hac haud procul ab vrbe templum Martis, Centum columnis ſuffultum, &

VIA APPIA.

TEMPLVM MARTIS.

tum,& a Sulla in AEdilitate conſecratum. Fuit & bonæ Deæ ſacra- A
rium,apud quod Clodius & M.Papirius interfecti fuêre. Itidem tres tabernæ,Lucus Egeriæ,quem Camœnis Numa ſacrauerat. Sepulchra quoque magnorum virorum Calatinorum, Sçipionum, Seruiliorum, Metellorum atque aliorum. Ceterùm via Latina Appiæ ad Caſinum
VIA LATINA. coniũgebatur,XIX.a Capua ſtadijs,hanc poëtæ modò Latiam,modò Auſoniam vocant.vt illam ab auctoris nomine Appiam;a gente verò Claudiam; & ab Imperatore,qui reſtituit,Traianam.

ΚΑΛΕΝΙΤΩΝ.

B

CALES Thracum Colonia.

CALES THRACVM COLONIA. AVCTORES,qui huius vrbis originem memoriæ prodidére,principia eius ab Thracibus,& Calai Boreæ & Orithyæ filio repetunt. Sita erat vrbs inter Tianum Sidicinum & Caſilinum. ager eius vino generoſiſsimo; quod Calenum vocatum fuit, fecundus erat. Erat & fons in agro Caleno, qui vini modo temulentos, ſi qui ex eo potarent, reddebat. Ceterùm Caleni, quum Romani Sidicinis bellum intuliſſent,veriti ne ijs deuictis in ſe Romanus arma verteret;adiunctis ſibi Auſonibus;(quorum ipſi primariam vrbem incolebant) Sidicinis ſe contra C
Romanos iunxére. Aduerſus eos Romani L. Papirium Craſſum & Kæſonem Duillium Conſules miſére: qui cum Calenis Sidicinisque congreſsi vno haud memorabili prælio vtroſque vicerunt. Inde M. Valerius Maximus Conſul IIII.exercitu victore ab conſulibus accepto, ad Cales, vnde bellum ortum erat, profectus, cum hoſtes ab ſuperioris pugnæ memoria pauidos primo impetu & clamore fudiſſet,mœnia ipſa oppugnare aggreſſus,capto opido,impoſitoque præſidio,atque exercitu ingenti cum præda Romam reducto,triumphum cum Calenis egit.
CALES COLONIA DEDVCTA. Senatus inde ad demulcendam plebem Coloniam Cales deducendam decreuit. duo millia & quingenti ciuium ad hoc conſcripti; triumviri- D
que Coloniæ deducendæ atque agro diuidundo creati, K. Duillius, T. Quinctius Capitolinus,M.Fabius Ambuſtus. Bello Punico ſecundo, quo Hannibalis ductu Pœnorum armis vaſtata per quindecim annos Italia eſt; Caleni ſincera admodum fide. Rem Romanam ſuſtentarunt; captaque Capua, quæ a Romanis ad Pœnos defecerat, Senatores Campani in vincula coniecti, ac Cales tanquã in tutiſsimam cuſtodiam miſsi ſunt. Verùm haud multò poſt, cum mutata fide ipſi quoq; Caleni detrectato imperio armà ac militem ſe dare poſſe negarent, Conſules ob eam detrectationem increpatos,verecundia magis quàm beneuolentia

A lentia in officio continuerunt. Post Cæsaris inde Dictatoris cædem cum Triumviri Reipubl. constituendæ promiscuè in quoslibet sæuirēt, P. Sittius Calenus opum amplitudine, & singulari in ciues suos munificentia clarus, in album proscriptorum relatus, ab ijsdem ciuibus suis a seruorum & militū sæuitia seruatus, postea decrepantibus pro eo per legatos Calenis, in patria a Triumviris exsulare permissus est. Inuenio etiam Cæsarem Augustum Colonis agrum Calenum limitibus Romanis assignasse, cum prius Græcanicis assignatus fuisset. Vrbem quoque municipali iure donatam fuisse constat. sed quo id tempore acciderit, incertum est. Taciti Annalibus traditum est, Cæsarum tēpore, Quæ-
B storem Calibus fuisse, qui populi Ro. pecuniam ex Campania ceterisque Italiæ eius tractus regionibus curaret: & si sint qui callibus apud Tacitum scribi malint, non satis exacto vt arbitror iudicio, prætexētes illam apud Suetonium de Callibus prouinciam C. Iulio Cæsari Consuli sortiendā cum M. Bibulo decretam. Ceterùm quod ad eius vrbis longitudinem pertinet, Ptolemæus eam XXXIX. partibus cum besse; latitudinem XLI. s. describit.

ΚΑΠΥΑΝΩΝ.

C

CAPVA Troianorum Colonia.

CAPVA TROIANORVM COLONIA.

AMBIGITVR de huius vrbis origine apud vetustos scriptores: a Tuscis conditam Liuius & Velleius produnt: Virgilius autem, & Silius clarissimi poëtarum, simul & Dionysius Halicarnasseus fidelissimus antiquitatum Italiæ auctor a Troianis primordia vrbis repetunt.

Qui Tuscos eius vrbis auctores scribunt, prius Vulturnum fuisse appellatam, ab amne qui mediam diuidit vrbem, tradunt. Ceterùm mutasse nomen Samnites, cæsis nocturno scelere Etruscis, qui eam incolebant; vocasseque Capuam, siue a Campestri planicie; siue a duce suo
D Capy. Eorum tamen qui ad Troianos principia vrbis referunt, opinionem confirmat, ænea tabula in monumento Capys (vti credebatur) inuenta, ac litteris Græcis in hanc sententiam inscripta: Quando ossa Capys detecta essent, fore vt Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur, eiusque cædes magnis mox Italiæ cladibus vindicaretur. miraculo ea res fuit, postquā occiso Cæsare Dictatore, qui generis sui principia ab Iulo repetebat, scripto euentus respondit. Capua itaque olim inter maximas orbis totius vrbes Romam & Carthaginem tertia; a mari in Septemtrionem ad duodecimum lapidem distabat; eamque mediam interluebat Vulturnus amnis. Hæc plurimis cum publicis tum

priuatis operibus insignis, præcipuum inter omnia, templum Iouis Capitolini ostentabat, situm alto in tumulo, atque arce munitissima cinctum, ad similitudinem eius quod Romæ factum fuerat. Imminebant vrbi Tifatæ colles, vnde vrbem totamque Campaniæ planiciem subijcere oculis licebat. Nulla non modò in Italia, sed ne in toto quidem terrarum orbe plaga est, quàm non excedat felicitate Campania. Nihil cælo clementius; bis etenim floribus vernat. Nihil solo fecundius: ideo Palladis cum Cerere & Libero certamen dicitur. Vino Falerno quod fert Campania non aliud præstantius: nihil oleo Venafrano celebrius: superante denique etiam spem agricolarum frugum prouentu. A

AGRI CAMPANI FELICITAS.

Terminatur Campania ab occasu Liri flumine & Latio nouo: ab ortu Sarnum habet limitem: Samnites Septẽtrioni prætenduntur: clauditur Etrusco seu infero mari a meridie. Rerum a Campanis siue Capuanis gestarum altum apud vetustos scriptores, per sæcula aliquot silentium est: donec anno ab vrbe condita trecentesimo & tricesimo Samnites Capuam bello adorti, cum plurimis Capuanos prælijs fudissent, tandem ab ijsdem per pactionem in societatem vrbis agrique recepti sunt. Inde per occasionem diei Festi ciues nouitij capto tẽpore vetustos somno atque epulis grauatos aggressi vniuersis ad internecionem cæsis, vrbẽ cum coniugibus liberisque occisorum occupant. Post triennium ab occupata Capua, Cumanis arma intulerunt: eosque fusos & fugatos, atque intra mœnia compulsos obsedêre: & cum aliquantisper tenuisset obsidio, vrbs tandem per vim expugnatur: interfectisque aut in seruitutem abductis ciuibus, Campani Colonis ex suis ciuibus eò missis, vrbẽ Cumas incolendam dedére. Elapso inde septuaginta trium annorum spatio, nouum Campanis bellum aduersus consanguineos suos Samnites exoritur. Samnites enim, quum Sidicinis, quia viribus plus poterant, arma iniusta intulissent; Sidicini necessitate coacti ad Campanorum opem confugerant. Ceterùm Campani luxu delicijsque defluentes ab induratis armorum vsu Samnitibus in Sidicino agro superati, totam belli molem a Sidicinis in semet auerterunt. Samnites namque omissis Sidicinis, ipsam belli arcem Capuam petentes (vnde victoria æquè facilis & prædæ gloriæque plus esset) imminentes vrbi Tifatæ colles firmo cum præsidio occupant. inde quum quadrato agmine in planicie quæ inter colles & Capuam interiacet descendissent, rursus acie concursum est: & victoria penes Samnitem fuit. Fracti hoc prælio Campani, accisis rebus suis, Romam legatos ad implorandam opem mittunt. Ceterùm cum primò non impetrarent; negantibus Romanis arma se aduersus Samnites socios contra fœdus esse laturos; legatos tamen ad deprecandum vt Samnites a bello desistant vnà cum Campanis missuros; prin- B C D

RES A CAPVANIS GESTAE.

RES INTER CAPVANOS ET SAMNITES GESTAE.

A ros;princeps legationis, vti ante diſceſſum e patria in mandatis habebat, vrbem Capuam populumque Campanum, atque diuina humanaque omnia in poteſtatem Po.Ro.dedidit. Quare moti patres,cum e maieſtate nominis Romani videretur,non deſeri deditos, legatos miſére, qui a dediticijs populi Ro. abſtinere Samnitem iuberent; recuſantibus bellum minarentur. quibus cum ferociter, a Samnitibus reſponſum eſſet, negantibus ſe a bello deſtituros, bellum Samniti per fæciales indictum eſt. Conſul itaque Valerius ad tutandos ab hoſtium Samnitium incurſione Campanorum agros miſſus eſt: qui commiſſo felici euentu prælio, Samnitibus non ſine magna cæde fuſis, fugatiſque, caſtris inſu-

B per hoſtilibus potitus eſt. Quò poſtquam omnis ſe Campanorũ multitudo cũ vxoribus liberiſq; effudiſſet; gratulati populo Romano felicem victoriam,eo ſe primũ die renatos cõclamabant:ac milites ſeruatores appellãtes officijs ac obſequio certatim eoſdẽ ſibi demereri ſtudebãt. Inde Campanis petẽtibus præſidiũ,a Senatu Romano ad arcendas Samnitiũ incurſiones, Capuam in hyberna miſſũ. Verũ minimè ſalubris diſciplinæ militari Capua, corruptos luxu licẽtiaq; milites à patriæ memoria, auertit: inibanturque conſilia eodem ſcelere adimendæ Campanis Capuæ,quo illi prius antiquis cultoribus eandem ademiſſent. Ceterùm C.Marcius Rutilus Conſul anni inſequentis, cui Campania prouincia

C ſorte obuenerat,militarem impetum conſilio fruſtratus, ſpargit rumorem,ſequenti anno præſidia ijſdem in opidis hybernatura. Hac arte eluſos milites ex Campania in Samnium educit. Liberati ad hunc modum populi Romani beneficio, & armis, a graui Samnitiũ bello Campani, ingratiſsimos ſe erga liberatores ſuos oſtendére;ac ſocietatem cum Latinis aduerſus Romanos iunxére. Exaſperati tanta ingratitudine Romani,eductis vrbe legionibus,ante Capuam, quò omnis Campanorum Latinorumque exercitus conuenerat; caſtra locant. Copijs ab vtraque parte in aciem eductis,maxima longe Campanorũ Latinorumque ſtrages inſequuta eſt. Poſt quam pugnam Campani ſe ſuaque in

D populi Romani poteſtatem dedidêre; agroque in perfidiæ pœnam multati ſunt. Is Falernus erat: in quem ſtatim Coloni ex plebe Romana miſsi terna ſinguli iugera acceperunt. Equitibus verò Campanis, qui mille & ſexcenti fuére,quòd cum populo Campano non rebellaſſent ciuitas data eſt. Vectigal quoque ijſdem populus Campanus,nummos denarios quadringenos quotannis in ſingulos pendere iuſſus eſt. Egregia dehinc Campanorum in Romanos hoſpitalitas fuit, eos nempe qui Caudino fœdere a Samnitibus ſpoliati,& nudi ſub iugũ miſsi fuerant: nec ſecus ac ſi victor exercitus vrbem ingreſſus eſſet, a magiſtratu populoque Capuano obuiam proceſſum eſt: protinuſque Conſulibus inſi-

CAMPANI ROMANOR. ARMIS A SAMNITIBVS LIBERATI.

CAMPANORVM CVM LATINIS CONTRA ROM. SOCIETAS.

CAMPANI A ROM. AGRO MVLTATI.

CAMPANORVM IN RO. HOSPITALITAS.

gnia honoris (nam & hi nudi cum reliquis ſubiugum miſsi fuerant) mi- A
litibus verò arma, equos, & veſtem, benignè præbuerunt: ac proficiſcentes inde ad finem vſque agri Campani nobiliſsimi Campanorum deduxére. Verùm eam in Romanos benignitatem noua rurſus poſt

CAMPANORVM IN RO. PERFIDIA.

quadriennium perfidia fœdarunt. Ceterùm oppreſſa eſt Romanorum prouidentia conſpiratio, qua principes Capuanorum a Romanis deficere, & rem ad Samnites trahere decreuerant. Bello inde inter Romanos & Tarentinos orto, cum Tarentinorum partes Lucani, Bruttij, & Samnites ſequerentur; & acceſsiſſet inſuper auxilio Tarentinis Pyrrhus Epirotarum Rex; ſoli penè omnium Campani ſe toto hoc bello fidiſsimos præſtitére; ſtetitque tum eorum potiſsimùm opibus ſubni- B

CAMPANORVM IN FIDE ERGA ROMANOS INCONSTANTIA.

xa res Romana. Ceterùm Campani eam tum in Romanos fidem, bello Punico ſecundo, alia denuo perfidia violarunt. Nam cum ad Trebiam, Thraſimenum & Cannas pro Romanis ſtetiſſent; poſt prælium Cannenſe non ſolùm ad Pænos defecére: ſed & ciues Romanos, qui intra Capuam tum erant, balneis incluſos ſuffocarunt; & Hannibalem intra mœnia accepére. auctore eius defectionis Pacuuio Calauio homine nobili & populari, qui quo anno malè ad Thraſimenum pugnatum erat, ſummum apud Capuanos magiſtratum gerebat. Poſt biennium inde Ap. Claudio pulchro Q. Fuluio Flacco Coss. Romani ad vindicandam Campanorũ defectionem, conſules cum exercitu in Samnium ac Cam- C
paniam miſére; ac poſt varios hinc inde cum præliorum, tum alios vario Marte atque ſucceſſu bellorum euentus, ipſa vrbs Capua, diuturna arctiſsimaque obſidione preſſa, ita vt duplici vallo ac foſſa circumducta, nulli niſi ſumma cum difficultate ac periculo exitus aut ingreſſus pateret; intus Hannone cum alijs Pœnorum ducibus ac præſidiarijs, foris verò Hannibale rem Capuanam nequicquam defendentibus ac iuuantibus, tandem ad extremum famis & inopiæ redacta, in ſumma auxilij

CAPVA A RO. CAPTA.

atque commeatuum deſperatione, per deditionem in populi Ro. poteſtatem venit. Mox diſpoſitis tam per mœnia quàm tota paſsim vrbe cuſtodijs, ac portis clauſis ne quis elabi poſſet, primùm arma Capuanis D
adempta; Punicum inde præſidium comprehenſum: Senatores in caſtra Romanorum adducti, ac vinculis iniectis pars Cales, pars Tianum Sidicinum in cuſtodiam miſsi, poſtea a Fuluio Conſule virgis cæſi ac ſecuri percuſsi ſunt. Ex reliqua nobilitate trecenti in carcerem conditi; alij verò per vrbes Latini nominis in cuſtodiam diſtributi: multitudo verò promiſcua venundata: ipſa vrbs Capua habitari tantùm permiſſa eſt, non etiam muniri: relicta duntaxat libertinorum atque opificum turba: ſine iure ciuitatis, aut vllo neque plebis neque Senatus conſilio aut alio magiſtratu: ceterùm vt ad iura ijs reddenda præfectus ex vrbe Roma quo-

A ma quotannis mitteretur. Ager verò Campanus ac tecta publica vniuerſa populi Ro. facta ſunt. Hic exitus fuit defectionis Campanæ. Capua itaque deinceps per præfectum Roma miſſum adminiſtrata fuit. Ingens populo Romano vectigal ex fructibus agri Campani acceſsit: Vnde bello Marſico cum tota penè Italia arma in Romanos ſumpſiſſet, ex hoc potiſsimùm prouentu exercitus ſuos aluerunt. Plurimi Romanorum ad demerendum plebis fauorem, agrum Campanum populo diuidere conati ſunt: quibus ſemper Senatus ſumma vi obſtitit. Primus qui hoc tentaret C. Sempronius Gracchus fuit: quo inter medios rerum conatus occiſo, impedita res eſt. Iterum M. Brutus eadem, ſed
B fruſtra, perferre conatus eſt. Tertius idem aggreſſus Tribunus plebis P. Seruilius Rullus: huic ſe M. Cicero, qui tum fortè Conſul erat obiecit; & cum inſigni oratione populum edocuiſſet, quantum inde detrimenti reſpublica caperet, ſi is ager qui in arctiſsimis republicæ tẽporibus ſubſidio fuiſſet, in multos diuideretur; obtinuit ne lex ea perferretur. Quartus eam rem in primo conſulatu ſuo Cæſar Dictator aggreſſus, ſuffragante Pompeio Magno, Bibulo verò collega, qui ſolus obſiſtebat, armis ex foro pulſo, legem pertulit; vt ager Campanus ijs ciuibus qui trium liberorum parentes eſſent, diuideretur. Ad viginti millia huiuſmodi ciuium erant. creati vigintiviri agrum viritim diuiſerunt. Ius ciuitatis
C Capuæ reſtitutum anno centeſimo & quinquageſimo ſecundo, poſtquã ab Romanis ob defectionem ad Pœnos in præfecturæ formam redacta erat. Poſt Iulij inde Cæſaris cædem cum inteſtinis bellis laniaretur Italia, & maxima eius pars, eiectis prioribus colonis militi veterano a Triumviris in præmiũ diuturnæ militiæ ac victoriarum decreta & aſsignata eſſet, hi quoque coloni qui paullò ante lege Iulia Capuam deducti fuerant, ſedibus ſuis pulſi, & in eorum locum veterani inducti ſunt: & Capua Colonia muro ducta eſt. Ceterùm quod ad Capuæ longitudinem pertinet, eandem Geographus XL. partium; vt latitudinem XLI. cum ſextante deſcribit.

AGER CAMPANVS CIVIBVS RO. DIVISVS.

IVS CIVITATIS CAPVANIS RESTITVTVM.

CAPVA COLONIA MILITARIS.

D Numiſmata Capuanorum, quæ quidem ad manus noſtras peruenerunt agri fertilitatem per ariſtam tritici granis turgentem exprimunt; aduerſa verò parte Mercurium Petaſo & talaribus inſtructum. Altero Apollinis cortinam & minotauri caput cum ceruice ſignarunt. Minotauro (quod hîc admonendum puto) Opicorum vrbes ferè omnes, quarum exſtant numiſmata, pecuniam ſignaſſe obſeruo; Neapolitanos videlicet, quos inter Opicos refert Stephanus; itidem Puteolanos, Sueſanos, Calenos & Capuanos; quos & inter Opicos recenſeri non video. ita ecquid cauſæ ſubſit, quur & illi Minotauro ſignarint, neſcio. certe Atellani & Nolani, de quibus ex ſerie numiſmatum iam ſcripturi ſumus, in-

OPICI.

ter Opicos censentur; ijdemque vti & ceteri plerique, Minotaurum in A nummis suis signarunt. Ceterùm quia ager Capuanus Atellanos contingebat, Atellam nunc ordine adscribemus.

ΑΤΕΛΛΑΝΩΝ.

ATELLA. ATellam Oscorum fuisse vrbem nonnulli opinantur; Stephanus tamẽ ex Polybio probat Opicorum; quod & numismata ob causſas iam a nobis expositas testari videntur. Opicos & Cumanos media intra Vulturnum & Silarim Campaniam tenuisse ex veterùm lectione patet. Atellas Po.Ro. ob fabulas, in ludis antiquitus fuisse no- B tas ex Liuij testimonio constat. Atellanas enim fabulas esse latinas, argumentis & dictis iocularibus similes satyricis fabulis Græcis Diomedes & Donatus prodiderunt, nec aliter Liuius; Iuuẽtus inquiens histrionibus fabularum actu relicto, ipsa inter se antiquo more ridicula intexta versibus iactitare cœpit: quæ exodia postea appellata, consertaque fabulis potissimùm Atellanis sunt: quod genus ab Oscis acceptum tenuit iuuentus, nec ab histrionibus pollui passa est. eò institutum manet, vt actores Atellanarum nec tribu moueantur, & stipendia tanquam expertes artis ludicræ faciant. Ceterùm quum Velleius T. Veturio Caluino Sp. Postumio Regillensi Cos. Cãpanis sine suffragij latione ciuitatem C

ATELLANAE TABVLAE.

ATELLA MVNICIPIVM. datam fuisse prodiderit, suspicor eodem tempore Atellam municipij iure fuisse donatam: quandoquidem Atella inter municipia a Festo refertur. Accedit ad hæc Liuij auctoritas, qui inde colligit Cannensem cladem omnium fuisse maximam, quòd qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare cœperunt; nulla profectò alia de re, quàm quòd de imperio Romano desperabant: defecêre autem hi populi (inquit) Atellani, Calatini atque alij. Idem auctor paullò pòst subiungit Atellam, Calatiamque post Capuam in potestatẽ redactam deditione receptas; atque ibidem quoque vti in Capuanos factum fuerat, in eos qui capita rerum fuerant, animaduersum fuisse. Ceterùm postea Senatusconsul- D to Atellani & Calatini, præter eos, qui ex ijs aut ipsi aut parentes eorum apud hostes essent, libertate donati sunt, ita tamen vt nemo eorum ciuis Ro. aut Latini nominis esset. ex quibus opinari possumus Atellam ab eo tempore Præfecturæ formula fuisse administratam: Præfectumque Atellanis populi suffragijs creatum. Verùm & illud obseruatione dignum est, quum Nuceria a Pœnis deleta esset, Nucerinos Atellam traductos, Atellanos autem Calatiam translatos. Calatiam verò Veteranos a Cæsare Dictatore fuisse deductos ex Paterculi & Ciceronis auctoritate liquet. Atellam autem ab Augusto militarem coloniam muro

ATELLA PRAEFECTVRA.

ATELLA COLONIA MILITARIS.

fuisse

A fuiſſe deductam Frontinus ſcribit. Atellam Ptolemæus orientaliorem quam Capuam ſextante partis; vncia Auſtraliorem depingit.

ΝΩΛΑΙΩΝ.

Nola Chalcidenſium Colonia.

QVVM diuerſæ auctorum, de huius vrbis conditoribus exſtent opiniones, id quod a pluribus traderetur, ſequuti Nolam Chalcidenſium coloniam ſcripſimus. Eam ſitam fuiſſe in campe- NOLA CHALCIDENSIVM COLONIA.
B ſtri planicie traditur: ſeptam quoq; fuiſſe foſsis & mœnibus firmiſsimis, intercurrentibus frequenter turribus: vt, quod ſitus & natura denegabāt, arte atque opere ſuppleretur. De huius vrbis incrementis legibus atq; inſtitutis altum apud ſcriptores ſilentium eſt. Romanorum autem arma Nolanos in ſe prouocaſſe inuenio, quum auxilia Palæpolitanis contra Romanos miſiſſent. Hæc ad duo millia armatorum erant: ea multitudo quum Palæpolitanis quibus auxilio miſſa fuerat, quàm hoſti grauior eſſet, Palæpolitanorum conſpiratione & Romanorum armis vrbe pellitur, & Nolam trepida fuga petit. Romani ad vlciſcendum illatum ſibi bellum, C. Pœtelium Viſolum Dictatorem contra Nolanos
C mittunt. receperant ſe intra mœnia Nolana Samnites, infeſtiſsimi id temporis Romano nomini hoſtes; ſimul & agreſtis Nolanorum multitudo. Dictator vrbis ſitu circumſpecto, quò facilior ad mœnia aditus eſſet, ædificia omnia muris circumiecta incendit: nec multò poſt per vim vrbe potitur. Manſit inde inconcuſſa vſque ad bellum Punicum ſecundum Nolanorum erga Romanos fides. Eo tempore quum Hannibal recepta in ſocietatem Capua, exercitum in agrum Nolanum duxiſſet; militem a populationibus arcebat: quia voluntariam deditionem ſperabat: nihil hoſtile prætermiſſurus ſi ea ſpes fefelliſſet. Senatus & primores ciuitatis in fide Romana præſtabant: plebs nouarum rerum auida
D ad Hannibalem inclinabat: quod agrorum populationem atque obſidionem metuerent. Itaque Senatores metu, ne ſi apertè contra niterentur, reſiſti multitudini concitatæ non poſſet: (neque enim auctores rerum nouarum deerant) vt quò mali dilationem inuenirent, placere ſibi ſocietatem Punicam ſimulant: ſumptoque ſpacio, quo de conditionibus, quibus in fœdus amicitiamque nouam tranſirent, deliberare poſſent, legatos propriè ad M. Claudium Marcellum Prætorem Romanū, qui tum Cannuſij cum exercitu erat, mittunt, docentque quanto in periculo ſit Nolana res, defecturam plebem ad Pœnos: nec vlterius reſiſti abſq; præſidio Romano poſſe. Marcellus collaudata Nolanorum fide, confeſtim

NOLA A ROMANIS CAPTA.

RES INTER NOLANOS ROMANOS ET POENOS GESTAE.

confeſtim a Cannuſio, Calatiam petit: atque inde Vulturno amne tra- A
iecto per agrum Satriculanum Trebianumq; ſupra Sueſſulam per mon-
tes Nolam peruenit. Hannibal verò poſtquam Marcellum aduenis-
ſe comperit, agro Nolano exceſsit. Nolam itaque Marcellus non tam
ſui fiducia præſidij, quàm voluntate principum tenebat: conciliato ſibi
interim comitate & muneribus L. Bantio', iuuene acri ac nobili; quem
præcipuum defectionis auctorem metuebat: quòd Hannibal eundem
aliquãdo poſt prœlium feminecem inter ſtragem corporum repertum,
curatumque ac benignè cultum cum donis domum dimiſiſſet. memor
eius beneficij Bantius rem Nolanam prodére Hãnibali conatus fuerat.
Poſtea quum iterum Hãnibal infeſto cum exercitu ad Nolam rediſſet; B
& plebs Nolana rurſus ad defectionem ſpectaret; Marcellus ſub aduen-
tum Pœnorum, ne qua Nolanis occaſio nouandi res eſſet, e caſtris intra
Nolam ſe recepit. inſtrui inde vtrinque exercitus ad pugnam cœpit, Ro-
manorum pro portis, Pœnorum ante vallum ſuum: prœliaque hinc par-
ua inter vrbem & caſtra committebantur; nunc his nunc illis fauente
fortuna. Conuenerat interim per nocturna inter plebem & Pœnos
colloquia, vt quum legiones Romanorum ad pugnam portis egreſſæ eſ-
ſent, impedimenta eorum Nolani diriperent: clauſis deinde portis mu-
ros occuparent; Pœnosque pro Romanis in vrbem admitterent. Hæc
vt e Senatoribus intellexit Marcellus, priuſquam aliquis inteſtinus ori- C
retur motus prœlio decernere ſtatuit. exercitum itaque ad tres portas,
quæ hoſti obuerſæ erant, tripartito inſtruit: Nolaniſq; portas ac muros
adire vetitis, præſidium apud impedimenta relictum. ita inſtructi intra
portas ſtabant. Hannibali ſub ſignis (quod per dies aliquot fecerat) in
acie ſtanti, primò admiratione mouit, quod nec exercitus Romanus ſi-
gna portis efferret: nec vllus armatus in muris appareret. ratus inde pro-
dita colloquia, partem militum in caſtra remittit; iuſſos properè omnẽ
apparatum ad oppugnandam vrbem in primam aciem afferre: haud dif
fidens ſi cunctantibus inſtaret, plebem tumultum aliquem in vrbe mo-
turam. Vix ſucceſſerat ad muros acies, quum patefacta repentè porta, D
quæ media erat Marcellus ſigna canere clamoremque tolli; ac pedites
primùm, deinde equites quanto maximo poſſent impetu hoſtem inua-
dere iubet. Iam multum conſternationis in mediam aciem intulerãt
Romani, cũ duabus circa portis P. Valerius Flaccus, & C. Aurelius Cot-
ta legati in cornua hoſtium erupére. Traditur eo prælio duo millia &
trecentos hoſtium cæſos: Romanos vnum nec plures amiſiſſe. Ingens
eius pugnæ gloria fuit; quod eo primùm die Hannibalem vinci poſſe
patuit. Hannibal adempta ſpe Nolæ potiundæ retrò exercitum abdu-
xit. Marcellus autem clauſis repentè portis, cuſtodibuſque diſpoſitis,
ne quis

A ne quis elaberetur, quæſtione de ijs, qui in colloquio hoſtium fuiſſent, in foro habita, ſupra ſeptuaginta proditionis damnatos ſecuri percuſsit: bonáque eorum in publicum redegit: legiones inde ab vrbe abduxit. Ceterùm quum poſt Marcelli diſceſſum plebs iterum defectionem ad Pœnos moliretur; conſiliaque de cæde principum iniret; de ijs certior redditus Marcellus Nolam cum exercitu redijt. Eò & Hannibal, querelis Samnitium, quorum ager a Marcello per excurſiones e Nola vaſtabatur, excitus venit. Acceſsit & Hanno alter Pœnorum dux e Bruttijs, cum ſupplemento quod recens Carthagine aduenerat. Marcellus vbi primùm Hannibalem aduentare intellexit, copias intra mœnia tenuit;
B Senatoribus Nolanorum per muros inambulare, & omnia quæ apud hoſtes fierent, circa explorare iuſsis. Dux interim hoſtium Hanno quũ ad murum ſucceſsiſſet; impetrato permiſſu Marcelli, cum M. Herennio Baſſo & Herio Petreio Nolanis colloquio, poſtquã per interpretem, Hannibalis fortunam virtutemque, ſimul humanitatem & eiuſdem in captiuos Italicos clementiam prolixè verbis extuliſſet; Romanorum contra crudelitatem, & ſuperbiam ſimul etiam aduerſa prœliorum ad Cannas & alibi exprobraſſet: ſi Marcellum cum præſidio Romano, & vrbem in fidem Hannibalis tradidiſſent, neminem alium, quàm ipſos, legem qua in amicitiam Punicam venirẽt, Nolani, dicturum pollicetur.
C Ad quæ quum ab Herennio Baſſo reſponſum eſſet, multos iam annos amicitiam inter populum Romanum & Nolanos eſſe, cuius neutros ad eam diem pæniteat; communia itaque conſociataque Nolanis omnia vſque ad vltimum fore cum ijs qui ipſis auxilio veniſſent; Hannibal hoc demum colloquio, omni ſpe Nolæ per proditionem potiundæ ablata, vrbem corona circumdedit; vt ſimul ab omni parte muros aggrederetur. Quem vt ſucceſsiſſe muris Marcellus vidit, inſtructa intra vrbẽ acie cum magno tumultu erũpit. Plurimis primo impetu cæſis, ingens exarſiſſet prœlium, ni imber magna cum procella effuſus, incerta fortuna pugnam diremiſſet: Romani itaque in vrbem; Pœni in caſtra rediêre. Im-
D ber per noctem & ſequentem diem continuatus, quamuis auidos certaminis munimentis ſe tenere coëgit. Tertio die Hannibal copias prædatum in agrum Nolanum miſerat. quod vt vidit Marcellus, extemplò ſuos in aciem eduxit: nec Hannibal detrectauit certamen. Eo itaque ſpacio, quod mille ferè paſsibus inter vrbem & caſtra Punica patebat, concurritur. Clamor ab vtraque parte ſublatus, pleroſque ex cohortibus, quæ in agros prædatum exierant, ad pugnam reuocauit; & Nolani aciem Romanam auxerunt. Prœlium diu anceps erat; dum ſumma vtrinque vi duces ſuos hortarentur, & milites pari ardore pugnã capeſſerent. Donec tandem apud Pœnos nihil ducis exhortatio pro-

fuit ad confirmandos militum animos, quin, Romanorum vim atque A
impetum minimè ſuſtinentes, trepida omnes fuga ad caſtra ferrentur:
quæ oppugnare volentes milites Marcellus cohibuit, cæſi eo die e Pœnis
ad mille, capti mille ſexcenti; ſigna militaria vndeuiginti, Romanorum
minus mille interfecti. is finis Hannibali ab Nolam tentandam fuit.

NOLA ROMANORVM COLONIA.

Nolam Coloniam fuiſſe deductam ante bellum Punicum, ex eo videri poteſt, quod Liuius inter octodecim Colonias quæ ſua omnia in Romanorum poteſtate eſſe dixerunt, ſummaque fide auxilia Romanis præbuerunt, etiam Nolanos annumeret. incertum tamen nobis eſt, quo

NOLA MVNICIPIVM.

tempore Colonia facta ſit. Municipium quoque Nolam fuiſſe ex antiquis marmorum inſcriptionibus patet. Inuenio iterum ab Veſpa- B
ſiano Cæſare coloniam eò deductam, & Nolam coloniam Auguſtam
appellatam fuiſſe. obſeruo quoque a veteribus Nolam inter Opicorum
vrbes relatam. Feſtus municipium ſui iuris fuiſſe teſtatur. inde lege
Sempronia & Liuia Coloniam eſſe factam opinor. nam in Epitome
Liuij, quum L. Cæſar bello Marſico malè aduerſus Samnites pugnaſ-
ſet, Nolam Coloniam in Samnitium poteſtatē cum L. Poſtumio prę-
tore veniſſe, ſcriptum eſt. Ceterùm Ptolemæus niſi ſcripturæ vitium
ſit, eam inter Picentinorum mediterranea numerat, ſub lōgitudine par-
tium quadraginta cum quadrante; latitudine quadraginta partium cum
dextante. Nolanos Picentini, ſi aliorum auctoritatem ſequamur, ex- C
cipiunt, vltimam tertiamque partem inter Sarnum & Silarum incolen-
tes. Ceterùm quia ipſorum origo a Picentibus populis, qui aduerſam
his Adriatici maris oram, ab Aterno amne ad AEſim, vt diximus tene-
bant, dependeat; ordine me facturum exiſtimaui, ſi de Picentibus, inde
de Picentinis Campanis, Picentum vt Strabo refert colonis, ſummatim
quædam hîc adſcripſero.

ΠΙΚΕΝΤΙΕΩΝ.

PICENTES.

PICENTES itaque quondam huberrimæ fuêre multitudinis, ita vt D
CCCLX.M. Picentium in populi Ro. poteſtatem veniſſe Plinius au-
ctor ſit; idemque eos a Sabinis voto verè ſacro oriundos ſcribat. Sunt
qui ipſis a Pico ductore, cui nomen a Pico Martio aue in augurijs præci-
pua & arborum cauatrice fuerit, appellationem eſſe factam referant: &
Picentinos ad nominis e Pico rationem, & ad Martem originum ſuarū
principia referre voluiſſe opinentur; quod Martem ſedentem cum cly-
peo Argolico atque haſta, ſuis in numiſmatibus expreſſerint. Inuenio
apud Strabonem Picentes agrum habitaſſe a montibus ad mare in lon-
gitudinem quàm latitudinem ampliorem: latitudinem autem a mon-
tibus ad

A tibus ad mare interuallis fuiſſe diſparibus; longitudinem verò centum millium paſſuum. Fœdus autem cum Picentibus anno ab vrbe cõdita CCCCLIIII. T. Manlio Torquato; M. Fuluio Pætino Coſs. quum fama Gallici tumultus terrorem præbuiſſet, eſse percuſsum Liuius teſtatur: & paullò pòſt ipſorum indicio populo Ro. ſignificatum Samnitium res ad arma ſpectare; ſeſeque ab eiſdem ſollicitatos: atque hinc Picentibus ob fidem dubijs in rebus ſeruatam, gratias fuiſſe actas idem Liuius prodit. Manſiſſe illos in hoc fœdere triginta annos, ſuſpicari inde licet, quod Q. Ogulnio Gallo, C. Fabio Pictore, Coſs. Picentes bellum, quia arma cum Tarentinis ſociauerant, cõmouerint: & proximis inde Coſs. B de eiſdem triumphatum eſſe tabulæ Capitolinæ referant. ſiquidẽ quum P. Sempronius Sophus Conſul ſignum pugnæ propoſuiſſet, acieſque vtrinque in procinctu ſtarent, terra horrendo fragore, vti Oroſius prodit, contremuit; ita vt vtrinque armati pauore obſtupeſcerent. Ceterùm poſteaquam Sempronius ædem Deæ Telluri vouiſſet; terræmotus ſedatus, hoſtisq;, etſi difficillimo prœlio, ſuperatus a Floro ſcribitur: & Aſculum Picenũ, gentis vniuerſæ caput, loco natura munitiſsimo ſitũ, muroq; incluſum & montibus vix vlli exercitui penetralibus, expugnatum. Picentibus victis pacẽ datam conſtat: verùm quibus conditionibus non liquet. agris autem multatos inde colligi haud difficulter poteſt, quod C C. Flamininus Trib. pl. vt exſtat in Catone Ciceronis, de agro Piceno viritim diuidendo retulerit: qui forſan ager ille fuit, vnde dimoti Picentes iſti feruntur, qui a Romanis in Campaniam inter Sarnum & Silarũ, vt iam ſatis expoſuimus, traducti fuerant; ac Picentini vti Strabo auctor eſt, & iam ante meminimus appellati ſunt. nam & ab eodem ſcribitur, aliquot ex ijs Picentibus qui Hadriam opidum tenebant, a Romanis in hæc loca traductos omnia vſque ad Silarum, antiquæ Campaniæ finem inſediſſe. vnde etiam Plinius tradidit, a Surrento ad Silarum amnem XXX. M. P. agrum Picentinum fuiſſe, intus opidum Salernum, & Picẽtiam, atque a Picentia opido gentilicium Πικεντίνος deductum, vnde Πικεντίνων; D eadem analogia, qua a Παυδότια Παυδοσίνος, vnde Παυδοσίνων numiſmata exprimunt, ratio inflexionis græcanicæ confirmat. Idem Plinius adſcribit, Picentinorum agrum templo Iunonis Argiuæ ab Iaſone condito celebrem fuiſſe: cuius rei ſignificandæ cauſſa in Nucerinorum numiſmate (Nuceriam enim Picentinorum fuiſſe Ptolemæus teſtatur) Iunonis Argiuæ caput; quemadmodum in Crotoniatarum Iunonis reginæ Laciniæque, ſignatum obſeruare poſſumus. Verùm Picentinos bello Hannibalis a Romanis defeciſſe, fidemque cum fortuna mutaſſe, argumento eſt, quod Strabo non Bruttios ſolùm, ſed & Picentinos ac Lucanos a populo Ro. depreſſos tradit. Ceterùm Picentinorum & Lu-

FOEDVS ROMANORVM CVM PICENTIBVS.

PAX PICENTIBVS CONCESSA.

PICENTINI.

PICENTIA OPID.

IVNONIS ARGIVAE TEMPLVM.

NVCERIA PICENTINORVM.

canorum in bello Sociali video Appianum in hiſtoria de bellis ciuili- A
PICENTIA TYRRHENORVM. bus meminiſſe. Adijciam & illud, Picentiam Stephano auctore Tyrrhenorum vrbem vocari: neque id temere aut inſcienter; quum teſte Dionyſio Italiæ præcipua pars, quà ſecundùm inferi maris litora, oramque in meridiem porrigebatur, promiſcuo nomine Tyrrhenia vocetur: & Tyrrhenos idem Dionyſius Crotoniatis vicinos ſcribat, diſſimilitudine tamen linguæ differre. Idem Stephanus teſtatur, eandem Picentiam a Phegone Picentum vocari.

NOYKEPINΩN.

B

NVCERIA. NVCERIA vltra Sarnum flumen quatuor paſſuum milibus ſita erat; eademque a mari nouem millibus diſtabat: atque ab hac vrbe agrum inter Sarnum & Silarum olim Nucerinum appellatum; vt populos qui hunc agrum incolerent Nucerinos, ex veterum monumentis conſtat. Huius vrbis origo vel initia nulla antiquitatis memoria quæ quidem exſtat, nobis prodita ſunt. Bello Hannibalis tantis opibus pollebat, vt eandem Pœnorum dux aliquamdiu fruſtra circumſederit: ita vt neque vi, neque ſollicitatis nunc plebis, nunc principum animis, ad imperium cogere potuerit; ſed fame demum in deditionem ac-
NVCERIA AB HANNIBALE CAPTA. ceperit, pactus, vt inermes cum ſingulis abirent veſtimentis. Poſtea C quum in omnes Italicos, præter Romanos, mitis videri vellet; præmia honoreſque ijs, qui remanſiſſent ac militare ſecum vellent, propoſuit: nec tamen ea ſpes Nucerinorum quemquam tenuit: ſed dilapſi omnes, quocunque hoſpitia aut fortuitus animi impetus tulit, per Campaniæ vrbes Nolam maximè & Neapolim. ex his quum triginta fermè Senatores, ac forte primus quiſque Capuam petiſſent, excluſi inde, quòd portas Hannibali clauſiſſent, Cumas ſe contulerunt. Nuceria militi ad
NVCERIA DELETA. prædam data, vrbs direpta, atque incenſa eſt. Poſtea quum apud Q. Fuluium Flaccum Proconſulem Nucerini quererentur, non eſſe vbi deleta Nuceria habitarent, Nucerini Atellam, quia id maluerũt, traducti ſunt; D Atellanis Calatiam, ſicuti memorauimus, migrare iuſsis. Ceterùm vt nihil memoriæ apud ſcriptores reliquum ſit, a quo Nuceria poſt eam cladem inſtaurata fuerit; frequens tamen eiuſdem apud Appianum de bellis ciuilibus mentio eſt. & bello Spartacino eam grauiſsimè affectam Florus prodit. Addit Appianus, Nuceriam, ex duodeuiginti colonijs vnam fuiſse; quæ Triumuirorum reipublicæ cõſtituendæ legibus ac de-
NVCERIA COLONIA MILITARIS. creto militibus ſunt attributæ. Frontinus quoque ſcribit, Nuceriam coloniam muro ductam, iuſsuque imperatoris Auguſti deductam fuiſſe. adhæc iter populo LX. pedum deberi, agrumque eius limitibus Iulianis lege

A nis lege Auguſtana militibus aſsignatum. Nec ignorauimus duplicem in Italia recenſeri Nuceriam; namque & in Vmbris apud ſcriptores nominari Nuceriam, eamque vel ante ſecundi belli Punici tempora coloniam fuiſse argumento eſt, quòd Liuius illos Nucerinos inter duodeuiginti colonorum populos recenſeat, qui difficillimis reipublicæ temporibus fidem populo Ro. magna conſtantia conſeruarunt; eosque Nucerinos apud Plinium cognomine Fauonienſes vocatos fuiſse inuenio. Liuius eoſdem cũ Firmanis & Hadrianis qui in Piceno erant coniungit: vt hinc ſuſpicari pronum ſit (niſi quæ antiquorum obſtet auctoritas) Campaniæ Nuceriam quæ Picentinorum ex veterum teſtimonio ſcribitur
B ab his Nucerinis quum in eum deducti eſsent locum, conditam fuiſse. Vtriuſque Nuceriæ vt Coloniæ Ptolemæus meminit: atque Vmbrorum occidentaliorem, quàm Picentinorum, quatuor partibus cum beſſe collocat; ceterùm parte vna cum beſſe auſtraliorem: quare Picentinorum Nuceriam ſub latitudine XL. s. partium; Latitudine XL. partium cum beſſe. ex qua definitione ſecundùm terreni globi ſuperficiem, (ſi numeri apud Ptolemæum non fallunt) Nuceria vmbrorum a Picentinorum Nuceria in occaſum æſtiuum CCXXI. M. P. diſtabit. Hactenus itaque Campaniæ oram agrumque obiuimus; nunc ordo poſtulat vt in Lucaniam & e mediterraneis ad Tuſcis maris oram deflectamus. Picenti-
C norum vrbes Surrentum & Salernum celebrantur: inde vltra Silari fluminis oſtium Lucania ſeſe vſque ad Laum fluuium aperit; cuius opida, Pæſtum Græcè Poſidonia, & ſinus Pæſtanus Straboni Poſidoniates; item Velia quod Hyela olim; promontorium Palinurum & flumen Melphes; tum Buxentum opidum, & Laus amnis Bruttiorum initium: mediterranei populi quorum apud veteres nomina celebrantur, Grumentini, Potentini, Volcentani, Numiſtrani: præterea opidum Pandoſia, OEnotriorum quondam regia; quam tamen Strabo in Bruttiorum finibus ponit; & de Silaro mirum refert quod virgulta in eundem proiecta non mutato colore neque forma lapideſcant. Patet a Silari oſtio
D ad Laum ſecundùm maritimam oram LXV. M. paſs. ſpacium. Tenuêre Lucaniam Pelaſgi, OEnotrij, Itali, Mergetes, Siculi, Græciæ maximæ populi; nouiſsimè Lucania Samnitibus oriundi, & a duce Lucio nominati; qui ſuperatis bello Poſsidoniatibus vrbibus eorum potiti ſunt. Hi quum aliquamdiu ſub ſtatu populari rempublicam ſuam adminiſtraſſent, poſtea bellis ingruentibus regem, magiſtratusque ſibi delegerunt. Ceterùm anno ab vrbe condita CCCCXXVII. L. Papirio Mugillano & C. Pœtelio Viſolo III. Coſs. quum ad eam vſque diem nihil dum rei cum populo Ro. geſsiſſent, varijs antea cladibus ab Alexandro Epirotarum rege vexati, in fidem Romanorum venerunt: viroſque, & arma

NVCERIA VMBRORVM COLONIA RO.

LVCANIA.

SILARVS FL.

LVCANI.

LVCANI A RO. IN FIDEM ET FOEDVS RECEPTI.

pollicentes,fœdere in amicitiam accepti ſunt. Quod quum eodem anno violaſſent, factum eſt, vt poſt octauum inde annum Apulia perdomita bello a Romanis impetiti ſint; & repentino Q. Aimilij Conſulis aduentu Nerulum opidum ipſorum vi captum. Poſt autem quum oratores Lucanorum ad L. Cornelium Scipionem & Cn. Fuluiũ Centumalum Coſs.queſtum veniſſent,Samnites quia condicionibus ad ſocietatem armorum ipſos perlicere nequiuiſſent, infeſto cum exercitu fines ipſorum ingreſſos,eoſdem peruaſtare,belloque ad bellum cogi; adderentque nunc ita animatos eſſe Lucanos, vt omnia ferre ac pati tolerabilius ducant, quàm vt vnquam poſtea nomen Ro. violent; proinde orare patres,vt Lucanos in fidem acciperent;& Samnitium vim atq; iniuriam ab ſe arcerent; decreuit Senatus vt fœdus cum populo Lucano iungeretur. In quo manſiſſe videntur donec anno ab vrbe condita CCCCLXIII.P.Cornelio Rufino,M.Curio Dentato Coſs.arma cum Samnitibus, Bruttijs & Tarentinis populi Romani per id tempus hoſtibus ſociarent: ita vt ampliſsimam triumphorum materiam pluribus per octo Conſules prœlijs victi præbuerint. Debellatum eſſe cũ Lucanis a L.Papirio Curſore & Sp. Caruilio Maximo Coſs. qui de ijſdem ambo triumpharunt, vt eſt in Faſtis Capitolinis, & Lucanis eorumque ſocijs pacem eodem tempore eſſe datam crediderim:fœderis tamen condiciones vnà cum rebus eorum geſtis apud Liuium ceterosque ſcriptores interciderunt. Hactenus de Lucanis in genere: ſequitur vt maritimam Lucaniæ oram per partes obeamus. Strabo auctor eſt in Lucanis vltra Silarum amnem Iunonis Argiuæ templum ab Iaſone ædificatum fuiſſe; quod Plinius cis eundem fluuium in Picentinis conſtituit. A B C

FOEDVS ALTERVM RO. CVM LVCANIS.

ΠοΣΕΙΔΩΝΕΑΤΑΝ.

POSIDONIA.

AB Silari oſtio quinquaginta ſtadijs diſtabat vrbs quæ Poſsidonia Græcis,Pæſtum latinis dicebatur; a Dorienſibus ſi Solino; a Sibaritis ſi Straboni credimus condita. Hæc intimo in ſinu ſita, ipſi ſinui nomen Pæſtano quem Græci Poſidoniaten vocant; fecit. Strabo tradit Romanos ex Hadria Picentes colonos in Poſidianiten ſinum deduxiſſe. ſicuti enim Sibaritæ prius a Lucanis; ita Lucanos poſtea a Romanis Poſidonia expulſos fuiſſe. Idem Strabo inſalubritatem aëris culpat; ob amnem Silarum in paludes diffuſum. Agrum Pæſtanum poëtæ & rei ruſticæ ſcriptores ob roſarum præſtantiam,quæ flagrantiſsimum ſpirent odorem; roſariaque quotannis bifera commendant. Vrbis verò originem aut nomẽ numiſmata ad Ποσειδῶνα, quem Latini Neptunum vocant referre videntur; qui omnibus in nummis tridente ſuo

PAESTVM.

D

emicat;

A emicat; & auerſis aliquot partibus Taurum, qui Neptuno immolabatur, ſicuti & VIII. nummo Equum qui Neptuno ſacer erat, ſignarunt. Athenæus prodit Poſeidoniatas feſtum quoddam Græcorum more celebraſſe, in quo lacrymantes ab inuicem diſcederent. Ceterùm quum Alexander Epirota Magni Alexandri auunculus, a Tarentinis in Italiam accitus excurſionem a Pæſto faceret, collatisque cum Samnitibus & Lucanis in agro Pæſtano ſignis, prœlio viciſſet, pacem cum Romanis fecit. Verùm C. Fabio Durſone, C. Claudio Canina Coſs. Poſidoniam ſiue Pæſtum coloniam fuiſſe deductam Velleius & Epitome Liuij teſtatur. Fidem inde Pæſtanos populo Ro. conſtanter ſeruaſſe B argumento eſt, quod legati a Pæſto pateras aureas in ſumma reipublicæ difficultate Senatui in ſubſidium obtulerint; quemadmodum & Neapolitani; adhæc quod Pæſtani inter eos populos a Liuio recenſeantur, qui laudem conſtantiæ & fidei ad omnem poſteritatem mereantur.

POSIDONIA ROMANORVM COLONIA.

Inuenio celebrari Parmenidem Poſeidoniaten, vt qui ſtadio vicerit olympiadis ſeptuageſimæ octauæ anno primo. Pæſti longitudinem Ptolemæus XL. partium cum Sextante, vt latitudinem quadraginta partium numerat. vltra Pæſtum promontoria ſunt; primum Poſeidoniũ, inde Athenæum ſiue Mineruæ, cui Sirenum inſulæ opponuntur. AEneas verò cum ſociis Troianis e Sicilia per mare Tyrrhenum nauiC gans, primùm in Italiam appulit ad portum Palinurum; qui ab vno gubernatorum AEneæ ibidem defuncto nomen ſortitus eſt. deinde inſulam tenuére Troiani, cui Leucaſiæ nomen indiderũt, a Leucaſia AEneæ nepte circa hæc loca mortua. E regione Palinuri OEnotriæ inſulæ, quibus Velia de qua nunc dicturi ſumus oppoſita erat.

ΥΕΛΗΤΩΝ.

VELIA Phocenſium Colonia.

D DISTABAT a Pæſto in ortum Hyela ſiue Velia, ſi Straboni credimus, vigintiquinque paſſuum millibus: hanc a Phocenſibus fuiſſe conditam veterum auctoritate teſtatum eſt: quum namque Cyrus Cræſum Lydorum regem viciſſet, maritimis Ioniæ & AEoliæ regionibus Harpagum ducem præfecerat: cuius tyrannidem quum Phocenſes metuerent; atque is ad vrbem obſedendam exercitum adduceret; noctu qui elabi poterant conſcenſis cum familia nauibus nouas ſibi ſedes quæſituri, tandem in Corſicam appulerunt: inde vti Herodotus narrat, Rhegium confugerunt: vrbemque in OEnotriæ agro condiderunt, quam Hyelam nuncuparunt. Nominis cauſſam ab Elea eius loci fonte plerique deducunt: alij a fluuio eiuſdem nominis per

HYELA A PHOCENSIBVS CONDITA.

agrum

agrum Eleatem labente. Sunt tamen qui Eliam Græco vocabulo a A
paluſtri loco vocatam malint; Dionyſij Halicarnaſſei auctoritatem &
Analogiam ſequuti: Dionyſius enim de agri parte circa ſacrum lacum
ab Aboriginibus conceſſa Pelaſgis, qui eò ex oraculo ſedes quæſituri ad-
uenerant, in hanc ſententiam ſcribit: pleraque erant paluſtria, dicta nũc
iuxta præprietatem antiquæ linguæ Velia. ſolebant enim Priſci illi Græ-
ci nominibus a vocali incipientibus præponere ου ſcriptum vno cha-
ractere; is erat ſimilis Γ duplici, ad rectam lineam duabus obliquis additis,
ſic, Ϝελένη, Ϝαῦαξ, Ϝοῖνος, Ϝανηρ & multa ſimilia. ita vt Velia pro Elia dictum
ex eadem ratione opinari liceat. Conditam fuiſſe Eliam circa Tar-
quinij Priſci tempora argumento eſt, quod pars reliqua Phocenſium cũ B
eodem ſocietatem coiuiſſe ſcribatur; & Phrurio, Peranoque ducibus
claſſe in Galliam Narbonenſem profectos, Maſsiliam, vt ſuo loco latius
proſequuturi ſumus, condidiſſe. Vnde rectè ſcripſit in Virgilium Ho-
noratus, Veliam tempore AEneæ non fuiſſe conditam: etiamſi poëta
cecinerit. Portuſque require Velinos; reſpexiſſe enim ad id nomen
quod eidem loco poſtea a Phocenſibus factum eſt. Portus enim hoc
in ſinu fuiſſe multos & nauium ſtationes tutiſsimas, ceterùm exiguas &
PHILI-STION. paruas, conſtat. Condendæ Veliæ auctorem fuiſſe Philiſtionem, aut
certè ſtrenuum aliquem & laudatum, Velienſium ducem fuiſſe, quidam
hinc opinati ſunt, quod ipſius nomen in Mineruæ galea cum triumpho C
exſtat: alijſque in numiſmatibus eiuſdem nominis ἀκροστιχία adpareant.
Palladem ab Eleatibus cultam fuiſſe omnibus quæ hic propoſuimus
numiſmatibus teſtatum eſt; in quibus ipſius Palladis caput galeatum ſi-
gnatur; ipſaque galea varijs ornata ſymbolis, pegaſo, grypho Sphingæ,
aut alio aliquo vti in ipſis numiſmatibus videre eſt. Strabo au-
ctor eſt hanc vrbem optimo reipublicæ ſtatu quondam adminiſtratam,
opibus & potentia floruiſſe; multaque bella cum Pæſtanis & Lucanis
geſsiſſe: quibus etſi numero inferiores, virtute tamen & armis pares erãt.
Ceterùm vt rerum a Velienſibus cum vicinis geſtarum memoria inter-
cidit, ita neque qua occaſione, aut quo fœdere cum populo Ro. ſocieta- D
ELEATES. tem coiuerint conſtat. Eleates namque, quos nonnulli Veleates quo-
que ſcribunt, in Liguria populi, de quibus ter triumphatum fuiſſe in Ca-
pitolinis Faſtis teſtatum eſt, nihil ad iſtos pertinent. Obſeruo apud
Liuium P. Quinctio a ſocijs Rheginisque, & a Velia & Pæſto debitas ex
fœdere naues eſſe datas; quod argumẽto eſſe poteſt, Veliam populo Ro.
fœderatam fuiſſe: Coloniam namq;, municipium aut præfecturam fuiſ-
ſe non conſtat. Brutum quum poſt Cæſaris cædem in Græciam traie-
cturus eſſet, e Velia ſoluiſſe Cicero in Philippicis teſtatur. Zenonem
Pythagoricum & Stoicum Eleatem fuiſſe, & tum Parmenidem Philoſo-
phum

A phum Strabo teſtatur; Veliamque ipſorum nomine apud exteros poſteroſque fama celebratam. Veliæ Longitudinem Ptolemæus XL. partium cum triente; Latitudinem XXXIX. partium cum dodrante numerat. Vltra Veliam Buxentum opidum & Colonia erat: hinc Lai fluminis oſtium Lucaniæ terminus. Ceterùm Lucaniam ea regio attingit, quàm Græci inſederunt: ea in tres partes diuiſa eſt, in Bruttios, Meſſapios, & Sallentinos. Bruttij expulſis Græcis eam partem occuparunt, quæ quondam OEnotriæ nomen tulit, a Lao flumine vſque ad Metapontum opidum: ſicut Strabo ex Antiochi ſententia tradit. nam ab antiquis OEnotros & Italos ſolos vocatos ait, qui Iſthmum habita-
B rent; Iſthmum autem eſſe quidquid agrorum inter duos ſinus includeretur; Hipponiatem videlicet ſiue Napitinum a mari Tyrrheno, & Scyllaticum a Siculo. Bruttios narrat Diodorus M. Popillio Lænate, Cn. Manlio Capitolino Coſs. primùm in his regionibus apparuiſſe, homines agreſtes & Lucanorum fugitiuos; atque propterea domeſtica eorum lingua Bruttios appellatos: occupaſſe autem eos Terinam, Hipponem, Thurios aliaque opida complura; ac reipublicæ genus ab alijs ſeparatum inſtituiſſe. Quod ſi veros Bruttiorum fines aſsignauimus, verè profecto etiam traditum eſt, maritima eorum fuiſſe, Tempſam Coloniam, Terinam, Rhegium, Alecem flumen Rheginorum agrum a Locrenſi di-
C rimens, Locros, Caulonem, Scyllacium, Lacinium, Sybarim, Thurios, Acirim, & Sirim flumina; poſtremam verò Metapontum. Interiora autem Numiſtrum, Conſentiam, Hipponem, Heracleam quæ & Siris vocata, & vti placet Straboni Pandoſiam. Ceterùm vt ad numiſmatum ordinem redeamus, Terinam quæ prima in ora maritima Bruttiorum ſeſe offert, proſequamur.

BVXENTVM COLONIA.

BRVTTII.

OENOTRI ITALI.

TEPINAIΩN.

TERINA Crotoniatarum Colonia.

D

TERINAM igitur Crotoniatarum fuiſſe Coloniam, ſinumque ab eadem Terinum eſſe vocatum Plinius & Ouidius ſcribunt. hanc a Bruttijs captam oſtendimus. Poſtea etiam fœdere cum populo Ro. coniunctam fuiſſe argumẽto eſt, quod Strabo ſcribat Terinam ab Hannibale, quia eandem tueri non poterat, direptam; ſoloque æquatam quo tempore ille ſe penitus intra Bruttios receperat. nec plura de eadem vrbe apud ſcriptores exſtare inuenimus. Quod ad numiſmata pertinet, ea ferè omnia victoriam ſedentem exprimunt. Trinacriæ quoque ſiue Siciliæ ſymbolum in ijſdem vt & in Velienſium nummis exſtat. nam

TERINA.

cum conſtet Siculos circum hæc litora plurima armis geſsiſſe; credibile eſt eoſdem tam Eleates quàm Terinenſes ac alios eius tractus populos in poteſtatem redegiſſe; ijſque ad tempus ſaltem imperaſſe: atque hinc Trinacriæ ſymbolum in numiſmatibus harum gẽtium, atq; vrbium expreſſum. nec abſurdum fuerit credere Siculos fœdere aut amicitia cũ his Italiæ populis iunctos fuiſſe: atque hinc fortè Trinacriæ ſymbolum in nummis ipſorum ſpectari. Tempſa de qua iam diximus, Terinæ admodum vicina fuit: hanc Temeſam quoque dictam fuiſſe Strabo & Plinius auctores ſunt. Auſonum ædificium fuerat, quod poſtea AEtoli Thoantis ſocij occuparant: atque ij a Bruttijs eiecti ſunt. Tempſanum tandem agrum Romani de Bruttijs ceperunt; coloniamque ciuium Ro. P. Cornelio Scipione II. Ti. Sempronio Longo Coſs. eò deduxerunt. Commendat vina Temeſina Plinius, traditque fuiſſe & alteram Temeſam in Cypro celebrem vtramque metallis & ærefodinis commendatam.

TEMPSA.

A B

ΠΑΝΔΩΣΙΕΩΝ.

PANDOSIA.

SEQVITVR in numiſmatibus Pandoſia, quàm mediterraneam vrbem Strabo in Bruttijs; alij in Lucanis collocant. hanc OEnotriorum fuiſſe regiam, & ad Acherontem fluuium ſitam inuenio. Ab ijſdem Apollinem pro tutelari Deo cultum fuiſſe, & radiatum Apollinis caput & Cortina ſiue Tripus in numiſmatibus probare videtur. Ad hanc Alexandrum Epiri regem ab exſule Lucano in tranſitu Acheronтis fluuij interfectum, ſortes Iouis Dodonæi euentu affirmaſſe auctores teſtantur. Accito ab Tarentinis in Italiam a conſulto numine reſponſum fuerat, vti Acheruſiam aquam Pandoſiamque vrbem caueret: ibi fatis eius terminum dari; eoque ocyus tranſmiſit in Italiam: vt quàm maximè procul abeſſet ab vrbe Pandoſia in Epeiro, & Acheronte amne, quem ex Moloſside fluentem in Stagna inferna ſinus Theſprotius excipit. Addit Strabo Pandoſiam ſitu loci & natura validam fuiſſe vrbẽ; & Apollinis oraculo Triuerticem fuiſſe cognominatam: Alexandroque conſulenti in hanc ſententiam ab oraculo reſponſum fuiſſe. *Pandoſia perdes populum quandoque Triuertex.* cuius reſponſi ſententia vt in vtramque partem ambigua eſt, ita Alexander eandem ſibi victoriam polliceri, hoſtibus perniciem minari interpretatus eſt. Pandoſiam vrbem in numero fœderatarum fuiſſe; atque cum Bruttijs in populi Ro. poteſtatem veniſe, ex eo videri poteſt, quod Liuius prodat, quum a Conſule P. Sempronio Tuditano Petilia in Bruttijs deuicta eſset, Conſentiam & Pandoſiam & ignobiles alias ciuitates, ſponte in deditionem veniſse.

ALEXANDER EPIRI REX.

PANDOSIA FOEDERATA CVM ROMANIS.

C D

Cetera

A Cetera huius vrbis gesta actaque ad nostram cognitionem non peruenerunt.

AXEPΩNTAN.

EX Liuij de Alexandro Epirota historia colligi potest, Acherusium amnem siue Acherontem, ex monte edito in quo Pandosia sita erat, fontes suos habuisse, & valles trium collium alueo suo irrigasse, seseque in intimo sinus Hipponiatis exoneratse, ad initiũ Isthmi eius quem OEnotri & Itali soli vocati olim incoluerunt. Populos verò qui circa ACHERON FLVVIVS. ACHERONTINI.
B Acherontem flumen habitabant, Acherontinos fuisse appellatos Plinius & Strabo meminerunt. nec quidquam aliud apud Scriptores de Acherontinis memoria dignum obseruare potui, quàm quod Procopius in hoc ferè tractu Acherontidis castelli meminerit; & Pontificum libri Acherontinum præsulem nominent. AEquè obscura nobis est duorum quæ hîc expressimus numismatum ratio; in quorum vno Iupiter aduersa parte exprimitur, vti auersa eques Nicias hasta prostratum pugilem aut hostem premens forsan in equestris alicuius victoriæ symbolum: altero dearum aliqua effigies expressa est Acherontinis forsan tutelaris; a cuius auersa parte Capra procũbit; quæ vt Iunoni Sospitæ, siue (quod nomen nummismata produnt) Sispitæ sacra apud Romanos erat; ita &
C Mineruæ, quia oliuam lambendo sterilem faceret, immolabatur: ea ratione qua caper Baccho, quòd morsus vtriusque tam arbustis quàm vinetis exitialis esset. Exemplum solertiæ huic animali a Plinio attributum, a Mutiano obseruatum adscribam: Capris inquit, duabus sibi ex diuerso in prætenui & lõgo ponte obuijs, quum angustiæ non paterentur vt sese circumagerent; neque longitudo in tanta exilitate reciprocationem admitteret, torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse; atque ita alteram proculcatæ supergressam. Capras etiam a Macedoniæ & Epiri regibus in honore habitas fuisse Iustinus prodit: eò
D quòd Caranus primus Macedoniæ regum, a quo ceteri vsque ad Alexandrum Epiri regem genus ducebant gregem caprarum veluti ducem oraculo sibi destinatum sequutus, Edyssam regni sui sedem occupauerat; quam mutato nomine AEgeam ob beneficij memoriam nominauerit, at Acherontini forsan ob Alexandrum Epiri regem suo in agro cæsum, quia is genus a Carano ducebat Capræ symbolo nummos suos notare voluerunt: verùm in tam obscura de rebus Acherontinorum memoria, alijs liberam vnde coniecturas sumerent, diuinandi materiam præposuisse contenti, de Bruttijs, quæ restant prosequamur.

BPETTIΩN. A

BRVTTIORVM tractum a Lao flumine ad Metapontum pertinuiſſe; Bruttios Lucanorum fuiſſe fugitiuos ſupra ex Strabone & Diodoro oſtendimus. Alij, aliam nominis & originis cauſſam referunt. Stephanus enim Bretton Tyrrhenorum fuiſſe vrbem, a Bretto Herculis ex Baletia filio conditam ſcribit; regionemque ab ea Brettiam vti & linguam fuiſſe appellatam: additque ex Antiocho Italiam olim Bruttiam, inde OEnotriam fuiſſe vocatam. Iuſtinus autem nominis & originis rationem altiùs ab hiſtoria in hanc ferè ſententiã repetit. Lucanos olim ijſdẽ legibus liberos ſuos, quibus & Spartani, inſtituiſſe. quippè ab initio pubertatis in ſyluis inter paſtores ſine miniſterio ſeruili, ſine veſte quam induerent vel incubarent habuiſſe; vt a primis annis duritiæ parcimoniæque ſine vllo vrbis vſu aſſueſcerent. cibus ijs præda venatica; potus, mellis & lactis & fontium liquor erat: ſic ad labores bellicos indurabantur. horum ex numero quinquaginta primùm conueniſſe, ex agris finitimorum prædari ſolitos; confluente deinde multitudine, quũ præda ſolicitati & illecti plures facti eſſent, infeſtas regiones reddidiſſe: itaque fatigatum querelis Lucanorum Dionyſium Siciliæ tyrannum ſexcentos Afros ad compeſcendos eos miſiſſe; quorum caſtellum proditum ſibi per Bruttiam mulierẽ expugnaſſe, ibique ciuitatem cõcurrentibus ad famam nouæ vrbis Paſtoribus, ſtatuiſſe: Bruttioſque ſe ex mulieris nomine vocaſſe. Primùm illis cum Lucanis, originis ſuæ auctoribus bellum fuit: tantaque feritas animorum erat, vt nec gentis ſuæ auctoribus parcerent. Qua victoria erecti, quum pacem æquo iure feciſſent, ceteros finitimos armis ſubegerunt; tantaſque breui opes ſunt conſequuti, vt multas Græci nominis ciuitates Italia expellerent; & formidoloſi etiam regibus eſſent. Denique quum Alexander Epirotarum rex, ſicuti meminimus, in auxilium Græcarum ciuitatum magno cum exercitu in Italiam veniſſet, cum omnibus copijs ab his deletus eſt. Ferocia itaque illorum tanto felicitatis ſucceſsu accenſa, diu finitimis terrori fuit. Ad poſtremùm Agathocles in auxilium vocatus, ſpe ampliandi regni a Sicilia in Italiam traiecit. Principio aduentus eius opinione conſternati Bruttij, legatos ad eum, ſocietatem amicitiamque petitum miſerunt: quos Agathocles ad cænam inuitatos, ne exercitum traijci viderent die ijs in poſterum conſtituta, conſcenſis nauibus fruſtratus eſt: ſed fraudis haud lætus euentus fuit; ſiquidem eundem in Siciliam reuerti vis morbi coëgit; quo toto corpore comprehenſus per omnes neruos articuloſque humore peſtifero graſsante, extinctus eſt. Sunt & qui aliam adhuc nominis cauſsam referant; eamque a bruti ratione deducant

BRETTOS VRBS. B

BRVTTIA. C

AGATHOCLES. D

A cant atque hinc genti ob mentis ingenijque ſtuporem ac ſtolidam corporis ferociam Bruttijs nomen eſse factum comminiſcantur. Sed nobis vel Stephani vel Iuſtini hac in re auctoritas præferenda videtur; quæ & hiſtoria,& numiſmatum teſtimonio confirmatur,nam ſi ad rationē a Stephano allatam reſpiciamus, Hercules, vnde generis ſui originem per Bretton eius filium repetant, vt in ſeptimo Bruttiorum numiſmate adparebit,ſicuti & quincto,is qui galeatus cum haſta & clypeo tanquam pugnam ſciens ſpectatur,forſan ipſe Brettos Herculis filius fuerit. Sin animi vigorem & fortitudinem in rebus gerendis expreſsam conſiderare lubebit, cæteris in numiſmatibus Martem ac Mineruam galeatos tum
B victoriam,Trophæa ac bigas videre licebit: Iouem præterea, Iunonem, Apollinem, Dianam, Aquilas variaque alia virtutis & fortitudinis ſymbola non ſine artificio expreſsa. Aquilæ & Ioui non numquam ijſdem in numiſmatibus copiæ cornu, fertilitatis ſymbolum eſt adiectum:commendatur enim ab antiquitate Bruttiorum ager ex vini, olei, frugiſque prouentu. Expreſsa eſt & tertio numiſmate, Iuno regina cum cicada; forſan quòd in agro Rhegino, qui & ipſe Bruttiorum erat, ab Iunonis quam multa religione & cum ſilentio Bruttij colebant, reuerentiam ſilere cicadæ crederentur & obmuteſcere, quæ vltra flumen in Locris canoræ eſſent. Ceterùm vt ea quæ Bruttij cum ceteris Græciæ in
C Italia populis geſſerunt,a nemine ad poſteritatis memoriam ſatis exactè prodita ſunt: ita & ea quæ cum Romanis geſſerunt, æquè nobis incerta ſunt. illud ex faſtorum tabulis conſtat triumphaſſe de Bruttijs C. Fabricium Luſcinum Conſulem anno CCCCLXXV. proximo inde anno C. Iunium Brutum Bubulcum; mox Q. Fabium Maximum Gurgitem: vt triennio poſt C. Claudium Caninam; ſequenti inde anno Sp. Caruiliū Maximum & L. Papirium Curſorem,ita vt hac ratione intra ſexēnium ſex Conſules ſex de Bruttijs triumphos egerint. Geſtarum cum ijs rerum memoriam apud Liuium intercidiſſe ex XII.XIII.& XIIII. librorum epitomis colligere licet. Bruttijs Hipponem,de quo mox plura dictu-
D ri ſumus,eſſe ademtum Strabo; vt Crotonem Liuius prodit. In numerum fœderatorum Bruttios eſſe referendos exiſtimarim;quòd Sulpicius apud Liuium Minioni Antiochi regis legato ita reſpondeat;ex quo Bruttij in noſtram poteſtatem venerunt, vno & perpetuo tenore iuris ſemper vſurpato nec vnquam intermiſſo, quæ ex fœdere debent exegimus: Bruttij tamen a Romanis ad Hannibalem defecerunt; fidemque Hannibali datam conſtanter ſeruarunt; donec ſeneſcente bello Punico,& Scipione in Africa debellante victoria ad Romanos inclinaſset. Bruttij itaque tamquam ſocij Pœnorum arma contra Romanos ſumſerunt; & Crotonem Græcam vrbem circunſederunt, opulentam quon-

DE BRVTTIIS TRIVMPHATVM SERIES.

BRVTTII FOEDERATI CVM ROMANIS.

dam armis viriſque, (vt in Crotoniatarum rebus proſequuturi ſumus,) verùm id temporis multis magniſque cladibus ita affectam, vt omnis ætatis minus viginti millia ciuium ſupereſſent. itaque vrbe defenſoribus orbata facilè potiti ſunt: arx tantùm retenta; in quam inter tumultum captæ vrbis quidam e media cæde effugêre. Diu tenuit arcis obſidio, donec perſuaſi a Locris qui ad Bruttios tranſierant Crotoniatæ, cum omni multitudine Locros abierunt. Inde Volones duce Sempronio, ſi hoſtis caput retuliſſent libertate promiſſa, cum XVII. Bruttiorum congreſsi; eos ſtrenuè pugnando vicerunt. Cœperuntque exinde Conſules, Bruttios, (quia Hannibal in eorum ferè agro ſeſe continebat; aut ſeſe cum agmine conuertebat) quotannis vt prouinciam aliquam ſortiri: ita vt in Bruttijs multo cum ſanguine frequentiſsimè cum Hannibale ſigna collata ſint. Bruttiorum tamen fide Tarẽtum a Q. Fabio Maximo Verrucoſo receptum eſt: & Vibius Pactiusq; fratres longè nobiliſsimi gentis Bruttiorum pacem a Romanis petẽtes veniæ ſpem obtinuerunt. Tandẽ ad Cn. Seruilium Geminum Conſulem Bruttiorum vrbes, multique ignobiles populi, quum bellum Punicum ſeneſcere cernerent, defecerunt; iamque vniuerſus Bruttiorum populus ad fidem Romanorum rediiſſet, niſi metus ex Hannibale eoſdem in officio continuiſſet. Ceterùm Hannibale ab Italia depulſo, quia Bruttij aduerſis Romanorum rebus ad Hannibalem defeciſſent, Bruttios ignominiæ cauſſa non milites ſcribebant, neque pro ſocijs habebant: ſed magiſtratibus in prouincias euntibus præire, apparere, & præminiſtrare ſeruorum vice iuſſerunt. Quod verò lictores e Bruttijs legerentur, Bruttianos pro lictoribus a ſcriptoribus vſurpari obſeruo: ita Cato dixit, quendam a Bruttianis hoc eſt a lictoribus verberatum. Hactenus de Bruttijs in genere; nunc reliquarum in iis vrbium hiſtoriam & numiſmata aggrediamur: Acherontinorum, quia ordo ita poſtulabat, iam ante ſcripſimus; ſequuntur Hipponienſium.

ΙΠΠΩΝΙΕΩΝ.

HIPPON Locrorum Colonia.

HIPPON. HIPPONEM Locrorum fuiſſe Coloniam Strabo prodit; atque ab eadem ſinum maris Tyrrheni, qui ab Acherõtis fluuij oſtio vſque ad Scyllæum promontorium ſeſe inſinuat, Hipponiaten fuiſſe dictum: is antea etiam Napitinus; & a Thucidide & Plinio, ſi Hermolao credimus, Terinus a Terina vrbe, de qua ſuo loco ſcripſimus, cognominatus fuerat. Ad Hipponienſium agrum Proſerpinam e Sicilia ad legendos flores

HIPPONIATES SINVS.

A flores veniſſe, veterum auctoritate vt Strabo refert credebatur: quoniam Hippon in valle amœniſsima ſitus magna florum copia exhiuberabat. PROSERPINA. Hinc ſunt qui in eo quod vnicum Hipponienſium ad manus noſtras peruenit numiſmate, Proſerpinæ effigiem ſignatam opinentur; cui ab aduerſa parte copiæ cornu fertilitatis ſignum, & Caduceũ ſint adſignata: tamquam Proſerpinæ aduentus ipſis & pacis & fertilitatis cauſſam attulerit. Obſeruo quoque hanc vrbem ab Agathocle aliquando captam fuiſſe; & emporium ab eodem, vt ea commerciis frequentaretur, ad litus fuiſſe inſtitutum. Ex hac vrbe Bruttij prius Græcos, Bruttios poſtea Romani expulerunt. Ceterùm C. Lutatio Catulo, A. Poſtumio
B Albino Coſs. quo anno cum Pœnis in Sicilia primùm debellatum eſt, Hipponem, vt Velleius auctor eſt, Colonia deducta fuit, quæ deinceps Vibo Valentia appellata ſit. VIBO VALENTIA COLONIA. Nam quod Liuius prodit, colonos ex S.C. plebeiq; ſcito poſt quinquageſimum inde annum eò deductos, de coloniæ inſtauratione intelligendum erit: mille, inquit, & ſeptingenti pedites ierunt, trecenti equites: trium viri deduxerunt Q. Næuius, M. Minucius, M. Furius Craſsipes: quinadena iugera agri data in ſingulos pedites ſunt, duplum equitibus. Sinus Vibonenſis corallo laudatiſsimo abundat & Thunnorum piſcatura: totoque ad Scyllæum litore pumicibus; quos perpetuo incendio Volcani inſula eructat & in aduer-
C ſam maris oram vndæ expellunt. Valentiæ longitudinem Ptolemæus XL. partium cum quadrante, vt latitudinem XXXVIII. partium cum deunce numerat. hinc ad fretum Siculum nauigatur, quo ſuperato Rhegium Iulium; de quo vt numiſmatum ordinem ſequamur, iam dicturi ſumus.

ΡΗΓΙΝΩΝ.

RHEGIVM Chalcidenſium Colonia.

D RHEGIVM vrbs potentia & opibus quondam florentiſsima, originis ſuæ auctores Chalcidenſes habuit: eos nempè qui ſterilitate laborante patrio ſolo, Apollini ex voto decimati erant. Hi quum nouas quærere ſedes ſtatuiſſent; conſulto prius Apollinis oraculo Meſſeniorum exſules qui patria agriſque ab Lacedæmoniis ob violatas per temulentiam eorum virgines eiecti, incertis per Græciam ſedibus oberrabãt, ſecum aſſumſerunt; profectique in Italiam cum Meſſeniis circiter annũ ſecundum olympiadis viceſimæ octauæ, quum ad Rhegium promontorium appuliſſent, adiuuantibus Zanclæis vrbẽ hoc loco condiderunt. RHEGIVM CONDITVM.

Nomen vrbi promontorioque inditum vetuſti teſtantur ſcriptores; ab Græ-

ab Græco verbo ῥήγνυσθαι id eſt a dehiſcendo. Fuiſſe namque eam Ita- A
liæ partem quondam tenui Iſthmo Siciliæ annexam; diuulſamque inde terræmotus violentia vndarumque impetu, diſcedentibus terris peruium in medio iter mari præbuiſſe. Certè etiamnum ea eſt hoc in freto Italiæ Siciliæque vicinitas, & ita æqualis promontoriorū hinc inde altitudo, vt continentis ſpeciem procul intuentibus exhibeat: quo magis autem acceſſeris, diſcedere diſiungique promontoria, quæ ante coniuncta videbantur, exiſtimes. Ceterùm Rhegini ſtatim ab initio optimis legibus inſtitutiſque rempublicam ſuam firmarunt: eamque rebus domi ac foris clariſsimè geſtis ita auxerunt, vt plurimarum per Italiam coloniarum auctores fuerint. Principes legitima electione vſque ad A- B
naxilæ filios; qui vltimi ex hac ſtirpe imperarunt, ex gente Meſſeniorū creabantur. Eorum qui ante Anaxilam fuére res geſtæ iniuria temporum interiêre. Anaxilas quartus ab Alcidamida qui Meſsenios in Italiã deduxerat, poſt Critenei patris mortem Tyrannide patriæ potitus, quũ aſsiduum ipſi cum Samijs, qui Zanclem ex aduerſo Rhegij ſitam occupauerant, bellum intercederet, Samijque infeſtum pyraticis incurſionibus mare redderent; vireſque eorum plurimis quotidie ex Græcia ad ipſos confluentibus augerentur, diffiſus viribus ſuis legatos in Græciam ad Meſsenios cognatam gentem, qui iterum a Spartanis patria pulſi nouas ſedes quærebant, miſit: edocuitque aſsiduum ſibi cum Zanclæis vicinis C
ſuis eſse bellum; eosque poſsidere vrbem opulentam, & ſitus commoditate præſtantem: nec difficilem eius vrbis occupationem fore; ſi ad maritimas Rheginorum copias, Meſsenicus miles terra bellator egregius accederet. Perſuaſi his verbis Meſſenij, quum in Siciliam veniſſent, Zanclæos ſibi occurrentes prœlio vicére. Interim Anaxilas educta Rhegio claſſe, Zanclæos mari aggreſſus, maximam nauium partem, aut cœpit, aut diſiecit; reliquos fugientes ad ipſam vſque vrbem inſectatus eſt. Zanclæos itaque mari Anaxilas, terra Meſſenij premebant: qui quum hoſtium impetum aliquandiu fortiſsimè ſuſtinuiſſent; victi tandem hoſtis pertinacia, quum haud dubiam ſibi perniciem inſtare viderent; quòd D
multis locis ſtrata ruinis mœnia aditum hoſti præberent; ſupplices ad aras Deorum confugére. Imperauerat Meſſenijs Anaxilas vt ſupplices nulla religionis habita ratione trucidarentur; reliqui cum vxoribus & liberis ſub corona venderentur: ceterùm Meſſeniorum duces Gorgus & Manticlus deprecati facinoris atrocitatem, ſupplicibus veniam impetrauére. Capta Zancla Meſſenij, vrbem mutato nomine Meſſanam appellauére: imperiumque ipſius Anaxilæ detulére: qui ſtatim ad augendam nouæ vrbis potentiam totum ſe contulit. Obſeruo hunc Anaxilam in Olympijs quadriga mularum viciſſe; atque hinc nummum ſignaſſe,

ANAXILAS RHEGINORVM TYRANNVS.

RHEGINORVM CVM ZANCLAEIS RES GESTAE.

A gnaſſe,qui Rheginis & Meſſanenſibus communis fuerit; cuius vna pars leporem, altera quadrigas mularum exprimebat; quemadmodum in Meſſanenſium numiſmatibus videre licet. Rheginenſium tamen numiſmata quæ ad manus noſtras peruenére, nullam cum Meſſanenſium numiſmatibus ſimilitudinem habent. In pleriſque caput Apollinis, tum Tripus & Cythara ſpectantur: id eo pertinere exiſtimaui; quod hæc Colonia ex Apollinis oraculo deducta ſit; ciueſque eius Apollini ſacri eſſent. Poſt Anaxilæ mortem cladem non mediocrem Rheginēſium reſpublica ſenſit. Bello namque inter Iapyges Tarentinoſque orto, poſtquam Iapyges cum viginti millium exercitu, impreſsionem in Ta-
B rentinorum fines feciſſent, territi tantis hoſtium copiis Tarentini, auxilium ab Rheginis petiêre. Micythus itaque, quem ſpectatæ fidei ſeruum Anaxilas decedens duobus immaturæ adhuc ætatis filijs, tutorem reliquerat, ac regnum tutorio nomine adminiſtrabat, habito ciuium delectu, tria millia militum auxilio miſit: ijs ſociorum copijs acceptis Tarentini, hoſti occurrunt: & quamquã numero præſtarent Iapyges, æquauit tamen Rheginorum Tarentinorumque in pugnãdo virtus aliquamdiu certamen: donec cæſis magna ex parte Rheginis, fluctuare acies Tarentina cœpit: concitante inde ſe acrius in labantem aciem hoſte, fuga præcipiti pars Rhegium, pars Tarentum petunt. Iapyges dum partitis
C copijs fugientes inſequuntur, eorum qui Rheginos inſectabantur, tanta in perſequendo pertinacia fuit, vt cæſis penè ad internecionem Rheginis parùm abfuerit, quin vrbe etiam potiti ſint. cum fugientibus in vrbem irrupiſſe hoſtes, tradit Diodorus. Poſt triennium ab hac pugna elapſum conditam a Micytho vrbem Teuxontam, coloniamque Rheginorum factam idem Diodorus auctor eſt. Ceterùm poſtquam Micythus regni ſumma cum fide atque integritate a ſe adminiſtrati rationem omnibus approbantibus reddidiſſet; imperiumque Anaxilæ liberis reſtituiſſet, iuuenes regni paterni adminiſtrationem capeſcentes alter Meſſanæ, alter apud Rheginos ſummæ rerum præerant. Poſt Micy-
D thi diſceſsum ſolutis metu & verecundia iuuenum animis, dum quidquid laberet & liceret, corruptiſque per licentiam nihil ſancti, nihil iuſti ineſſet: poſtquam regium in omnes faſtum, crudelitatem promiſcuam, in matronas ac virgines libidinem reliquamque morum inſolentiam, Rhegini ac Meſsanenſes aliquamdiu pertuliſſent, tãdem indignitate rei commoti, in Tyrannorum exitium conſpirant: eoſque ſuperatos in exſilium eijciunt. Vt autem ferè accidit ijs vrbibus, quæ ab regia poteſtate in popularem delabuntur: vt ſeſe mutuo inteſtinis ſeditionibus lacerent atterantque: ita tum Rheginis euenit. Liberati namque regio dominatu, atque hinc inſolita libertate fruentes in omnem præcipi-

RHEGINORVM CONTRA IAPYGES RES GESTAE.

TEVXONTA RHEGINORVM COLONIA.

RHEGINI TYRANNIDE LIBERATI.

tes licentiam, dum nemo alteri cedere vult, diuulſa per ſeditionem in A
duas partes ciuitate, in ſuum met ſanguinem, ſuaque viſcera, ferrum conuerterunt. Ceterùm quum altera pars quæ viribus & potentia præualebat, infirmiorem opibus & armis imparem premeret, hæc veteranos ex
RHEGIVM AD HIMERENSIBVS OCCVPATVM. Himera milites in auxilium acciuit: qui pulſis ciuitate contra quos implorati fuerant & mox cæſis & ijs quibus auxilio venerant, vrbem cum coniugibus liberiſque ſociorum occupauére: inde proſperis aduerſum finitimos expeditionibus vſi, aſsiduis incrementis Rhegium auxére; nouiſque inſtitutis & legibus ornauére. atque ita in tantam breui excreuit reſpublica Rheginorum potentiã, vt Locrẽſibus Epizephyrijs qui Crotonienſium bello premebantur, quinque ciuium ſuorum millia auxilio B
mitterent: qui iuncti cum Locrenſibus, Crotoniatas memorabili ad Sagram amnem prœlio ſuperarunt. Exorto poſtmodum inter Syracuſanos Leontinoſque bello, Rhegini vt pote cognati Leõtinorum, Locren-
RHEGINORVM CVM ATHENIENSIBVS CONTRA SYRACVSANOS RES GESTAE. ſes Syracuſanorum partes ſequebantur: cumque & ab Athenienſibus auxilium impetraſſent Leontini; miſsi ab Athenienſibus cum claſſe Laches & Cherædas, in freto ſe cum Rheginis iunxére; traijcienteſque in Siciliam, deuaſtato hoſtium agro Meſſana per pactionem potiti ſunt. Syracuſani viciſsim accitis Locrẽſibus ſocijs, Meſſanam profecti vrbẽ prodentibus ciuibus recipiunt; & traiecto mox freto (quia aberat Rheginorum claſsis in Siciliam cum Athenienſibus profecta) agrum Rheginum C
ferro incendijſque deuaſtant; Verùm quum Athenienſium claſsis adiunctis ſibi Rheginis in freto occurriſſet, tumultuario prœlio congreſsi, æquo Marte diremti ſunt. pace inde inter Syracuſanos Leontinoſq; facta, auxilijſque domum dimiſsis, quum rurſus Athenienſes a Catanenſibus ad ferendam opem implorati fuiſſent; tantis viribus Siciliam repetiére, vt ipſis etiam in quorum auxilium veniebant formidini eſſent: præteruectique Italiam nec vſquã præterquam a Thurinis accepti, claſſem ante Rhegium in ancoris firmauére; & Rheginos, qui incerti quid Athenienſes molirentur, portas clauſerant ad renouandam ſecum ſocietatem inuitarunt: Rhegini intellectis Athenienſium poſtulatis, relatu-
D
ros ſe ad commune Italorum concilium reſponderunt: nihil enim abſque illorum voluntate decreturos: forum tamen rerum venalium Athenienſibus præbitum; vtque ibi hibernarent permiſſum. eadem Rhegini Syracuſanis & eorum ſocijs præſtitére: atque ita ſe medios inter vtroſque, neutris hoſtes, toto hoc bello geſſére. Rheginis inde aliquamdiu otium fuit: donec Dionyſio ſeniore Syracuſanorum Tyrannidem adepto ar-
RHEGINORVM ADVERSVS DIONYSIVM RES GESTAE. mis eiuſdem penè ad internecionem deleti ſunt. Subegerat Dionyſius euerteratque Naxum & Catanam cognatas Rheginis vrbes: metuentes itaque Rhegini, ne aucta potentia firmatiſque regni opibus idem in ſe moliretur,

A moliretur, præuenire vltrò, & priores arma inferentes Tyrannum lacesse-
re statuunt. Florebat tum maximè res Rhegina auctis diuturna pace
opibus: Syracusanorum quoque exsules, quorum ingens numerus apud
Rheginos versabatur, non mediocrem partibus ipsorum accessionem
fecerant. Spes etiam erat, haud quieturos Syracusanos, vbi primùm
implicatum bello Tyrannum vidissent, quin defectione facta arma in
eum conuerterent. Rhegini igitur traiecto freto Messanensibus per-
suadent, vt secum aduersus Tyrannum arma iungant; coniunctisque co
pijs Rhegini & Messanenses Syracusas ad debellandum Dionysium pro-
ficiscuntur. Sed orta in itinere inter eos discordia, vanum belli appa-
B ratum reddidit. Priores Messanenses auctore Laomedonte, qui nega-
bat Dionysium a quo nullam accepissent iniuriam, bello lacessendum,
quamquam reliquis ducibus frustra renitentibus Messanam rediére: at-
que ita Rhegini a socijs destituti tollerãdo per se bello impares, ipsi quo-
que dimissis copijs domum reuertuntur. Legatis inde ad Dionysium
missis, pacem ab eo petiére; quã Tyrannus dissimulato in præsens odio
facilè concessit: bello namque aduersus Carthaginienses impeditus, a-
micos sibi Rheginos quàm hostes malebat: ne dum ipse arma Carthagi-
nensibus inferret, domi ab illis infestaretur. Liberatus autem bello Car-
thaginiensium, paceque cum illis facta, in Rheginos arma vertit: educta-
C que Syracusis centum triremium classe, Rhegium versus enauigat. Quò
cum multa adhuc nocte inopinantibus Rheginis appulisset, ignem por-
tis ciuitatis statim iniecit; simul & scalas muris admouit. Viso incendio
pauci primò Rheginorum ad restinguendũ concurrére: mox & ipse dux
Eloris audito tumultu accurrit; conspiciensque ciues in extinguendo
incendio occupatos, hortatur vt neglecto ignis periculo, in hostem qui
multis iam locis mœnia scandebat, arma conuerterent. Auctis itaque
ducis sui præsentia animis, omnes ad arcendum mœnibus hostem auer-
tuntur: saxisque in subeuntes deuolutis fractisque scalis scandentes de-
turbant. Dionysius vbi contra ac sperauerat Rheginos fortiter suis ob-
D sistere, multosque suorum militum cæsos & plures vulneratos vidit, re-
ceptui canit: depopulatoque infestissimè agro Rhegino; in Siciliam re-
uertitur. Edocti tanto periculo Rhegini; reliquos Italiæ Græcos ad in-
eundam secum contra Tyrannum societatẽ legationibus fatigant: neq;
enim quieturum Dionysium aiebant, quin quàm primùm Rheginos in
ditionem redegerit, etiam proxima quæque in seruitutem redigere ten-
taret. communibus itaque viribus occurrendum, antequam proxima
longinquaque inuadat. Mouit hæc legatorum oratio Græcos, vt ad
tuendam communem libertatem, fœdus his condicionibus iniretur: vti
quàm primùm aliqua Græcorum per Italiam vrbs incursione aut obsi-

RHEGINO RVM CVM GRAECIS ITALICIS FOEDVS.

dione hoſtium premeretur; reliquæ ſtatim ciuitates pro viribus ſuis o- A
pem ferrent: ſi qua ciuitas ſecus feciſſet; eius præfecti morte plecterentur. Primo itaque vere rurſus in Rheginos fertur cum centum quinquaginta triremium claſſe Dionyſius. Stimulabat eum ſuper antiquũ in hanc vrbem odium recens contumelia ab Rheginis accepta: nam quũ legatos ad eos miſiſſet, qui patricij alicuius filiam, in matrimonium ſibi dari peterent; Rhegini publici lictoris filiam illi miſêre. Milite igitur in terram expoſito, agrum Rheginum ingreſſus, quidquid priore populatione intactum reliquerat, peruaſtat. Vrbes fœderatæ intellecto Rheginorum periculo vti conuenerat, ſexaginta eis triremes auxilio miſêre: in has conſpectas Dionyſius cum quinquaginta delectis triremibus im- B
petum fecit: & fugientes vſque ad litus inſectatus, Rheginis ſociis auxilium ferentibus, ad mille quingentos e ſuis deſiderauit. Ceterùm quum anno ſequenti ad Cauloniam fœderatorum copias magno prœlio fudiſſet; deſtitutos ſociorum præſidio Rheginos inuaſit. Illi quum in tanto diſcrimine ab ſocijs, vtpote victis, nullam exſpectarẽt opem, miſſis ad Tyrannum legatis pacem ſupplices precantur. Pax ijs condicionibus ab Dionyſio data; vt naues traderent; trecenta talenta in ſumtus hoc bello factos perſoluerent; centum inſuper obſides darent. Nihil ab Rheginis recuſatum; pecunia, naueſque traditæ, & dati obſides: ijſque acceptis, Dionyſius ex agro Rhegino copias abduxit. Verùm enimue- C
rò Dionyſius, qui non aliam ob cauſſam pacem cum Rheginis fecerat, quàm vt eos ſub hoc prætextu ſeptuaginta triremium claſſe ſpoliaret, (tot enim ipſi traditæ ab Rheginis fuerant) eosq; ita maritimo nudatos præſidio faciliùs per obſidionẽ famemq; ſibi ſubijcere nouam rurſus belli occaſionẽ in illos quærebat: ſæpiusque in Italiam eundo ac redeundo ægritudinẽ etiã interim ſimulãs quo minus eius mora Rheginis ſuſpecta eſſet, commeatum ſemper ab ijs petebat, redditurũ ſe prima oportunitate pollicitus: idq; eo conſilio, vt ſi dare abnuerẽt; iuſtam belli occaſionẽ habere videretur: ſin autẽ traderent; exhauſtam cõmeatu vrbẽ, faciliùs fame ad deditionẽ compelleret. Benignè primò omnia ab Rheginis præbita: D
donec ſæpius idẽ poſtulans Rheginis ſuſpectus eſſe cœpit; negaruntq; ſe quid vlterius daturos. Occaſio inde Dionyſio iam dudũ fœdus abrũpere geſtienti, accepta: isque reſtitutis ſtatim obſidibus; ciuitatem terra marique circumſidet. Rhegini contra Phytone viro fortiſsimo duce creato, pro aris focisque, & pro libertate deuota morti corpora offerebant; nihil ab Dionyſio ad occupandam per vim vrbem, nihil contra ab opidanis ad eam tuendam omiſſum: multi Siculorum in oppugnatione cæſi; nec ipſe Dionyſius a periculo immunis fuit dum quodam die ſuos in oppugnatione vrbis acerrimè hortantem quidam ex Rheginis haſta

PAX INTER RHEGINOS ET DIONYSIVM.

RHEGIVM A DIONYSIO OBSESSVM.

circa

A circa fœmur vulnerauit:ita vt cunctis regis periculo, territis, oppugnatio omitteretur; & Dionysius desperata vrbis per vim expugnatione; fame eam subigere cogitaret. Rhegini quum in vndecimum vsque mensem pertulissent, eò iam inopiæ deuenerant; vt absumtis omnibus alimentis, non equis, non canibus alijsque etiam dictu fœdis abstinerent. Postremò & lora, detractasque scutis pelles, postquam feruida mollissent aqua, mandebant: egressique vrbem, herbas radicesque sub muro nascentes pecudum modo depascebantur: quod vbi Dionysius intellexit quidquid circa vrbem herbarum radicumque esset, euelli & abijci iussit: vt corruptæ putrefactæque herbæ vsui inutiles essent. Ipsa iam morte gra-
B uiora mala Rhegini patiebantur: extrema itaque necessitate coacti, vrbē Tyranno, cum libera in omnes quod vellet statuendi potestate dedunt. Dionysius vrbem ingressus, strata passim per vias cadauera eorum quos fames absumserat conspexit; luridaque & pallentia, fame superstitum ora; vmbrarum potiùs quàm hominum speciem præ se ferentia; nulla tamen commiseratione in tanta Rheginorum calamitate motus, collectis omnibus qui ferro & fami superfuerant, Syracusas eos transmisit: omnesque qui se talento redimere poterant, incolumes dimisit: reliquos sub corona vendidit. Phytonem Rheginorum imperatorem viuum in potestatem redactum, filio eius in itinere in pelagus coniecto, ipsum
C quoque omnibus ante ludibrijs, tormentisque quæ pati corpus poterat vexatum mari mersit. Euertit deinde Rhegium Dionysius; mansitque aliquamdiu vrbs absque habitatore inculta desertaque; donec Dionysius Iunior euersam a patre vrbem restaurans, Phæbiam appelauit; ciuibusque qui ex clade euersæ vrbis superfuerant, incolendam dedit. Ceterùm pulso ab Syracusanis auxilio Dionis Dionysio, ipsoque Dione postea insidijs Calippi Athenienſis occiso, Calippus dum ad Catanam occupandam proficiscitur, Syracusas interim amisit: diuque posthæc cū ijs quas habebat copijs per Siciliā vagatus, quum nusquam reciperetur, traiecto freto Rhegium pulso Dionysij præsidio occupat, vbi quum præ
D inopia stipendia militibus persoluere nequiret, ab Polyperchonte & Leptine, eodem quo ipse Dionem occiderat pugione interficitur. Post eius cædem Rhegini libertatem recuperarunt. Quinque Timoleontem a Corinthijs ad restituendam Syracusanis Siculis quæ vniuersis libertatem missum, non longè abesse intellexissent, missis ad eum legatis, vltro eius societatem amplexi sunt: venientemque cum decem triremibus intra portum recepêre. Verumenimuerò cum & Pœnorum legati cum viginti triremibus in fretum veniſſent, missi a Carthaginiēsibus vt Timoleonti persuaderent, vt dimisso milite Corinthio; Icetis se partibus iungeret: sin autem id facere recusaret, a transitu freti eum arcerent; man-

RHEGIVM DIONYSIO DEDITVM.

RHEGIVM EVERSVM.

RHEGIVM INSTAVRATVM PHAEBIA APPELLATA EST.

RHEGIVM A CALIPPO OCCVPATVM.

TIMOLEON A RHEGINIS RECEPTVS.

datis Carthaginienſium Timoleonti expoſitis, benignè in ſpeciem au- A
diti ſunt: adiuuantibusque dolum Rheginis, Timoleon dum legati Pœ-
norum eum in concione exſpectãt, clam ad portum profectus in altum
enauigat; incolumisque Tauromenium appulit. Mortuo autem Ti-
moleonte, diſcordia diſſenſióque inter Rheginos Syracuſanósque orta,
in apertum demum bellum prorupit. Profligatos Rheginos & in vr-
bem compulſos Syracuſani circumſedére: quibus in hac neceſsitate con-
ſtitutis inſperatum affulſit auxilium. Agathocles enim, qui poſtea Syra-
cuſanorum Tyrannide potitus eſt; pulſus tum fortè in exſilium a popu-
lo Syracuſano Soſtrati calumniis in eum irritato, vt priuatam calamita-
AGATHOCLES RHEGINOS OBSIDIONE LIBERAT. tem publica clade vlciſceretur; collectis exſulibus Syracuſanis, quorum B
ingens per Italiam multitudo verſabatur, in Syracuſanos, qui Rhegium
obſidebant mouit: ijsque ſuperatis profligatisque vrbem obſidione li-
berauit. Tranquillæ poſthæc Rheginis res vſque ad Pyrrhi in Italiam
aduentum fuére: cuius arma ſimul & Carthaginienſium mari dominan-
tium potentiam veriti; præſidium militare ab Romanis petiére. miſſa
PRAESIDIVM RO. A RHEGINIS RECEPTVM. itaque a Romanis legio cum Tribuno militum D. Iubellio, primùm in-
tegra fide cum ciuibus vrbem tutabantur: poſtea vrbis opulentia corru-
pti, ciuibus per ſummum ſcelus interfectis vrbem cum coniugibus libe-
RHEGINORVM FOEDVS CVM MAMERTINIS. risque interfectorum occupauére: fœdus inde & ſocietatẽ cum Mamer-
tinis, qui pari ſcelere interfectis ciuibus Meſſanam inuaſerant, iniuére; C
multáſque in Sicilia vrbes, vectigal Mamertinis pendere coëgerunt. Ro-
mani etſi tam fœdam miſerorum ciuium cædem grauiſsimè ferrent, im-
pediti tamẽ graui Pyrrhi Tarentinorúmq; bello, vltionem in aliud tem-
pus differre cogebantur. Mortuo interim Iubellio duce milites qui
Rhegium occupauerant, M. Cæſium ſcribam in eius locum Imperato-
rem creauére. Interea ſuperato fugatóque ex Italia Pyrrho, Populus Ro.
C. Genucio Clepſinæ Conſuli vindictam in ſceleratos milites manda-
RHEGIVM A GENVCIO CONSVLE CAPTVM. uit. Profectus Rhegium Conſul, vrbe poſt diuturnam obſidionem per
vim potitus, redactos in poteſtatẽ milites Romam miſit: quos ſtatim Se-
natus, reclamãtibus fruſtra Tribunis plebis, ſecuri in foro percuti impera D
uit: & interfectorũ mortem lugeri, corporáq; ſepulturæ mandari vetuit.
Rheginis vrbs cũ agro ex decreto Senatus reſtituta ſunt, ciuéſque immu-
RHEGINORVM ERGA PO. RO. FIDES. nitate donati. Egregia dehinc bello Punico ſecundo, Rheginorum fi-
des in Romanis fuit; tentatíque ſæpius Pœnorum armis, ad finem vſque
belli conſtantes in fide & amicitia Romanorum ſoli ferè eius regionis
perſtitére. Nouam deinde Rheginorum vrbs calamitatem, paullò an-
RHEGINI BELLO CIVILI CAESARIS PARTES SEQVVTI. tè bellum Marſicum ſenſit. maxima eius parte terræmotu proſtrata.
Bello quod Cæſar Octauianus contra ſex. Pompeium geſsit, Rhegini
Cæſaris arma ſequuti, ab eodem ex earum vrbium numero exemti ſunt,

quæ

A quæ poſt bellum Philippenſe veteranis in victoriæ præmium aſsignatæ erant. Debellato poſtea Pompeio, Cæſar, exhauſtam deſertámque magna ex parte vrbem conſpiciens, colonos in eam ex claſsiarijs ſuis trāſcripſit: eisque incultas vrbis partes incolendas tradidit. Municipium quoque fuiſſe Rhegium, antiquæ marmorum inſcriptiones teſtantur. Floruiſſe apud Rheginos viros inſignes non paucos traditur; quorum tamē abſumptis temporum iniuria auctorum monumentis nomina quoque interciderunt: paucos tamē ex ijs quorum memoria ſupereſt, referemus. Ibycus Rheginis Sami apud Polycratem Tyrannum vixit; is primus Sambucam inuenit genus triangulæ citharæ. ſcripſit Dorica lingua hi-

RHEGIVM COLONIA ET MVNICIPIVM.

IBYCVS RHEGINVS.

B ſtoriam libris ſeptem. Is in ſolitudine ab latronibus comprehenſus & iam occidendus, ſuperuolantes fortè grues conſpiciens: ſuæ cædis quandoque vltrices fore dixit: atque ita interfectus eſt. Spectantibus inde fortè ludos in Theatro latronibus, rurſus grues ſuperuolauére; quos vnus ex latronibus conſpicatus, aſsiſtenti ſocio in aurem dixit; ecce Ibyci vindices; intellectum id fortè ab vno qui proximus adſtabat; reque ad magiſtratus delata, comprehenſi latrones, faſsique cædem pœnas dederunt. Fuit & alter Ibycus Poëta comicus, vt AElianus teſtatur. Pythagoras quoque Rheginis ſtatuarum ſculptor eximius, multis egregijs operibus claritatem adeptus eſt: præcipue inter eius opera celebrabatur teſte Pli-

C nio, Pancratiaſtis ſtatua Delphis poſita.

ΖΕΦΥΡΙΕΩΝ.

QVAMVIS Geographi plura huius nominis promontoria, opida, & inſulas diuerſis in locis enumerarent; nos tamē affinitatem, quā hoc numiſma cum Locrenſium numiſmatibus, habebat, ſequuti, idem eorum nummis præpoſuimus. primùm, quòd Strabo Locrenſes Zephyrium promontorium, antequam in eum locum, vbi poſtmodum vrbs fuit, ſedes transferrent, incoluiſſe ſcribat. dein quòd huius

ZEPHYRIVM PROMONTORIVM.

D nummi, quem exhibemus, partis auerſæ ora vetuſtate attrita inſcriptionem ΛΟΚΡΩΝ habere veriſimiliter potuerit. Euſtathius certè Dionyſij interpres eadem figura, qua Thraces Boream vocant Iſmarum, Zephyrum etiam ventum Locrum à Locrenſibus vocari, ipſósq; Locrenſes nunc Locros Epizephyrios, modo Zephyrios Locros nominari, tradit. Plinius, Strabo, Ptolemæus, alij Zephyrium opidum, cuius numiſma cum hac inſcriptione ΖΕΦΥΡΩΤΩΝ habemus ad promontorium Carambin in Ponto Euxino collocant, eiuſdémque nominis vrbem in Cilicia fuiſſe aſſeuerant. quin & Plinius libro ſecundo Zephyriam inſulam, quæ ex aduerſo Halicarnaſsi Caxum regiæ iacuerit, quæque poſte-

ZEPHYRVS.

ZEPHYRII LOCRI.

rius

rius cum continenti iuncta fuerit, ibidem memorat: Zephyren quoque A
insulam inter Sammonium Cretæ promontorium, & Carpathum insulam, item Melon insulam prius Zephyram apellari cõsueuisse, prodit. Pomponius Mela Zephyrium opidum agnoscit in Creta.

ΛΟΚΡΩΝ.

LOCRI Locrensium Ozolarum Colonia.

LOCRORVM ORIGO.

VARIANT in tradenda huius vrbis origine auctores: quidam a Locris Opontijs deductam tradunt: alij ab Locris qui Crissæum B
habitabant sinum; in Italiam Euanthæ ductore profectos, incoluisse primò Zephyrium promontorium; deinde post quadriennium opem ferentibus Syracusanis eò vrbem transtulisse, quo loco postea permansit: Locrósque Epizephyrios appellatos produnt. Sita vrbs erat in tumulo cui Esopis nomen erat; vna sui parte mare, altera agros respiciens; duabus arcibus portúque insigni ornata. Extra mœnia templum Proserpinæ erat, multis donarijs opulentum, vtpote quod miraculis ac religione sanctum credebatur. Deæ effigies cum teda in numismatibus inter cetera repræsentatur. Ager vrbis ob soli asperitatem cultu difficilis. Locrensium fines ab Rheginis diuidebat Alex amnis per vallem profun C
dam labens; insignis miraculo cicadarum, quæ cum in Locrensium ripa admodum sint vocales & canoræ, in aduersa Rheginensium ripa obmutescunt: atque hinc Locrenses cicadæ symbolo in numismatibus frequentius vsos apud quosdam inuenio: quorum tamen nullum ad manus meas peruenit. Ostentabatur quoque apud Locrenses Eunomi citharædi statua, quæ cicadam citharæ insidentem habebat: quòd in certamine quod illi cum Aristone Rhegino de artis præstantia fuerat, rupta chordarum vna, cicada fortè superuolans adstiterat, quæ supplementum vocis faceret. Vnde victor hoc certamine Eunomus hanc statuam in patria posuit. Locrensium rempublicam Zaleucus optimis legibus in- D
stitutisque firmauit. sanxit primò vt capitale illi esset, qui merum quamuis æger absque medici consilio bibisset. Iuniores senioribus via cedere, & venientibus assurgere voluit. Mulierem plusquam vna ancilla comite prodire in publicum; vel noctu domo egredi vetuit. viris annulorum omnique splendida vestis vsu interdixit. Decreuit etiam vt deprehensus in adulterio vtroque oculo multaretur. Euenit fortè vt Zaleuci filius in adulterio deprehenderetur; omnibúsque filio in gratiam patris crimen condonantibus, Zaleucus ne primus ipse suamet instituta transgredi videretur, occasionémque inde alijs dissoluēdæ in posterum legis

LOCRI EPIZEPHYRII.

TEMPLVM PROSERPINAE LOCRIS.

ZALEVCI LEGES.

A legis præberet; vti beneficio ciuium noluit: néue adoleſcentem omni luminum vſu orbaret, vnum ſibi oculum, alterum filio erui iuſsit. ita nec oblitus paternæ in filium caritatis, ſimul legi a ſe latæ ſatisfecit. His tam ſanctis inſtitutis, diu floruit Locrenſium reſpublica, laudémque præ ceteris tum virtute bellica, tum inſigni in hoſpites benignitate Locrenſes tulére. Primùm illis bellum (quod equidem ex illorum qui ad manus meas peruenére monumentis, deprehendere potui) cum Anaxila Rheginorũ Tyranno fuit: a quo ſuperati, penitus quoque deleti fuiſſent; ni is, nimis Hieronis Diomenis filij Syracuſanorum Tyrãni (ad cuius opes ſupplices Locrenſes confugerant) deterritus, a Locrenſibus vlterius laceſ
B ſendis deſtitiſſet. Bellauére inde cum Athenienſibus, qui arma Syracuſanis intulerant: quo bello Athenienſes, leuibus ſæpè prœlijs fudêre; & Meſſanam quæ ſe in Athenienſium poteſtatem pactione dediderat, per dolum receperunt: Leontinos alioſque Athenienſium ſocios eruptione facta prœlio ſuperarunt. Memorabile præ ceteris bellum fuit, quod contra Crotoniatas geſſére; qui opibus & potentia inter Italiæ Græcos præpollebant: quo bello metuentes Crotoniatarum in agrum ſuum irruptiones, theſauros Proſerpinæ (cuius, vti iam diximus, extra mœnia tẽplum erat) in vrbem transferre conſtituerant; vix manus admouerant, quum audita ex delubro vox, vlterius mouere vetuit; Deam ſua tem-
C pla defenſuram. Religio inde Locrenſibus incuſſa: quare circumducere muro templum, vt tutius ab hoſtium iniuria eſſet, cæpêre. vix paululùm in altitudinem murus excreuerat, quum ſubita ruina collapſus eſt. quod vbi vidêre Locrenſes muniendi cúram abiecére. Verum enimuerò quum non ignorarent, ſe ad tollerandum per ſe bellum, Crotoniatarum viribus impares, miſsis ad Lacedæmonios legatis ſupplices opem precantur: illi tam longinquam ab domo militiam aſpernati auxilium a Caſtore & Polluce petere iubent: nec illi ſociæ vrbis conſilium ſpreuére, profectiſque ſtatim in proximum templum facto ritè ſacrificio, quum perlitaſſent, haud ſecus quam ſi Deos itineris comites habituri eſſent,
D puluinaria ijs in naui componunt; confectaque proſperè nauigatione, ſolatia ſuis pro auxilijs reportant. Quumque & Crotoniatæ miſsis ad Apollinem Delphicum legatis reſponſum accepiſſent, votis prius quam armis vincendos hoſtes: decimas omnium rerum Apollini ſacrarunt. Locrenſes cognito Dei reſponſo & voto hoſtium, nonas ipſi vouére. tacitamque rem ne votis vincerentur, habuére. Acceptis inde a Rheginis decem millium auxilijs, conſcriptiſque ſuorum ciuium decem millibus, in Crotonienſes qui caſtra ad Sagram Lucaniæ amnem poſuerant, mouerunt. Vbi in conſpectum mutuum copiæ venére; proceſſumque vtrinque in aciem, Locrenſes animaduerſa hoſtium multitudine,

LOCRORVM ADVERSVS CROTONIATAS RES GESTAS.

qui ad centum triginta millia in armis habebant, desperata victoria in A
destinatam mortem ruunt: id solum enitẽtes vt quàm maximè cruentam hosti victoriam relinquerent. Ceterùm dum strennuè mori quærunt, felicius vicerunt. Traditum memoriæ est, quamdiu Locrenses pugnauére, aquilam eorum aciem circumuolitasse; nec ante recessisse, quã vicissent. Apparuisse quoque ferunt, binos iuuenes insigni forma, armatos pro Locrensibus pugnantes; eosdemque repẽtè euanuisse, postquam fusi hostes essent. Vnde Castorem & Pollucem fuisse creditum: addidit huic opinioni fidẽ famæ velocitas; quia eodem quo pugnatum est die, victoria Athenis, Lacedæmone & Corinthi vulgata est. Locrenses in memoriam victoriæ, geminas Castori & Polluci aras ad Sagræ flu- B
uij ripas erexére: tum & nummum quoque signarunt, in quo Castoris & Pollucis capita exprimuntur. Strabo tradit ad Sagræ fluminis ripam eo loco quo Locrenses Crotoniatas vicére, templum ab ipsis Castori & Polluci sumtuosissimum fuisse exædificatum, quod sua etiamnum æta te exstabat. Credi potest & Aquilam in plerisque Locrensium nummis spectari, ob conspectam vti diximus supra aciem cum pugnaretur aquilam. Florentibus post hanc victoriam Locrensium rebus, Dionysius senior operæprecium ducens, & proprijs rebus constabiliẽdis opportunum, societatem quoquo modo cum tam potenti populo inire, missis ad Locrenses legatis patricij alicuius filiam in matrimonium sibi C
dari petiit. renuebant multi filias Tyranno in matrimonium tradere: sed vicit patriæ vtilitas, & imminẽs ex Tyranno periculum, si preces eius abnuissent. Post diutinam igitur consultationem, Dorida Xenæti inter ciues opibus potentiaque principis filiam, vxorem illi dandam decernunt: eam in Siciliam venientem obuius Dionysius humaniter accepit; & in vxorem duxit. Insignis illius posthæc amor in Locrensium rempublicam fuit; nec illos donis ac officijs quoad superfuit colere destitit. vnde factum vt Locrensium vrbs ex Dionysij benignitate ac munificentia plurimum incrementi acciperet; agro Cauloniate inter cetera Locrensium ditioni ab illo attributo. Mortuo autem patri Dionysius filius succedens, quum propter libidinem & crudelitatem Syracusanis intollerabilis esset, conspiratione facta eiectus ad Locrenses venit. A quibus, vtpote nihil sibi a Dionysio tam priuata quã publica necessitudine iuncto mali metuentibus, in vrbẽ recipitur. Sed ille quasi iure potiùs dominationis, quàm ciuiũ beneuolentia & in exsulem misericordia intra vrbem receptus esset, arcem Locrensium inopinatò occupat: mox in omne flagitij & libidinis genus præceps, abductas a viris vxores constuprat; virgines per vim ablatas postquam stuprasset sponsis restituit. tum locupletissimis quibusque ciuium ciuitate pulsis vel interfectis, bona eorun-

LOCRENSIVM CVM DIONYSIO FOEDVS ET AFFINITAS.

DIONYSIVS IVNIOR A LOCRENSIBVS RECEPTVS. D

A naeorundem ſibi vendicat. Nec his contentus vniuerſos ferè callido commento circumuenit. Vouerant Locrenſes quum grauiſsimo Leophronis Rheginenſium Tyranni bello premerentur, ſi victores forent, die Veneris feſto ſe virgines ſuas proſtituturos. hoc voto neglecto, quum aduerſa aliquoties fortuna rem cum Lucanis geſsiſſent, Dionyſius vocatis in cõcionem ciuibus, id eis ob iram Deorum euenire docuit; quod votum perſoluere neglexiſſent. perſuaſis itaque Locrenſibus, vt vxores virgineſq; ſuas quàm ornatiſsimè ſumtuoſiſsmeq; cultas in templum Veneris mitterent; centumque ex ijs ſorte ductæ voto publico functuræ, ſalua tamen pudicitia, ac religionis tantùm gratia ad tempus
B vno in lupanari proſtarent, immiſſo milite omnes ſuis ornamẽtis mundoque pretioſiſsimo ſpoliauit; maritis etiam quarundam, qui de iniuria conqueri auſi fuerant iugulatis: vti latius ſupra in ipſius Dionyſij hiſtoria memorauimus. Sexennium iam Locrenſes inſolentiã ac libidinem Dionyſij pertulerant, cum profecto ad repetendũ regnum Syracuſanum Tyranno vna cum filio maiore Apollocrate, ad recuperãdam libertatem conſpirant: occupataque arce filiæ ſimul duæ, filiuſque Dionyſij impubes capiuntur: quumque nec prece nec precio ſemel atque iterum rogando, imò ne Tarentinis quidem interceſſoribus vt liberi ſibi reſtituerentur impetrare poſſet, ira atque indignitate percitus, atque ad vim con
C uerſus Locrenſium agros ferro ignique peruaſtat. Hinc Locrenſes noua ſuper antiquum odium iniuria propter agrorum vaſtationem accenſi, iram vindictamque in Tyranni liberos effudére: filiaſque eius omnibus ſuper quàm humana fert patientia tormentis prius excruciatas, fædeque conſtupratas, ſtrangulant: laceratiſque inhumaniter corporibus, oſſa etiam in mortarijs contuſa, ne quid ad ſepulturam ſupereſſet, in mari diſperſerunt. Variante inde fortuna cum Bruttijs Lucaniſque infeſtis nomini Græco gentibus bellauére; modo victores, mox victi: donec Romanorum creſcente potentia eorum ſocietatem amplecterentur. Cererùm iniqua illorum temporum conditio haud diuturnam
D Locrenſibus quietem conceſsit; orto namque inter Romanos Tarentinoſque bello, cum Pyrrhus Epirotarum rex a Tarentinis in auxilium excitus, in Italiam traieciſſet, infenſus Locrenſibus quod fidem erga Romanos conſtanter colerent, aſsiduis agrorum vaſtationibus alijſque belli cladibus vires eorum atterebat. Inde & Proſerpinæ quod diximus templum ſpoliare auſus, pecuniaque in naues impoſita terreſtri ipſe itinere proficiſcebatur. Ceterùm prouecta in altum claſsis, ſtatim fædiſſima tempeſtate lacerata diſiectaque eſt: & naues quæ ſacram Deæ pecuniam vehebant in litus Locrenſium eiectæ. qua clade deterritus rex, pecuniam ſacram vndique conquiſitam in theſauros Proſerpinæ referri

LOCRENSES LIBERTATEM RECVPERANT.

LOCRENSES ROMANORVM FOEDERATI.

iuſsit. Luiſſe tamen poſtea ſacrilegij pœnam turpi & Italia fuga, & in- A
felici intra Argos morte exiſtimatur. Poſt Pyrrhi ex Italia diſceſſum Locrenſibus aliquādiu otium fuit: donec bello inter Pœnos Romanoſque orto, Pœni duce Hannibale tranſcenſis Alpibus in Italiam irrupére: Romanoſque ad Ticinum, Trebiam ac Traſimenum amnes, deinde maximo & ad Cannas prœlio fudére. ita vt multæ Italiæ vrbes hactenus Romanis fidiſsimæ, rebus aduerſis Romanorum perculſæ, ad Pœnos deficerent. Igitur Hanno vnus ex Pœnorum præfectis, ducibus adiutoribuſque Bruttijs, qui primi a Romanis deſciuerant vſus, Græcas vrbes, quæ Romanam tuebantur ſocietatem, adortus, poſtquam Rhegium per dies aliquot nequicquam tentaſſet; ducto in Locros exercitu, caſtra lo- B
co editiore locat; vnde tam ipſe a Locrenſibus conſpici, quàm vrbem ipſorum atque agros oculis ſubijcere poſſet. Ibi Bruttiorum cohortem ſubire muros & principes Locrenſium euocare ad colloquium iubet, qui Hannibalis amicitiam, ſi vrbem traderent, pollicerentur. Bruttijs primò fides habita non eſt: ſed poſtea quàm Pœnus in collibus apparuit, orta in vrbe diſſenſione, quidam ad Hannonem perfugientes, nunciant reliquam quoque multitudinem haud difficulter in poteſtatem eſſe venturam: conuocata itaque concione, dum leuiſsimus quiſque ad nouam ſocietatem inclinat; alij autem quorum propinqui in hoſtium poteſtate erant, quaſi obſidibus datis animos Pœnis obnoxios haberent, reliqui C
quibus bonum publicum curæ erat, quod pauciores eſſent, nihil contra auderent, communi in ſpeciem conſenſu vrbis deditio facta eſt: L. Atilio Regulo præſidij Romani præfecto nauibus clam datis prius dimiſſo, ac Rhegium cum ſuis peruecto, atque ita Amilcar & Pœni ea condicione intra vrbem admiſsi ſunt, vt fœdus æquis legibus fieret. Locrenſibus poſtea iuſſu Hannibalis pax data conſeſſumque vt liberi ſuis legibus inſtitutiſque fruerentur; vtque vrbs cum portu in Locrenſium poteſtate eſſet: additum & hoc in condicionibus fœderis, vt Pœnus Locrēſem, Locrenſis Pœnum bello & pace iuuaret. Poſtea quum & Croton in Pœnorum poteſtatem peruenisſet; Locrenſes permiſſu Hannibalis Croto- D
niatas cum vxoribus & liberis in vrbem accepére. Cognita Locrenſium defectione, quum Cincius claſsis Romanæ præfectus, vrbem operibus omnique genere tormentorum acriter quidem ſed fruſtra oppugnaſſet, ſoluta ſcilicet per aduentum Hannibalis obſidione; poſtea captæ a Q. Pleminio proprætore vna ex duabus arcibus, quæ in vrbe erāt, opera & proditione fabrorum quorundam, qui in arce habitare, opuſque in eadem facere ſoliti, in numero captiuorum Locrēſium Rhegium ad Romanos adducti fuerant; P. Cornelius Scipio Conſul qui in Sicilia Meſſanæ erat; poſtquam intellexit Hannibalem ipſum cum reliquo exercitu

LOCRI POENIS SE DEDVNT.

PAX INTER LOCRENSES ET POENOS.

ſuis

A ſuis qui in alteram arcem capta priore ſe receperãt, ſubſidio properare; a Meſſana ſoluens in Locros venit: ſuiſque e naui expoſitis vrbem ingreſſus eſt. Hannibal autem vbi Scipionem adeſſe ſenſit accepta recenti ſuorum clade ducentis e ſuis a Scipione cæſis, monitis ijs qui in arce erãt vt ſibi conſulerent, caſtra mouit: Pœni itaque qui arcem hactenus tutati fuerant, igne tectis iniecto atque arce relicta, agmen ſuorum inſequuti ſunt: atque ita Scipio arce vacua ſimul etiam caſtris hoſtium deſertis potitus, ſtatim Locrenſes in concionem vocatos grauiter ob defectionem increpauit: ſumtoque de auctoribus ſupplicio, bona eorum alterius factionis principibus ob egregiam illorum in Romanos fidem donauit: B publicè Locrenſibus nihil conceſsit; nec ademit: cæterum vti legatos ſuper ea re Romam mitterent imperauit; eam habituri condicionẽ, quam populus Ro. daturus eſſet: relictoque ad præſidium vrbis Pleminio Meſſanam vnde venerat traiecit. Verùm poſt Scipionis diſceſſum, ea fuit tum ipſius Pleminij præfecti tum militum præſidiariorum incontinentia & crudelitas, vt, dum nullum iniuriarum, nullum libidinis exẽplum in opidanos, liberos coniugẽſque ipſorum ab ipſo duce aut militibus prætermittitur; Amilcarem & Pœnos auaritia & crudelitate longo interuallo ſuperarent; violatis ſpoliatiſque præter alia fana, etiam intactis hactenus præterquam a ſolo Pyrrho Proſerpinæ theſauris: ſed ſicuti Pyrrhus magno piaculo fœdóque naufragio, vt ſupra retulimus, id ſacrilegium luit: ita nec Romani idem impunè tulerunt: actis veluti in furorem omnibus qui ſe ea templi violatione contaminarant; ita vt dux in ducem, miles in militem hoſtili rabie in mutuam ſeſe perniciem armarent; orta primum propter poculum argenteum, quod Pleminij miles ex opidani cuiuſdam domo rapuerat, inter Pleminianos, atque aliorum tribunorum milites contentione, poſtremò etiam acri pugna & concertatione, ita vt animis infeſtiſsimis veluti hoſtes multo cum ſanguine in ſe dimicarent. ne ipſis quidem ducibus, hinc Pleminio legato, illinc Sergio & Matieno tribunis militum ab ea ſeditione liberis & intactis; dum D ſuorum quiſque cauſſæ ſtudet impotentius: & Pleminius tribunos tamquam ſeditionis auctores & fautores virgis cædi iubet: tribuni vero milites ſuos aduerſus legatum in vltionem concitant. ita vt Pleminius naſo auribuſque mutilatus atque aliàs peſsimè multatus tantùm non pro exanimi relinqueretur. Hinc Scipio a Locrenſium optimatibus in legatum a Meſſana accitus quam primum aduenit: ac cognita cauſſa Pleminium abſolutum Locris in præſidio relinquit; Tribunos fontes iudicatos & in vincula coniectos ad cauſſam dicendam Romam mittit: deinde in Siciliam reuertitur. Sed Pleminius dolore vulnerum atque indignatione accẽſus, dum cauſſam ſuam iniuriamque ſibi illatam leuiter

LOCRI A ROMANIS RECEPTI.

a Scipione æſtimatam ſibi perſuadet, Tribunos ex itinere retractos, omnibus prius tormentis laceratos demum interfici inſepultoſque abijci imperat: nec minore crudelitate in Locrenſium principes vſus eſt, quos Scipioni de ſe conqueſtos eſſe intellexerat. Locrenſes cum Pleminij ſcelera diutius perferre non poſſent; decem legatos Romam miſére qui Senatum de omnibus certiorē redderent. Hi habitu miſerabili, ſordibus ſqualoréque obſiti proſtratique ante Tribunal Conſulum, cum adeundi Senatus, ærumnaſque ſuas apud eundem deplorandi poteſtatem a Conſulibus impetraſſent; expoſitis prolixa ac flebili oratione Pleminij ſæuitia, auaritia reliquiſque ſceleribus, omnigeniſque tum ipſi legati, tum Tribunorum, Centurionum ac militum in ſuam ciuitatem iniurijs ac contumelijs, & in ceteris ſacræ pecuniæ e Proſerpinæ templo direptione, legati decem cùm M. Pomponio Prætore Siciliæ, ex decreto Senatus Locros miſsi ſunt, qui Locrenſium rempublicam ad Senatus arbitrium componerent; Pleminium alioſque ſontes damnatos Romam mitterent. Profecti cum legatis duo Tribuni plebis & AEdilis pecuniam duplicatam e damnatorum bonis in Theſauris Proſerpinæ repoſuerunt: & ſacrum piaculare ex decreto Pontificum fecerunt. Tum Prætor milites in concionem vocatos ſigna extra vrbem efferre iubet graui edicto comminatus, ſi quis miles in vrbe remanſiſſet, aut ſecum quid extuliſſet quod ſuum non eſſet. Locrenſibus permiſſum, vt quod ſuum quiſque cognoſceret; prehenderet: ſi quid non compareret, repeteret. Conuocatis inde Locrenſibus, Senatum, Populumque Romanum ipſis libertatem legéſque ſuas reſtituere dixit: atque ita Senatus Populique Ro. beneficio Locrenſes ea calamitate liberati ſunt. Ceterùm quis deinceps ſtatus Locrenſium fuerit; aut quo modo vrbs ipſorum deleta ſit, nobis non conſtat. Viros aliquot claros hanc vrbem protuliſſe inuenio: & in primis Ageſidamum Archeſtrati filium, in quem hymnum Pindarus fecit, qui pugilatu pueros vicit. Euthymum quoque Locrenſem patre Aſticlo natum, qui ob inſignem fortitudinem Cæcini amnis filius exiſtimatus eſt. Victoria potitus Olympiade quarta & ſeptuageſima: duabus deinceps inſequentibus Olympiadibus, nempè quinta & ſexta ſupra ſeptuageſimam palma donatus; quem quum Italiam redijſſet, cum ſpectro quodam congreſſum tradit Pauſanias. Ceterùm Liuius Locros modo in Bruttijs recenſet; mox in Magna Græcia numerat. Ptolemæus Zephyrium promontorium initium Magnæ Græciæ ponit; & Locros quibus cognomētum Zephyrijs ab eodem promōtorio, ſextante partis occidentaliores. Locrorum namque longitudinem XL. partium cum deunce latitudinem XXXVIII. partium cum quincunce facit. Locris Zephyrijs proximè ſubiecimus multorum auctoritatem ſequuti Mamer-

LOCRENSIVM RESPVBLICA A ROMANIS CONSTITVTA.

A Mamertinos; quorum opidum Mamertium in Bruttios fuiſſe nobile, nec procul a Locris Strabo & Euſtathius teſtantur.

MAMEPTINΩN.

MAMERTINI.

MAmertinis nomen a Mamerte, (ita enim Oſcorum linguâ Martem appellabant) factum fuiſſe inuenio, ſiue ob gentis illius in rebus gerendis fortitudinem, ſeu ob armorum peritiam, ſiue quod originem ab eodem Deo repeterent. quod præter veterum auctoritatem
B numiſmata etiam ipſorum Mamertinorum teſtari videntur: in quibus Martis ſimulachrum vultu geſtuque vario ſæpius apparet, Mamertinos certè ſummo ſtudio Martem & armorum vſum excoluiſſe etiam priſcorum monumenta teſtantur. In ſexto numiſmate Martis caput, & lineamentis & nomine Græco expreſſum eſt. cui vti videtur, Piceæ arboris fructus a ceruice adſignatus eſt: ſiluam namque fuiſſe piciferam apud Mamertum, & picem Bruttiam ad vaſa vinaria picanda præcipuè commendatam fuiſſe veteres memoriæ prodiderunt. Hanc opinionem Plinius confirmat, qui Piceam nucamẽtum ſquammatim compactum ferre, quale ferè hîc exprimitur, ſcribit; panniculis quàm abietis minori-
C bus gracilioribuſque, nucleos minimos eſſe ac nigros; atque propterea eam a Græcis Phtirophoron vocari. Ceterùm vt Mamertinorum res geſtæ nulla memoria ad noſtram ætatem vſque propagatæ ſunt; ita eoſdem ſub Agathoclis in Africa auſpicijs multa fortiter & ſtrẽnuè geſsiſſe, ex Polybio ceteriſque auctoribus proditum memoriæ obſeruauimus: eoſque quum vnà cum Agathocle in Siciliam reuerſi eſſent, Meſſanam in hiberna & præſidio vrbis contra Pœnos receptos, eãdem prauo nouoque exemplo oppreſsis ciuibus occupaſſe, ſibique ciuium fortunas & agros eiectis poſſeſſoribus vindicaſſe. Adhæc & contra Pyrrhum regem multa fortiter & cum gloria geſſerunt; donec grauiſsima clade ab Hie-
D rone fracti, quidam ad Pœnorum alij ad Romanorum partes inclinarent. Carthaginienſes auxilium miſerunt; quod vt a Mamertinis receptum fuiſſe Romæ nunciatum fuit, Romani metuentes ne Pœni ea opportunitate vſi totam Siciliam occuparent; Mamertinis opem petentibus ferendam eſſe decreuerunt: atque ea ratione primi belli Punici occaſio a Mamertinis (vt latius in rebus Meſſanenſium expoſuimus) orta & oblata fuit. atque iſta quidem paucis propoſuimus, vt prudenti lectori, examinandum relinqueremus, num hæc quæ exhibemus, numiſmata ad Mamertinos Siculos an Bruttios potius pertinere arbitrabitur. Ceterùm vltra Sagræ fluminis oſtia Caulon mons aliàs Aulon dictus ſeſe attollebat;

MAMERTINI MESSANAM OCCVPANT.

attollebat; in cuius vertice Caulonia siue Aulonia vrbs sita erat: de qua A
iam scripturi sumus.

ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ.

CAVLONIA Achiuorum Colonia.

CAVLONIA CONDITA.

CAVLONIAM ab Achæis duce Typhone AEginensi conditam auctor est Pausanias libro sexto: eam non procul ab Sagra fluuio abfuisse inuenio; & prius Auloniam siue Valloniam ab frequentia conuallium fuisse denominatam; nomen inde mutatum & Cauloniam ab B
Caulone monte in quo sita erat, appellatam. Eum montem vino fuisse fertilem testatur Horatius in odis. Ceterùm quum Cauloniatæ inito cum Crotoniatis & Sybaritis fœdere, Ioui Homorio templum publicè constituissent, vbi de summa rerum in commune consuli posset; leges quoque & instituta Achæorum, vt ex multis vnam rempublicam efficerent, acceperunt. Verùm enimuerò tam præclaro incepto fortuna defuit: frequentibus namque barbarorum incursionibus (qui summo studio Græcorum concordiam impediebant) & postremò Dionysij Senioris Syracusanorum Tyranni bello vexati, eam rem omittere coacti sunt. Dionysius enim summa imperij cupiditate ardens, quasi angu- C
stis Siciliæ terminis clauderetur, bellum Græcis Italiam incolentibus

CAVLONIA A DIONYSIO OBSESSA.

inferens, Cauloniam obsidione cinxerat: id vbi ab reliquis Græcis intellectum est, totis viribus ad commune incendium restinguendum ab his concurritur; delecta ad commune gentis concilium Crotone vrbe: & conuenientibus eò fœderatorum copijs, exercitus in Dionysium qui Cauloniam per id tempus summa vi oppugnabat, educitur. Dionysius vbi hostium aduẽtum intellexit, relicta obsidione instructo agmine occurrit. Græci qui nihil minus quàm hostiũ Dionysij aduentũ exspectabant, quum ipsi dispersо & disiecto passim agmine venientes, in Dionysianos paratos & ad pugnam instructos repentè incidissent, primo in- D
cursu funduntur: dux ipsorum Eloris cum paucis fortissimè pugnans

CAVLONIA DIONYSIO DEDITA ET EVERSA.

occubuit. Dionysius cum fusis hostibus rursus Cauloniam circumsideret, Cauloniatæ desperatis rebus se suaque in Tyranni potestatem dedunt. Is vrbe euersa ciuibusque Syracusas traductis, agrum Locrensibus donauit. Ceterùm Dionysius Iunior vrbem ab patre euersam

CAVLONIA RESTITVTA.

restituit, nouisque ciuibus incolendam tradidit. Varia inde fortuna vrbs iactata in Bruttiorum tandem ius ditionemque peruenit. Ceterùm quum Bruttij Tarentinorum partes aduersus Romanos fouerent, Campani (quorum potissimum auxilijs res Romana tum nitebatur)

Caulo-

A Cauloniam quæ Bruttiorum erat, circumſeſſam & in poteſtatem redactam euerterunt. Eam rurſus ab Romanis reſtitutam fuiſſe vel ex hoc patet, quòd bello Punico ſecundo ad Pœnos Hannibalemque, vt omnis penè Græcorum ora, defecerit. Eam perfidiam vlturus Q. Fabius Maximus ſimul & vt a Tarento quam oppugnare parabat, Pœnum diſtineret, præfectum præſidij quod ab Valerio Læuino Conſule aduerſus incurſiones Bruttiorum Rhegij locatum erat, cum octo millibus hominum, quos ſub ſe habebat & Bruttiorum perfugis agrũ Bruttiorum depopulari, inde Cauloniam oppugnare iubet. Direptis itaque fugatiſque cultoribus agri, quum vrbs ſumma vi oppugnaretur, Hannibal qui
B tum ad Cannuſium erat, intellecto ſociæ vrbis periculo Cauloniam ducit: ſub cuius aduentum Cauloniæ oppugnatores, ne opprimerentur, in tumulum editiorem ceterum omnium rerum inopem, ſe recepére. quo loco cum Hannibal vallo foſſaque cinctos obſediſſet, ſiti tandem ac fame ad deditionem coëgit. Cauloniatæ Hannibalis auxilio eo periculo liberati, poſt eius tandem ex Italia diſceſſum, ab Romanis in perfidiæ vltionem ad internecionem deleti ſunt: adeò vti Strabo teſtis ſit ſua ætate Cauloniæ præter ruinas nihil fuiſſe reliqui. Plinius quoque refert, Cauloniæ ruinas haud procul ab Locris etiam ſua ætate ſuperfuiſſe.

CAVLONIA SECVNDO EVERSA A CAMPANIS.

CAVLONIATAE A ROMANIS DELETI.

Cauloniatarum quæcumque in manus noſtras incidére numiſmata ad-
C uerſa parte Iouis imberbis effigiem exprimunt; auerſæ partes ceruũ cum dictamo herba referunt. Cretenſes ijs potiſsimùm inſignijs in numiſmatibus vſos proditum memoriæ inuenio; ob Iouis in Creta educationem, vnde veriſimile videri poſſet, Cretenſes primò Cauloniam incoluiſſe; eoſque demum ab Achæis fuiſſe expulſos.

KAPKINIΩN.

CARCINIOS Cauloniatis ſubiecimus non tam vlla veterum auctoritate inſtructi, quam ſymbolorum quæ in vtriuſque gentis
D numiſmatibus exprimuntur affinitate moniti: quo enim Magnæ Græciæ loco Carcinij fuerint, nobis adhuc, incompertum eſt. Aliquando in ea opinione fuimus, Carcinios Carcino promontorio populos vicinos fuiſſe. Ceterùm quamuis Ptolemæum eius nominis auctorem nonnulli laudent; in Græcis tamen exemplaribus (quæ quidem ad manus noſtras peruenerũt) illud deprehẽdere non potuimus. ſuſpicati itaque ſumus, ab aliquo qui deprauato Plinij codice vſus fuerit, in quo pro Cocintho Carcinum perperam irrepſerit, (vt ex Polybij lectione Hermolaus conuincit) Carcini quoque nomen in Ptolemæo ſubſtitutum fuiſſe. Nam & itinerarium quod ſub Antonij nomine circumfertur, a

CARCINII.

Cocintho, quod esse longissimũ Italiæ promontoriũ aliqui existimant, A viginti duo millia passuũ numerat. Quia autẽ numismata aurea & argentea quæ hîc repræsentauimus, manifestè Carcinios edunt; eos aliquo locorũ fuisse, etiam si nihil cõperti habeamus, certum est: nisi alteram lectionem Plinij tenendã esse putabimus, quæ Carcinium opidum Petiliæ vicinũ facit: pro quo Hermolaus Cæcinũ ex Philisto reponit: & ad eiusdem opinionẽ facere videtur, quod Cæcinus flumen (vnde opido vicino nomen factũ fuisse verisimile sit) idẽ Plinius in Locris Italiæ fronte enumeret. fecimus itaq; quod potuimus; in re enim nobis incõperta aliorũ opinionẽ proposuimus, vt qui ab antiquitatis copia instructiores essent, nobis quoq; hac in parte benignam conferre operã dignarentur. Neque B

CARACENI. enim ad hunc locum facere puto Caracenos, quos Ptolemæus Pelignis vicinos constituit. Ceterùm quia post Cocinthum promontorium sinus Scyllatius in occasum sese insinuare incipit, ita vt hîc Italiæ totius Isthmum Hipponiati aduersum & quàm arctissimum, vt in Hipponio exposuimus, faciat; postulat ordo vt de Scyllatio opido in intimo sinus recessu sito, vnde sinus ille nomen accepit, scibamus.

ΣΚΥΛΛΑΤΙΩΝ.

SCYLLATIVM COLONIA ATHENIENSIVM. SCYLLATIVM itaque Athenienſium Coloniam fuisse & ab Athe- C nienſibus qui Mneſtheo comites fuére conditum Strabo refert, & Plinius testatur. Sinui nomen Scyllatio ob similitudinem Scyllæ scopuli qui Charybdi aduersus est, factum fuisse Seruius opinatur: nobis videtur vrbi nomen a conditoribus ex ipsorum consensu fuisse impositum; a qua sinui nomen Scyllacio, vt ab Hipponio Hipponiati factum sit. Ceterùm quia hîc inter duos sinus, cetuix Italiæ angustissima vix xx. passuum millibus in ortum brumalem extensa est, eam Dionysius maior eo loco interciſam, Italiæ auferre, & Siciliæ adijcere voluisse Plinius scriptum reliquit. Alijs placet, Dionysium nisi eũndem aliæ curæ ab eo impetu reuocassent, in animo habuisse Isthmum illum a reli- D qua Italia muro dirimere, prætexens ea ratione futurum, vt Lucanorum Bruttiorumque excursiones arcerentur: revera autem, vt saniores coniecturabant, vt eo consilio Græcarum vrbium commercia & necessitudines disiungeret; earumque vires dissociatas faciliùs perfringeret. Ceterùm vt fatum fortunaque Scyllatiorum nobis vnà cum antiquitatis ipsius memoria perijt: ita & vnicum tantũ quod hîc expressimus, Scyllatiorum numisma in manus nostras peruenit. Verùm nec hoc satis

SCYLLATIVM COLONIA ROMANA. constat, quando & qua ratione in populi Ro. potestatem venerit, apud Velleium scriptum esse obseruo; proximo post C. Cassij Longini & C. Sextij

A Sextij Caluini conſulatum anno, Scyllacium, Tarentum, Carthaginemque colonias deductas fuiſſe. eodē namque anno multas a C. Sempronio Graccho colonias deductas accepimus: ſiquidem ita in Liuij Epitomis ſcriptum exſtat. C. Gracchus Tribunus pl. continuato in alterum annum tribunatu, legibus Agrarijs effecit, vt complures coloniæ in Italia deducerētur; & vna in ſolo dirutæ Carthaginis; quò idem Triumuir creatus, coloniam deduxit. Inuenio tamen in Plutarchi & Appiani hiſtorijs, Gracchum in ſecundo Tribunatu de duabus tantùm colonijs deducendis, Capua & Tarento tuliſſe. M. Liuium Druſum Gracchi collegam, ex S. C. legem de duodecim coloniarum deductione & tribus
B millibus in ſingulas adſcribendis, pertuliſſe. Cicero verò auctor eſt, Gracchos agrum Campanum attingere nō fuiſſe auſos: quæ ideò adſcripſimus, vt prudenti hac in re lectori iudicium acueremus; vt expenderet, num Scyllacium, Tarentum & reliquæ de quibus iam diximus coloniæ, Gracchi an Druſi lege deductæ ſint; quum ipſe etiam Velleius ea de re ambiguum ſe eſſe profiteatur. Scyllacij ſitum, longitudine Ptolemæus quadraginta partium cum dodrante; latitudinem triginta octo cum dodrante ponit. Scyllacij autem ſinus extremum promontorium quod Lacinium vocatur, dodrante partis orientalius extendit. Erat in eo nobile Iunonis Laciniæ templum, quod a Crotone ſex paſ-
C ſuum millibus (vt Liuius prodit) diſtabat: ſanctum omnibus circa populis: lucus ibi olim frequenti ſilua & proceris arboribus abietibus potiſsimum ſeptus læta in medio paſcua habuit, vbi pecus omne genus Deæ ſacrum ſine vllo paſtore aut cuſtode paſcebatur. ſeparatimque egreſsi cuiuſuis generis greges noctu ad ſtabula reuertebantur; numquam inſidijs ferarum, non fraude hominum violati. magni ex eo pecore fructus capiebantur: adeò vt columna ex ijs, auro ſolida confecta, eodemque in templo ſacrata fuerit. Fama eſt aram in veſtibulo templi ſub dio fuiſſe, cuius cinerem nullus vnquam mouerit ventus; quod Plinius & Liuius memoriæ prodiderunt. Seruius ex veterum auctoritate refert,
D Lacinium quendam, quem latrocinijs agrum infeſtantem Hercules ibidem occiderit, hoc nominis promontorio feciſſe; expiatoque loco templum Iunoni ſub Laciniæ cognomento erexiſſe dedicaſſeque: quod in Crotoniatarum numiſmatibus expreſſum videri poteſt: in quibus Iunonis caput aduerſa; auerſa Hercules cum ſympuuio ſedens ſpectatur. Addit Liuius, Hannibalem propter Iunonis Laciniæ templum aram condidiſſe, dedicaſſeque cum ingenti rerum ab ſe geſtarum titulo Punicis Græciſque literis inſculpto; detexiſſe hanc ædem Q. Fuluium Flaccum Cenſorem, vt ijſdē tegulis (nam marmoreæ erant) Fortunæ æqueſtris ædem quam bello Cantabrico vouerat, tegeret; ceterùm S. C. pro-

LACINIVM PROMONTORIVM.

IVNONIS LACINIAE TEMPLVM.

hibitum: tenuitque fama eũdem post Censuram minus sui compotem fuisse, ob spoliatum Iunonis templũ laqueoque sibi gulam fregisse, sed iam ad Crotonem transeamus. A

ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ.

Croton Achæorum Colonia.

CROTON ACHAEORVM COLONIA.

CROton vrbs est salubritate cæli commendata, & victoribus in certaminis Olympicis clara, ab Achæis duce Myscello ex Apollinis oraculo condita est. Myscellus enim locum vrbi condendæ idoneum quæsiturus in Italiam profectus, quum conspexisset Sybarim iam paullò antè cõditam fertilitate agri locis vicinis antecellere, in Græciam reuersus est: Apollinemque consuluit, num hanc vrbem occupare, aut Crotonem condere præstaret. Aderat eodem tempore Delphis & Archias Corinthius, Apollinem vti & Myscellus, de Colonia deducenda consulturus. Quum igitur his Deus optionem proposuisset, vtrum mallent eligerent; diuitias an sanitatem? sanitatem Myscellus, Archias diuitias elegit: & vterque voto suo potitus est. nam vt diuitijs opulentiaque Syracusæ quas Archias condidit; ita Croto salubritate aëris omnibus in ea regione vrbibus præstitit. Reuersus igitur in Italiam cum Archia Myscellus; Crotonem vrbem ad AEsarum Neæthumque amnes adiuuante opus Archia condidit: nomen vrbi auctores a Crotone heroe Herculis hospite, cuius eo loci sepulchrum exstabat, factum affirmant. Refertur a quibusdam Herculem ad hunc fortè locum cum bobus quos superato Geryone abegerat venisse; exceptumque hospitio a Crotone, quum eum per ignorantiam interemisset; diuulgasse vrbem quæ defuncti nomine vocaretur eo loci olim conditam iri. verisimilem hanc opinionem facit numismatum auctoritas; quæ Herculem claua & exuuijs leonis armatum, nonnumquam & serpentes in cunis elidentis effigiem exprimunt. In plerisque & Iunonis caput spectatur: fortè ob Iunonis Laciniæ templum, cuius celebris toto orbe fama erat, & sex tantum millibus passuum ab Crotone distabat; de quo supra a nobis dictũ est. Condita autem vrbs est, Olympiadis decimæ septimæ anno tertio: breuique salubritate aëris incolarumque frequentia in tantum aucta est, vt principem facilè locum inter vicinas vrbes obtineret: Olympicis quoque victorijs præ ceteris nobilitata: adeò vt prouerbio iactaretur, postremum Crotoniatarum primum reliquorum Græcorum esse. Traditur namque vno eodemque tempore, septẽ Crotoniatas palmam ex Olympijs retulisse. Portum habebat nauigantibus admodum opportunum; B C D

CROTON VRBS CONDITA.

A portunum; validis insuper munita mœnibus, quæ duodecim passuum millia ambitu suo complectebantur: mediam vrbem AEsarus amnis interluebat. Erat & arx arduas inter rupes sita, cuius pars vna mare, reliqua agros respiciebat. hæc prius naturali tantum situ vti videbatur inexpugnabilis, postea & muro cincta est, quà per auersas rupes a Dionysio per dolum capta fuerat. Crotoniatæ principio originis suæ, fœdere cum Sybaritis, Metapontinisque inito, reliquos Græcos Italia pellere statuerant: quumque in ea expeditione Sirim vrbem cepissent, ac iuuenes quinquaginta Mineruæ simulachrum amplexos, & sacerdotem Deæ sacris velatum ornamentis inter ipsas aras trucidassent; atque hinc
B ex ira vti credebatur, Deorum, peste intestinisque seditionibus laborarent; Crotoniatæ Delphos ad Apollinis oraculum consulendum ante alios profecti, responsum retulerunt, finem mali fore, si offensum Mineruæ numen, & interfectorum manes placassent. itaque quum statuas iuuenibus iustæ magnitudinis, & imprimis Mineruæ fabricare cœpissent, Metapontini quoque cognito oraculo modica iuuenibus simulachra quamprimum posuerunt: Deam vero panificijs placarunt: ita sedata est vtrobique pestis, cum alteri magnificentia, velocitate alteri certassent. Haud diuturna tamen Crotoniatis posthæc quies fuit; grauissimo inter eos & Sybaritas bello exorto: cuius caussa & origo variè ab
C auctoribus refertur: ab his ob cæsos a Sybaritis Crotoniatarum legatos, ab alijs ob receptos a Crotoniatis Sybaritarum exsules; idque in hunc ferè modum. Quum florerent opibus & potentia Sybaritæ, superbia insolētiaque ob nimiam felicitatem elati; ad hæc adulationibus Telys ciuis primarij, qui per id tempus summum apud eos magistratum gerebat corrupti, optimum quemque ciuium morte aut exsilio multarunt: qui expulsi fuerant, ad Crotoniatas confugientes supplices ad aras consederant: eos cum missis legatis dedi sibi postulassent Sybaritæ, negarūt Crotoniatæ se supplices suos prodituros. Quod vbi ad Sybaritas relatum est, bellum Crotoniatis indixerunt; conscriptoque ad trecento-
D rum millium exercitu, copias in agrum hostilem eduxerunt: illi nihil consternati hostilis exercitus multitudine, cum centum millibus armatorum Milone pugile duce obuiam procedunt. commisso prœlio Milonis præ ceteris virtus enituit. Multa de hoc viro scriptores memoriæ prodiderunt: fortitudinem illi corporis insignem, animi robur inuictum fuisse: sexies in certamine Olympico victorem, eo potissimum die tam hostes quàm ciues in sui admirationem conuertisse: quum ad imitationem Herculis claua & leonis pelle armatus omnibus qui secum manus contulissent cæsis, oppositam sibi aciem perrupisset ac fugam vertisset. Stratagemate quoque vsos eo prœlio Crotoniatas ferunt; nam

BELLVM INTER CROTONIATAS ET SYBARITAS.

MILO CROTONIATES.

quum non ignorarent Sybaritarum equos ad tibiæ modos ſaltationem edoctos; frequentes ſecum tibicines in aciem eduxiſſe; quibus modulationem exorſis Sybaritarũ equos excuſsis equitibus ſaltare cœpiſſe; conturbatamque ſuorum aciem hoſti facilè profligãdam præbuiſſe. Fuſis hoſtibus quum Crotoniatæ neminem viuũ capi vellent, tanta ſtrages eſt edita, vt pauciſsimi ex tanto numero effugerẽt. inſequuti inde fugientes inſtructo exercitu Crotoniatæ, Sybarim poſt ſexageſimũ a pugna diem in poteſtatem redactam; deriuato in eam fluuio locoque obruto euerterunt: ſolẽni execratione in eos addita qui vnquam eam reſtaurare tentarent. Poſt eam victoriam quum in delicias laſciuiamq; verſi, neglectis patrijs inſtitutis, eos quos vicerant Sybaritas imitarentur: & certamen Olympicum cõſtituto eodẽ tempore apud ſe certamine, in quo victori pecunia præmium eſſet, diſſoluere tentaſſent: magna breui mutatio in deterius eos conſequuta eſt. Indignati enim auxilium à Locrẽſibus contra ſe Sybaritis hoſtibus latum; bellum & his indixerunt: eductiſque in aciem centum & triginta armatorum millibus, aduerſus quindecim tantum millia, quæ Locrenſes etiam adiunctis Rheginorum auxilijs ſub ſignis habebant, cõmiſſo infelici ad Sagram Lucaniæ amnẽ prœlio, a Locrenſibus non ſine multa cæde ſuperati ſunt. Creditum eſt Caſtorem & Pollucem pro Locrenſibus aduerſus Crotoniatas equis albis inſidentes depugnaſſe: eorum potiſsimùm auxilio victoriam eſſe partam: pugnãtibus Locrenſibus aquilã ſemper ipſorum acie circumuolitaſse; vti hæc in Locrenſium hiſtoria latiùs proſequuti ſumus. Afflixit plurimùm huius cladis calamitas res Crotoniatarũ; ita vt multæ vrbis partes abſq; cultore deſertæ manerent: ademptiſque ſibi a Bruttijs Terina ipſorum colonia, alijſque inſuper ſuæ ditionis opidis, ægrè admodum aduerſus Bruttiorum inſultus vrbem ſuam tutari poterant. depoſitaque poſthæc omni armorum exercitationiſque cura, degeneraſsent prorſus a maiorum diſciplina, ni Pythagoras Philoſophus, qui tum fortè apud eos agebat, labantes animos ſecordiamque & luxuriam amplectentes, ad virtutis ſtudium aſsiduis adhortationibus reduxiſset: factumque inde eſt, vt multi poſtea præcipui nominis in Philoſophia viri apud Crotonienſes floruerint. Sunt qui tradant ex Græcis Italicis ſolos Crotoniatas auxilium Græcis cõtra Xerxem tuliſse; miſsa triremi inſtructiſsima, cui Phayllum qui ter Pythico certamine victor fuerat, præfecerant. Verùm Crotoniatas vix lõgo otio ex prioris belli clade reſpirare incipiẽtes, Dionyſius ſenior Syracuſanorum Tyrannus, bello premere aggreſsus eſt. Ceterùm Crotoniatæ inito cum reliquis in Italia Græcis fœdere, & receptis in vrbem ſuam exſulibus Syracuſanis, qui incertis paſsim per Italiam ſedibus vagabantur, commune ſociorum conciliũ indicunt: conſcriptoque

SYBARIS A CROTONIATIS EVERSA.

PROELIVM INTER LOCRENSES ET CROTONIATAS.

A ſcriptoque viginti quinque peditum & duorum millium equitum exercitu Elorim exſulem Syracuſanum mutuis odijs Dionyſio inuiſum infenſumque his copijs præficiunt. Is ſtatim vti imperium accepit, raptim in Dionyſium qui tum Cauloniam circumſidebat, profectus, ſocios obſidione liberaturus, dum ipſe cum delectis agmen præcedit reliquis ex interuallo ſubſequentibus improuiſus in Dionyſium, qui relicta obſidione cum inſtructo exercitu contra Crotoniatas veniebat, incidit: cuius inopinato aduentu oppreſsus, antequam reliqui auxilio ipſi accurrere poſsent, cum delectorum cohorte cæſus eſt. Dionyſius facto mox in exercitum duce orbatum impetu, conſternatos in fugam agit: quum-
B que in tumulum aquarum indigum confugiſsent, ſiti coacti ſe dediderunt: quibus præter omnium exſpectationem abſque vllo pretio dimiſſis, ad obſidionem Cauloniæ reuerſus, eandem deditione in poteſtatem receptam euertit: ciuibuſque Syracuſas tranſmigrare iuſsis, agrum Locrenſibus donauit. Rhegio inde per obſidionem potitus rurſus in Crotoniatas arma vertit: vrbemque arctiſsimè circumſedit. Sed ciuibus pro aris & focis fortiſsimè dimicantibus, irrito aliquamdiu labore tempus triuit, donec per dolum arce potitus, ciues terrore ad pacis conditiones accipiendas compulit. Poſt Dionyſij mortem cum rurſus in libertatem ſe aſſeruiſſent Crotoniatæ, Bruttijs aſsiduo bello ipſos pre-
C mentibus, auxilium Syracuſanorum, qui poſt Dionyſij Iunioris exſilium, ac mortem Dionis iam in libertate agebant, ſupplices imploraruntNec difficiles ad ferendam opem Syracuſanos nacti, auxiliares ab illis copias ducibus Atandro & Soſiſtrato accepêre: quibus in vrbem acceptis, prœlio cum Bruttijs qui vrbem circumſidebant congreſsi, ijſdemque profligatis obſidione liberati ſunt. Soſiſtratus ex ducibus Syracuſanorum vnus, inuidia incenſus in Agathoclem, qui poſtea Tyrannidem inuaſit, tum verò Tribunatū apud Syracuſanos gerebat, eundum tribunatu mouit: hinc indignatus Agathocles, ad hoſtes deficiens, Crotonem per inſidias capere conatus eſt: perfeciſſetque rem, ni illi præmo-
D niti irritum eius inceptum reddidiſſent. ita parum abfuit quin ducum diſcordia Crotoniatæ in hoſtium poteſtatem peruenirent. Facta poſthæc cum Bruttijs pace, quum aliquamdiu quieuiſſent, rurſus exſulum ſuorum inſidijs, qui ex Thurijs vbi exſulabant per noctem egreſsi durantibus adhuc tenebris vrbem inuaſerant, pænè oppreſsi ſunt. Ceterùm orta luce conſpectaque hoſtium paucitate, ciues reſumtis animis exſules inuaſerunt, omneſque ad vnum interemêre. Bello poſtea inter Tarentinos & Romanos orto, quum accerſitus a Tarentinis in auxilium Pyrrhus in Italiã veniſſet; Crotoniatæ qui partiũ Tarentinarum erant, aſsiduis eo bello cladibus ita exhauſti fuêre; vt dimidia ſui parte

CROTONIATARVM CVM DIONYSIO RES GESTAE.

CROTON A BRVTTIIS OBSESSA.

vrbs

vrbs habitatore nuda permanſerit; ita coarctata vt fluuius qui prius me- A
diam perlabebatur vrbem, iam extra muros procul ab ijs quæ habita-
buntur locis flueret: ciuiumq; promiſcuæ ætatis viginti millia capitum
nec amplius cenſerentur. Verùm enimuerò reſpirare aliquantulum
vrbs, ſub Romanorum tutela cœperat: quum rurſus nouam bello Pu-
nico ſecundo vaſtitatem ſenſit. Defecerat ad Pœnos Bruttius Lucanuſ-
que infidus ſemper ſocius, & cum fortuna fidem mutare aſſuetus. grau-
iter Romanum laborabat imperium tot cladibus ad Trebiam Thraſi-
menumque, deinde ad Cannas affectum: vſurus ea occaſione Bruttius,
CROTON A BRVTTIIS LIBERVM OBSESSA. memor veteris recentiſque in Crotonienſes ſimultatis, pactus prius cum
Hannibale vt Croto receptus Bruttiorum eſſet; quindecim millibus ar B
matorum e ſua iuuentute conſcriptis, Crotonem circumſedit. haud ſa-
tis inter ſe conueniebant Crotoniatæ; plebe rem ad Pœnos trahente;
optimatibus in fide Romanorum permanendum eſſe contendentibus.
Bruttij ea diſſenſione indicio perfugæ cuiuſdam intellecta, præterea Ari-
ſtomachum inter plebeios principem vrbis tradēdæ auctorem fore; de-
nique in vaſta vrbe diſiectiſque latè mœnibus in plebeiorum atque op-
timatum ſtationes ac cuſtodias diuiſa, quacumque plebei cuſtodiant
facilem aditum fore, auctore ac duce perfuga, vrbem corona cingūt: re-
ceptique ſtatim a plebe, omnia loca arce tantum excepta occupant.
Arcem in perfugium ſi quid tale accidiſſet, iam ante a ſe præparatam te- C
nebant optimates, obſeſsi in eadem non a Bruttijs tantum ſed & a plebe
propria. Verùm Bruttij quum arcem ſuis viribus inexpugnabilē cer-
nerent, Hannonis Pœnorum ducis opem implorant. Is condicionibus
rem componere, & Crotoniatis ſuadere conatus, vt ad frequentandam
nouis habitatoribus vrbis ſuæ vaſtitatem, Bruttiorum coloniam eò de-
duci paterentur; præter Ariſtomachum (qui & ipſe cum Optimatibus
eò confugerat) neminem mouit; cunctis morituros ſe prius affirmanti-
bus, quàm Bruttijs immiſtos in alienos ritus legeſque, mox & linguam
tranſituros. Ariſtomachus quando nec ſolus ad deditionem perſuade-
re poſſet; nec vti prius vrbis, ita nunc arcis quoque prodendæ viam aut D
rationem ſciret, ad Pœnos transfugit. Haud multò poſt quum Locren-
ſium legati, permiſſu Hannonis arcem intraſſent, obſeſsis perſuadent,
vt Locros ſe traduci quàm extrema experiri mallent: iamque vt hoc li-
CROTONIATAE LOCROS TRANSLATI. ceret ab Hannibale impetrauerant. Ita Crotoniatæ ad mare deducti,
relicta patria cum vxoribus liberiſque Locros habitatum conceſſēre.
Manſit itaque aliquanto tempore ſine habitatore vaſta ac deſerta vrbs;
donec finito bello Punico ciues Crotoniatæ in patriam rediére. Ro-
mani quoque poſtea ad augendam vrbis frequentiam colonos eò per
Triumuiros C. Octauium, L. AEmilium Paullum, & C. Plætorium
deduxe-

A deduxerunt: vrbemque mutato nomine Cortonam appellarunt; quod nomen vrbi ad hæc vsque tempora permansit. Ceterùm antequam a Crotoniatis discedamus, operæpretium me facturum putaui, si prius illustrium aliquot virorum quos hæc vrbs protulit, mentionem facerem. Milo Diotimi filius Crotoniata fuit; qui sex in Olympia palmas ex lucta ademptus est; tantumque corporis robore excelluit, vt Taurum in humeros sublatum in theatrum intulerit. tecto quoque in quo Pythagoras Philosophus fortè differebat, ruinam minante, ipse tam diu id humeris sustinuerit donec omnibus periculo ereptis, ad vltimum seipsum quoque eximeret. Peruncto disco insistentem nemo quantumuis vi-

B ribus prævalens, vestigio mouere poterat. Caput neruo quum cinxisset, compressis labijs contractoque anhelitu, quum sanguine intumuissent arteriæ, neruum rumpebat. Verùm fatalis huic virium suarum fiducia fuit: nam quum fortè per densam siluã iter faceret; & quercum adactis cuneis hiantem conspexisset, insertis in hiatum manibus, totis viribus disrumpere enisus est: sed elapsis primo conatu cuneis, coeuntibusque in priorem compagem arboris lateribus, comprehensis manibus, Milo lupis (quæ frequens in agro Crotoniatarum fera est) prædæ fuit. Democedes quoque medicus clarissimus huic tempori æqualis, Crotone Calliphonte patre natus, cum iracundum patris ingenium

C perferre non posset, clam aufugit. ac Samum profectus magno in honore a Polycratæ Samiorum Tyranno ob artis excellẽtiam habitus est. Ceterùm Polycrate perfidia Orætis Sardorum Satrapæ occiso, diu in vinculis Sardeis detentus, tandem ad Darium Persarum regem adductus, quum crus illius quod fortè intorserat sanasset, multis ab eo muneribus affectus ac in familiarium etiam numerum receptus est. Verùm ardens patriæ desiderio, intentissimis precibus apud Darium obtinuit, vt vnà cum Persis qui ad Græciæ statum explorandum mittebãtur, proficisci posset, reuersurum se pollicitus. Sed naui qua vehebatur Tarentum appulsa, Persæ a Tarentinis pro explorationibus detenti sunt.

D Interim Democedes clam aufugiẽs Crotonem venit: quò quum & Persæ liberi ab Tarentinis dimissi peruenissent, Democedemque per vim tamquam Darij seruum vt secum proficisceretur cogere voluissent; Crotoniatis eum vt ciuem sibi vendicantibus, repulsi ac discedentes Democedem Crotone relinquere coacti sunt: qui ducta in vxorem Milonis filia, reliquum ætatis in patria exegit. Astylus & ipse Crotoniata tres in Olympia palmas cursu adeptus, quum nouissima palma Hieronis Syracusanorum Tyranni muneribus corruptus Syracusanum se proclamari passus esset, indignati Crotoniatæ, perpetuum ei exsilium indixerunt, domumque eiusdem euersam in publici carceris vsum verterunt.

CROTON CORTONA APPELLATA.

MILO CROTONIATA.

DEMOCEDES CROTONIATA, MEDICVS.

ASTYLVS CROTONIATA.

Iſchomachus quoque Crotoniata victor in ſtadio Olympiadæ ſexage- A
ſima octaua proclamatus eſt. Diognetas ſimiliter & Glaucias vterque
Crotoniata hic quadrageſima octaua, ille octaua & quinquageſima O-
lympiade palmam e ſtadio retulére. Crotonem Geographus in lon-
gitudine XLI.s. latitudine XXXIX.s. partibus collocat.

ΣΥΒΑΡΙΤΩΝ.

SYBARIS Achiuorum Colonia.

SYBARIS CONDITA.

SYBARIS vrbs ſoli vbertate & ciuium luxuria mollitieque celebra- B
ta, ab Achiuis duce Iſeliceo condita eſt. Sita erat inter amnes Cra
thim & Sybaridem; quinquaginta in ambitu ſtadia complectens, loco
admodum concauo: hinc ſole in meridie exiſtente ciues æſtu intollera-
bili affligebantur: mane tamen & veſperi ſaluberrima aura refouebantur.

SYBARIS ET CRATHIS FLVMINA.

Equos qui ex Sybari fluuio biberent, ſternutamentis agitari, atque
hinc ab eius potu greges arceri; aquamque eiuſdem fluuij ab homini-
bus potam, fuſcos & criſpo capillo efficere traditur: econtra Crathis bi-
bentibus ex eo armentis hominibuſque albedinem inducit, plurimiſ-
que medetur morbis. Ager vrbis vſque ad miraculũ omnium rerum
fœcunditate exuberans vinum quoque ferebat præſtantiſsimum, quod C
Thurinum poſtea ab Thurio vrbe vocatum fuit. Ceterùm Sybaritæ
breui eò potentiæ felicitatiſque peruenerunt, vt quatuor populorum
imperio potirentur; vrbibusque viginti quinque iura darent: & trecen-
ta ciuium millia qui arma ferre poſſent intra vrbem cenſa fuerint. Ve-
rùm enim uerò in tanta rerum abundãtia nimia quoque fortunæ indul-

SYBARITARVM DELICIAE.

gentia corrupti, totos ſe luxuriæ ignauiæque manciparunt: eò delicia-
rum progreſsi vt mechanicos omnes qui cum ſtrepitu artem exercerent,
ciuitate eijcerent: & ne quid eſſet quod ſomnum illis interrumperet, in-
terdixerint, ne quis gallum gallinaceum in vrbe aleret. & e diuerſo qui-
cumque nouũ aliquod voluptatis genus inueniſſet eos præmijs afficie- D
bant. Equos etiam ad tibiarum modos in conuiuijs ſaltare edocue-
runt: quæ res vt poſtea referemus illis exitio fuit. Hoc quoque tradi-
tur, Sybaritas quo Græcorum in Olympia conuentũ diſſoluerent, cer-
tamen ludicrum eodem tempore quo in Olympijs Græci conueniebãt
etiam in ſua vrbe inſtituiſſe; in quo victori in præmium ingens pecu-
niarum ſumma dabatur. Primùm illis bellum inita cum Crotoniatis
& Metapontinis armorum ſocietate contra reliquos Italiæ Græcos fuit.
in eo bello quũ Sirim vrbẽ de hoſtibus cepiſſent, quinquaginta iuuenes
Miueruæ ſimulacrum amplexos, & Deæ ſacerdotem ante ipſas aras ob-
truncarant.

A truncarant, inde quum vrbem ipſorum ex Deorum, vti credebant, ira grauis peſtilentia inuaſiſſet; Apollo Delphicus de mali remedio conſultus reſpondit, finem mali fore, cum violatum Deorum numen, & cæſorum Manes placaſſent. Obſecuti itaque oraculo Sybaritæ, iuuenibus ſtatuas ex ære poſuerunt: Deos verò ſacrificijs placarunt: vti ſupra retulimus. Exarſit inde grauiſsimum inter ipſos & Crotoniatas bellum; de cuius origine ambigitur apud auctores; cum alij ob cæſos ab Sybaritis Crotoniatarum legatos: alij ob exſules Sybaritarum qui ad Crotoniatas confugerant, nec repetentibus reddebantur, ortum eſſe tradant. Telys erat opibus & potentia inter Sybaritas præcipuus; ſed malis arti-

BELLVM INTER SYBARITAS ET CROTONIATAS.

B bus, humiliter plebi adulando inſeruiendoque, magnas opes nactus: is plebis fauore in multorum perniciem abuſus, criminando optimates plebi ſuſpectos ac inuiſos fecerat; boniſque exſutos in exſilium perpulerat. Hi omnibus fortunis ſpoliati Crotonem confugerant, ſupplicesque ad aras in foro conſtitutas ſe aduoluerant. Telys intellecta eorum fuga, per legatos eos ſibi dedi poſtulat: Verùm Crotoniatis, ſe ſupplices ſuos prodituros negantibus, bellum Crotoniatis indicit: habitoque ciuium delectu cum trecentis armatorum millibus, ex quibus maxima pars equites erant, contra Crotoniatas mouet. Crotoniatæ intellecto hoſtium aduentu, duce Milone pugile cum centum armatorum

C millibus obuiam profecti, vbi primùm manus conſeri cœptæ, tibicines quos in id frequentes ſecum adduxerant, modulationem incipere iuſſerunt. equi Sybaritarum vt tibiarum ſonum audiuerant; excuſsis dominis tripudiare, ſicuti edocti erant, cœperunt: quidam etiam cum ſeſſoribus ad Crotoniatarum aciem transfugerunt. Crotoniatæ itaq; quum in turbatam ab equitatu Sybaritarum aciem, feroci cum impetu ſeſe intuliſſent, conſternatos in fugam auertunt: atque inſiſtentes fugientium veſtigijs, Sybaritas cædunt, ſternuntque paſsim; ita vt pauciſsimi ex tanto numero fugæ beneficio cædem euadentes, intra Sybarim ſeſe reciperent. Crotoniatæ fortiter victoria vſi, ducto ſtatim ad Sybarim

SYBARIS CAPTA A CROTONIATIS ET EVERSA.

D exercitu, vrbem expugnant: deriuatoque in eam amne funditùs euertunt. Elapſis poſt eam calamitatem annis octo & quinquaginta; Theſſali aſſumtis ciuium qui cladi ſuperfuerant reliquijs, vrbem reſtauratam incoluêre: ſed prementibus eos aſsiduo bello Crotoniatis, cum ab agrorum cultu prohiberentur; vrbem poſt quinquennium deſerunt. Itaque iam ſecundum patria eiecti Sybaritæ, legatos in Græciam auxilium oratum mittunt: offerentes ijs quorum ope in patriam reſtituerentur, ſe parte agri ceſſuros. A Spartanis ad quos primùm legati peruenerant, nihil impetratum eſt: Verùm Athenienſes moti querelis Sybaritarum, Lampone & Xenocrito ducibus, decem triremes auxilio Sybaritis miſere.

SYBARIS RESTAVRATA.

ſére. Præcones quoque ab ijs per Peloponeſum miſsi; qui omnibus A
vnà in eam expeditionem profecturis, vrbem agrumque Sybaritarum
communem fore edicerent. Hac ſpe cum multi conueniſſent, ani-
mos etiam fecit Apollinis oraculum: conſultus namque de colonia de-
ducenda, reſponderat; quærendum eſſe locum, vbi aquam cum men-
ſura potarent homines, cibum abſque menſura caperent. In Italiam
itaque nauigantes, & haud procul à Sybari fluuio ad terram appulſi,
quum omnia paſsim ſcrutarentur, ad fontem peruenére, qui latices ex
ærea fiſtula eiaculabatur, quàm accolæ Medimnã vocabant: hinc eum
THVRIVM CONDITVM. eſſe locum quem prædixerat Apollo iudicãtes; vrbem ibidem condunt;
Thuriumque ab fonte appellant. Longitudinem vrbis in quaternas B
partes diuiſerunt; primam Heracleam appellarunt; alteram Aphrodi-
ſiam; tertiam Olympiada; quartam Dionyſiada vocari inſtituunt.
Latitudinem verò in ternas partes diſtinxerunt: nominaque his impo-
nunt, Heroe, Thuriæ, & Thurinæ. viarum interualla exſtructis ædificijs
exornarunt. Ceterùm haud diu concordes inter ſe ciues permanſêre.
Nam quum Sybaritæ vetuſti regionis incolæ, ſummos quoſque magi-
ſtratus atque honores velut iure hereditario ſibi vendicarent, onera au-
tem contributioneſque, abnuerent, eaq; ab nouis tantum ciuibus per-
ſolui vellent: præterea excluſis nouorum ciuium vxoribus, vetuſtæ &
ſuæ duntaxat originis mulieres ad ſacra ceremoniaſque Deorum elige- C
rent; omnique penitus adminiſtratione nouos ciues excluderent, irrita-
ti his iniurijs noui ciues aduerſus vetuſtos inſurgunt: eoſque ad vnum
omnes obtruncant. Sed cum ſublatis è medio Sybaritis latiore iam
potirentur agro, quàm quem commodè colere poſſent; nouos ex Græ-
cia colonos accerſunt: agrumque cum ijs æqua ſorte diuidunt. Inito
inde cũ Crotoniatis fœdere; & forma reipublicæ optimè conſtituta, cum
opes ex agricultura plurimùm auxiſſent; populũ in decẽ tribus diſtinxê-
re: quarum tres primas, quia ex Arcadia venerant, Arcades appellarunt:
totidem alias Bæotiam, Amphyctionida & Dorida: reliquas quatuor Ia-
dem, Athenaidem, Euboidem & Neſiotin. Communi inde ſuffragio D
CHARONDAS THVRIORVM LEGISLATOR. Charondam legiſlatorem creant, virum integritate vitæ & rerũ cogni-
tione inſignem. Hic inſpectis quam diligentiſsimè diuerſarum gentium
legibus inſtitutiſque: optima quæque ex ijs ſelegit; multaque ab ſe in-
uenta illis adiecit. Inter cetera ſtatuit, vt qui liberis ſuis nouercam ſu-
perduxiſſet, omni publico munere prohiberetur. Deinde vt is qui fa-
mam alicuius calumnijs læſiſſet; myrica coronatus per vrbem circum-
duceretur; ſpectaculo cunctis ſimul & exemplo ad præcauendum futu-
rus. Infamibus quoque aut aliquo inſigni flagitio contaminatis, reli-
quorum commercio & conſuetudine interdixit; ne eorum contagione

etiam

A etiam probi corrumperentur. Professoribus litterarum præmia ex publico constituit. Qui in acie ordines aut stationem deseruisset, per vrbem in veste muliebri circumduci, & per triduum in foro omnium oculis & ludibrio exponi voluit. Qui alicui oculum eruisset; aut aliquo membro mutilasset, pari pœna afficiendum sanxit. Interdixit insuper ne quis cum gladio in concionem populi veniret: vtque capitale esset, qui secus fecisset. Ceterùm euenit fortè, vt quum ipse ad subitam hostium incursionem, armatus vrbe exisset; mox audiens in vrbe plebem paucorũ prauitate ad seditionem incitari, immemor se gladio cinctum in concionem properaret; vbi exprobrantibus æmulis suas ipsummet
B infirmare leges: immò sanciam inquit; meo exemplo, statimque inspectantibus omnibus gladio incubuit. Post Charondæ mortem discordia inter ciues de coloniæ nomine orta est: hinc Athenienſibus, inde Peloponesijs, eam sibi auctoritatem vindicantibus: ea controuersia cum humano consilio sopiri non posset, missi qui Apollinem Delphis super hoc consulerent; responsum retulerunt, Apollinem Coloniæ auctorem scribendum: ita sedata contentione ciuitas ad concordiam redijt. Primas tamen in hac colonia partes Athenienses sibi vendicasse videntur; eò quod Thurinorũ numismata omnia Palladis caput galeatum (quod Athenienſium insigne erat) semper aduersa parte exprimant. Multis
C eos quoque bellis Athenienſium partes fouisse inuenio: summamque eorum erga Athenienses fidem fuisse, eo bello, quod Athenienses cum Syracusanis gesserunt. Ceterùm cùm Lucani assidua agrorum vastatione, alijsque belli cladibus Thurinos premerent, Thurini quia impares per se Lucano erant; fœdus cum reliquis Italiæ Græcis inierunt: conscriptisque communi impensa quadraginta millibus peditum, & mille equitibus in agrum Lucanum irrupere; lateque omnia ferro & flamma deuastarunt. Lucani verò vt hoste securiore redderent, metu simulato, Thurinos impunè per agros vagari patiuntur. Thurini itaq; metum qui simulabatur, verum esse rati, dum absq; ordine per agros passim palan-
D tur, Lucani in eos nihil tale timentes ex insidijs repente consurgunt: & priusquam militem ad signa reuocare possent, sternunt fugantque. Ita Thurini accisis rebus suis, pacem ab hoste petere coacti sunt. Inde quum quieuissent aliquamdiu: Bruttiorum iniurijs ad arma compelluntur, delectúque ciuium facto exercitum in Bruttios educunt; Corinthijs interim qui in Siciliam ad Dionysij iunioris Tyrannidem euertendam proficiscebantur, vrbem ipsorum custodientibus. Thurini postquam in agrum hostilem peruenissent, nemine sibi occurrente omnia late ferro flammaque populati, ingenti præda potiti domum regrediuntur. Corinthioſque multis affectos muneribus dimittunt. Eos dein-

BELLVM INTER THVRINOS ET LVCANOS.

THVRIVM A LACEDAEMONIIS OCCVPATVM.

de tranquilla pace perfruentes, noua ex inopinato calamitas afflixit. A Cleonymus enim Lacedæmoniorum rex cum classe ad agrum Thurinum appulsus, ciuibus nihil tale metuẽtibus vrbem inuadit & occupat. Id postquam intellexére Romani, quorũ opes & potentia id tẽporis latè per Italiam patebant, exercitũ ad eijciendos Thurio Lacedæmonios mittunt; vrbemque in potestate suam redactã, ciuibus qui a Lacedæmonijs pulsi fuerant restituunt. Vix respirantem ab ea calamitate vrbẽ, rursus Lucani adoriuntur: multisque affectam cladibus in potestatẽ redigunt. Ceterùm cùm Thurini eo bello quod cum Pyrro Tarentinisque gestum est, ad Romanos defecissent; Lucani accita Bruttiorũ iuuẽtute habitoque acerrimo suorum delectu, cũ ingenti armatorũ agmine ad delẽdam B vrbem cõcurrunt. Romani econtra Fabricio Consule cũ legionibus eò misso, summo studio socios tuentur. Verùm cũ Romani quòd ab hostibus multitudine vincerentur, manũ conserere nõ auderent; iuuenis quidam specie supra humanam, primùm eos pugnam compessendam hortari cœpit: deinde vt tardiores animaduertit, arreptis repentè scalis, per mediam hostium aciem ad castra peruasit: ijsdemque admotis vallum conscendit. Inde ingenti voce viam ad victoriam factam esse clamitans, Romanos ad castra hostium capienda, & Lucanos Bruttiosque ad sua defendenda, traxit: vbi quum dubio aliquamdiu euentu certatum esset, hostes impulsu vmbonis prostratos, capiendos iugulandosque Ro- C manis tradidit. Cæsa eo die viginti millia ex Lucanis Bruttijsque; capta autem quinque millia cum duce vtriusque gentis Statio Statilio. Postero die, cùm Consul inter eos quorum strennua opera vsus fuerat, vallarem coronam ei se seruare dixisset a quo castra hostium primùm occupata fuerant, nemo inuentus est qui præmium peteret; creditum inde Martem fuisse; & in argumentum eius, galea duabus distincta pinnis inuenta est. Thurini ab excidij periculo ab Romanis, vti iam diximus, liberati, accepti beneficij immemores, bello Punico secundo ad Pœnos defecerunt. Occasio defectionis fuit, quod Romani, obsides Thurinorum ob tentatam occultè fugam, securi percusserant: quorum D cognati atque necessarij missis ad Hannonem Magonemque Pœnorum duces litteris, nunciant: si exercitum ad muros admouisset, vrbem se in eius potestatem tradituros. Præerat Thurinis cum modico præsidio M. Atinius, quem proditores facilè ad certamẽ temerè ineundum elici posse existimabant; nõ tam militum quos paucos habebat fiducia, quàm iuuentutis Thurinæ, quos de industria centuriatos, ad tales casus armauerat. Diuisis itaque inter se copijs duces, Pœni agrum Thurinum ingrediuntur: Hanno cum peditum agmine infestis signis ad ipsam vrbem tendit: Mago cum equitatu propinquis collibus tectus, subsistit.

THVRIVM A ROMANIS RECEPTVM.

THVRINI A ROMANIS AD POENOS DEFICIVNT.

A ſtitit. Atinius de peditum duntaxat agmine, per exploratores certior factus, in aciem copias ſuas educit, fraudis inteſtinæ, ſimul & hoſtiliũ inſidiarum ignarus. Pedeſtre prœlium ſegne fuit; paucis Romanis in prima acie pugnantibus; Thurinis autẽ exſpectantibus magis euentum, quàm certamen adiuuantibus. & Pœnorum acies de induſtria pedem referebat, vt ad terga collis ab equite ſuo inſeſsi hoſtem incautum pertraherent. Quo vbi peruentum, coorti repentè equites, inconditam Thurinorum turbam, nec ſatis fido animo vnde pugnabat ſtantem, in fugam extemplò auerterunt. Romani, quamquam circumuentos hinc eques, inde pedes premeret, pugnam aliquamdiu extraxére: poſtremò
B tamen & ipſi terga vertunt, atque vrbem petunt. Ibi proditores conglobati, cùm popularium ſuorum agmen patentibus portis recepiſſent, vbi & Romanos fuſos ad vrbem ferri viderunt, conclamant inſtare Pœnum; permiſtoſque Romanis hoſtes vrbem intraturos, ni properè portas claudant. Ita excluſos Romanos Pœnis ad cædem tradidére. Atinius tamen paucis receptus. Certatum inde ſententijs, cum alij tuendam eſſe vrbem; alij cedendũ fortunæ & vrbem victoribus tradendam cenſerent. Tandem Atinio cum ſuis ad mare & naues deducto, Pœnos intra mœnia recipiunt. Romani cum vrbem poſt Hannibalis ex Italiam fugam recepiſſent, coloniam Latinam per triumuiros A. Manlium, P. AEmilium & L. Apuſtium, eò dèduxére. Ambigitur de hac
C colonia apud auctores: Strabo ſtatim poſt bellum Tarentinũ deductam tradit, Copiaſque vocatam fuiſſe: Liuius autem poſt bellum Punicum; nullamque de nominis mutatione mentionem facit. Grauiſsimam inde vrbs calamitatem bello Spartacino ſenſit. Spartacus, Crixus, & OEnomaus gladiatores, eſtracto Lentuli ludo, cum ſeptuaginta aut amplius eiuſdem fortunæ viris Capua eruperant; ſeruiſque ad vexillum vocatis, quum ſtatim decem eo amplius hominum millia coijſſent; primò Veſuuium montem inſederunt: inde cum maior indies affluueret multitudo, iam ſatis fidens viribus ſuis Spartacus, Thurium in-
D uadit; & vicinos vrbi montes cum maxima copiarum parte caſtris occupat. Miſſus contra eos cum legionibus M. Craſſus fugitiuos agro Thurino expulit; & fugientes aſſequutus Spartacum cum omnibus copijs deleuit. Sed quum fugitiuorum reliquiæ quæ ibi permanſerant, agrum Thurinum incurſionibus vexarent, C. Octauius Auguſti pater, cui ea prouincia extra ſortem ab Senatu commiſſa fuerat, fugitiuos aggreſſus deleuit: Thurinoſque ab ea calamitate liberauit: & filio infanti tum recens nato (qui poſtea Auguſtus appellatus eſt, imperiumque poſt Cæſarem Dictatorem accepit) Thurino nomen indidit: cuius effigiem tali cognomine inſcriptum, ſeſe habuiſſe teſtatur Suetonius Tranquillus in

POENI A THVRINIS IN VRBEM RECEPTI.

THVRIVM COLONIA LATINA.

THVRIVM COPIAE VOCATA.

THVRIVM SPARTACVS OCCVPAT.

lus in eius vita. Bello inde Siculo cum ab Sex. Pompeio circumsidebantur; ab M. Agrippa fugato Pompeio liberati sunt.

ΜΕΤΑΠΟΝΤΙΩΝ.

METAPONTVS Pyliorum Colonia.

METAPONTVS PYLIORVM COLONIA.

QVAMQVAM diuersæ exstent apud antiquos scriptores de huius vrbis origine opiniones; præcipua tamen fama obtinuit, Pylios & Nestorem conditores fuisse. Confirmant insuper de Pelijs opinionem annuæ inferiæ, quæ in Neleidarum memoriam apud Metapontinos celebrabantur. Habebat hæc vrbs theatrum insigne; & forum in quo ara Apollini cognomento Aristeo erecta erat. Eius cognominis originem ab Aristeo Proconesio manasse ferunt: Aristeum namque trecentis ac quadraginta annis postquam euanuisset, apud Metapontinos apparuisse; mandasseque vti Apollini cognomento Aristeo ara & statua in foro erigeretur: ijs mandatis editis rursus è conspectu mortalium sublatum, missi ab Metapontinis qui Apollinem Delphicum super hoc consulerent, responsum acceperunt; vt dicto audientes essent: eo facto feliciorem vrbis statum fore. Inuenio quoque apud Metapontinos templum Iunoni erectum, quod vitigineis columnis sustineretur: sicuti & in vrbe Populonia simulachrum Iouis e vite fuisse testatur Plinius, idque multis æuis incorruptum mansisse. Celebre etiam fuit intra mœnia Mineruæ templum: cuius Deæ numen cũ eo bello quod ipsi cum Sybaritis & Crotoniatis socijs aduersus Græcos Italicos gesserunt, cæde iuuenum & sacerdotis Metapontini violassent; & ob id ex ira Deorum, vti credebatur, pestilentia & sterilitate laborarent; oraculum Delphicum de mali remedio consuluerũt: id calamitatis finem futurum prædixit, si offensum Deæ numen, & cæsorum manes placassent: paruerunt oraculo Metapontini; & iuuenum interfectorum statuas in templo Mineruæ erexerunt; Deamque sacrificijs sibi propiciam reddiderunt: sedataque ad hunc modum pestilentia, cum agrum admodùm fœcundum possiderent; Apollini Delphico messem auream dono miserunt. atque eò forsan haud absurdè referri poterit numisma illud, quod inter Metapontinorum quartum locum obtinet; in quo caput Apollinis ab vna parte, Tripus cum spica ab altera expressa cernuntur. Fertilitatem autem agri Metapontini eadem testãtur numismata; quorum ferè omnium partes auersæ spica triticea vel granis frumentaceis signantur: in quibusdam & Cereris caput spectatur. Quod autem ad numismata attinet, in quibus Palladis caput & Noctua signata sunt, ea ad templum

A plum Mineruæ de quo iam egimus ſpectare videntur: niſi ea in Athenienſium gratiam quorum amicitiam Metapontini ſemper coluerunt, percuſſa credere malis. Trogus teſtatur hoc in templo inſtrumenta fabrilia, quibus Epeus equum illum Ilio fatalem conſtruxiſſet, etiam ſuo ſeculo exſtitiſſe. Ceterùm cum Samnites Metapontum aſſiduis exhauſtam attritamque cladibus euertiſſent; Sybaritæ veriti ne Tarentini eo loco occupato, graues ſibi nimia vicinitate eſſent; colonos ex Achæis cognatis ſuis euocarunt; ijſque locum vacuum incolẽdum dederunt. Ob hæc cum bellum aſsiduum nouis ciuibus cum Tarentinis eſſet, & fortiter ſe Metapontini tuerentur; victi tandẽ auxilio Cleo-
B nymi regis Spartanorum ab Tarentinis, ex eiuſdem Cleonymi imperio ducentas virgines nobiliſsimas pulcherrimaſque obſidum loco dare coacti ſunt. Partes quoque Alexandri Epirotarum regis (qui auunculus Alexandri Magni fuit) ſequuti, oſſa eiuſdem ab hoſtibus cæſi redemta in Epirum ad ſororem Olympiadem vxoremque Cleopatram tranſmiſerunt. Poſthæc cum Metapontus eo bello quod cum Pyrrho & Tarentinis ab Romanis geſtum eſt, in Romanorum poteſtatẽ peruenisſet, ab ijſdem bello Punico ſecundo ad Pœnos Hannibalemque defecit. Mouebat Metapontinos ad defectionem ſuper inſitam Græcorum ingenijs leuitatem, quod Romani obſides ipſorum qui Romæ adſeruabantur, fugam meditantes ſaxo deiecerant: diſsimularunt tamen quid
C in animo haberent Metapontini, donec Romanorum ad Cannas clades, & Tarentinorum ad Pœnos defectio, animos ipſis ad idem audendũ fecit. adiuuit quoque eorum conſilia; quod Romani præſidium Metapontinum ad arcem Tarentinam tuendam euocarunt: itaque poſt præſidij diſceſſum principes ciuitatis miſsis ad Hannibalem legatis, ad Pœnos defecerunt. Ceterùm quum Q. Fabius decepto per fraudem Hannibale. Tarentum recepiſſet; Hannibal quitum Metaponti erat, vt fraudem fraude compenſaret, duos Metapontinos cum litteris principũ eius ciuitatis Tarentum ad Fabium mittit, fidem ab Conſule acce-
D pturos; impunita ijs priora fore, ſi Metapontum ei cum Punico præſidio prodidiſſent. Fabius vera eſſe ratus, quæ per fraudem afferebantur, diem qua Metapontum acceſſurus eſſet conſtituit; litterasque ad principes dedit, quæ ad Hannibalem delatæ ſunt. Ille ſucceſſu fraudis lætus, ſi ne Fabius quidem dolo inuictus fuiſſet; haud procul a Metaponto inſidias ponit. Sed Fabio prius quàm Tarento egrederetur auſpicanti, aues ſemel atque iterum nõ addixerant: hoſtia quoque cæſa Deos conſulenti aruſpex cauendum ab inſidijs & fraude hoſtili prædixerat. Ita quum ad diem conſtitutã non veniſſet, Metapontini vt cunctantem hortarentur iterum ad Fabium miſsi, repentè comprehenſi metu gra-

METAPONTINI A ROMANIS AD POENOS DEFICIVNT

uioris quæſtionis fraudem & inſidias detegunt. Ita Hannibalis Meta- A
pontinorumque fraus eluſa eſt. Verùm cum Hannibal Herdoneam ad
quam Cn. Fuluius Proconſul ſtatiua cum exercitu habebat, nutare in fi-
de comperiſſet; exercitu raptim educto, Fuluium cũ toto exercitu pau-
cis effugientibus oppreſsit. Herdoneam inde ingreſſus occiſis princi-
pibus ciuitatis, reliquam multitudinem ad habitandum Metapontum
traduxit. Qua autem fortuna vrbs deinceps vſa ſit; & quomodo in rui-
nas abierit, incertum nobis eſt. Vrbis huius quanta fuerit potentia, te-
ſtantur clariſsima ampliſsimaque donaria ab ijs Ioui Olympico miſſa.
inter ea fuit ſimulacrum Iouis inſigni ſpecie, quod altera manu fulmen,
altera auem tenebat, capite vernis floribus ornato. Erat & alterum En- B
dymionis ſignum totum ex ebore, veſte aurata. Refertur & in laudi-
bus Metapõtinorum, quod Pythagoram aliquamdiu ciuem habuerint;
quodque is apud eoſdem mortuus ſit; denique quod mortui ipſius ma-
nes non ſecus atque numen venerati, ædes eiuſdem in Templum ipſi di-
catum conuerterint. Celebratur & Hippaſus Metapontinus, philoſo-
phus Pythagoricus. Obſeruo hanc vrbẽ bello Spartacino grauiſsimam
cladem accepiſſe, direptamque a fugitiuis; cetera eius fata nobis in ob-
ſcuro ſunt. Euſtathius auctor eſt, hanc prius Sirim fuiſſe vocatam, de-
inde Metapontum a Metaponto Siſyphi filio. Ptolemæus Metapon-
tum in ſinu Tarentino recenſet ſub longitudine partim quadraginta v- C
nius cum deunce; & longitudine XXXIX. partium cum deunce.

ΣΑΛΑΝΤΙΝΩΝ.

SALEN-TINI. POST Metapontum Ptolemæus Tarentum ex ordine ſubiungit: ceterùm quum Tarentum Salentinorum de quibus iam ſcripturi ſumus, vrbs fuerit, congruum nobis videbatur Sallentinos Tarentinis præponere. A Tarento itaque vlterius progreſsis occurrit Iſthmo inclu ſa regio ad Brundiſium vſque; quam Iapygiam, Meſſapiam, Calabriam & Salentinam veteres variante eiuſdem regionis nomine adpellarunt.

IAPYX. Iapygiam ab Iapyge Dædali filio Cretenſium qui hanc regionẽ aliquan- D
do incoluerunt duce; itidemque a Salentinis Cretæ populis Salentinam fuiſſe dictam obſeruo, alij a ſalo hoc eſt mari id nominis deducunt. Quamquam alij hanc regionem in duas partes, vt Strabo auctor eſt, diſtribuerunt; vnam in qua Tarentum, quam Calabriam & Meſſapiam; alteram in qua Brundiſium, quam Salentinos ſiue vltimam Iapygiam adpellarunt. Latitudo peninſulæ iſtius a Tarento Brundiſium itinere terreſtri XXXII. M. paſſuum patebat; quod ſpatium Strabo paſsibus non definitis includit; ſed tantum eſſe diſtantiæ, quantum expeditus curſor diurno

A diurno itinere conficere posset, ceterum secundum oram maritimam à Tarento Brundisium vsque numerantur ducenta passuum millia; totaque peninsula fronte in ortum brumalem extenditur. hanc tredecim olim vrbibus claram fuisse Strabo testatur; quæ tamen ipsius sæculo in angustos & tenues vicos abijssent. opida verò per continentem a Tarento Vria, Messapia, Aletium, in ora verò Senonum Gallipolis, quam Græcæ originis fuisse Mela scribit, LXXI. passuum millibus a Tarento distabat: inde XXXII P. M. promontorium quod Acran Iapygiam vocant; ab eo Basta opidum, & Hydruntum XIIII millibus ad discrimen Ionij & Adriatici maris, quà breuissimus in Græciam transitus est; eum pontibus
B iactis pedestri via sternere Pyrrhus Epirotarum rex primùm cogitauit, centum millium pass. interuallo: (nisi apud Plinium mendosi sint numeri,) post eum M. Varro quum Bello Piratico Classi Pompeianæ præesset sed vtrumque aliæ curæ impediuerunt. Salentinorum nomen in hac regione antiquissimum fuisse argumento est, quod Dionysius testetur promontorium illud, quum AEneæ classis eam Italiæ oram obiret, Salentinum tunc, postea Iapygium fuisse appellatum. quòdque idem etiam in numismatibus expressum sit. Idem Dionysius tradit, Troianos cum ad illud promontorium vnà cum AEnea appulissent, exscensionem ad Mineruæ templum feciſſe, quumque totam eam oram AEneas
C præternauigasset, in templo Iunonis Laciniæ æream phialam donasse, cui nomen ipsius antiquis admodum litteris inscriptum erat. testatur & Strabo apud Sallentinos Mineruæ fanum fuisse locupletissimum; & certè Mineruæ caput galeatum cono & cristis insigne primum Salentinorum numisma prodit; cuius auersa pars equestrem statuam exhibet: quæ cuius sit incertum est: nisi Messapij, aut Peucetij, qui Oenotrio frater hasce regiones olim tenuit, eam esse opinari lubeat: aut tutelaris alicuius numinis nobis incogniti. Scribit Seruius AEneam iccirco ad hoc Mineruæ templum venisse, quod fama ferebat Palladium a Diomede & Vlysse ex Ilio raptum, hîc depositum fuisse. Sallentinis autem Roma-
D norum arma, quantum ex veterum annalium monumentes colligo primùm illata sunt M. Atilio Regulo, L. Iulio Libone cos. Zonaras Calabriæ bellum indictum scribit, quod crimini ipsis daretur, Pyrrhum regem receptum; & sociorum Po. Ro. agros iniustè depopulatos. re autem vera, quòd Brundisium sibi adiungere cuperent, propter portus opportunitatem. inde enim in Illuricum & Græciam sicuti breuissimus, ita & facillimus, traiectus erat; quòd eodem vento soluere & redire liceret. Eutropius his item Cos. bellum cum Sallentinis susceptum scribit; captósque vnà cum vrbe sua Brundisinos: nec ab eodem Florus dissentit. Messapios quoque proximo anno victos ex Triumphorum serie

manifeſtum eſt. Quatuor ſiquidem coſs. de Sallentinis triumpharunt; A quod argumento eſt, hoc bellum biennio ferè geſtum; nec Atilij Reguli & Iulij Libonis armis edomitos fuiſſe, ſed anno demum inſequẽte, quo Iunius Pera & N. Fabius de Sallentinis & Meſſapijs triumphum egerũt, in deditionem fuiſſe receptos. nec de his aliud quidquam comperti habere potuimus. Cæterùm Ptolemæus Iapygiæ ſiue Sallantinorum promontorium, quò longiſsimè in maria excurrit Italia, ſub longitudine partium XLII cum triente; latitudinem XXXIIX partium cum dodrante reponit. numerat & inter mediterraneas Sallentinorum vrbes Rhudiam Ennio poeta & ciue nobilitatam: hinc Cicero Ennium vocat Rhudium hominem, a maioribus ſuis in ciuitatem receptum. hinc tamen Euſe- B bius C. Mamilio Turrino: Q. Valerio Faltone Coſs. Tarenti natum; ſed mortui oſsa ex Ianiculo Rudiam fuiſſe tranſlata refert. Ennij Epitaphium apud Ciceronem in Tuſculanis deſcriptum eſt. ſequitur vt nunc ordine de Tarento, Hydrunte & Brundiſio agamus.

TAPANTINΩN.

TARENTVM Laconum Colonia.

TARENTVM magnæ Græciæ vrbs, vti quondam clariſsima, ita & C potentiſsima, ſita erat in peninſula: quæ maximũ quidem ac pulcherrimum, ceterùm qui maxima ex parte importuoſum erat ſinum efficiebat. Iacebat depreſſo admodum loco, ſtadia centum ambitu complectens: imminebat vrbi arx altiori loco exſtructa, quæ vndique aut mari aut altiſsimis rupibus claudebatur. Stadium habebat ornatiſsimum; & forum ampliſsimum, in quo erat coloſſus Iouis ex ære fabrefactus, cuius ſecunda poſt Rhodium magnitudo celebrabatur. erat & Herculis templum, & in eo eiuſdem ſimulachrum artificio inſigne Lyſippi opus: quod poſtea Romani, Tarento per Fabium Maximum a Pœnis recepto, in Capitolium tranſtulerunt. Neptunum pro diuo tutelari D colebant: atque a Tarante Neptuni filio nomen vrbi & fluuio factum auctores teſtantur; & numiſmatum auctoritas, in quibus Tarantis & nomen & imago adparent, confirmat. Iupiter quoque cognomento Καταιβάτης (a fulminis Iaculo) ſtatis ac ſolemnibus ſacrificijs a Tarentinis ea de cauſſa colebatur; quòd Iupiter milites qui capta Carbinarum vrbe, in ciues admodum crudeliter deſeuierant; & pueros puellaſque in Deorũ immortalium templis, fœdè ſtuprauerant; fulmine percuſsiſſet, manebat itáque conſuetudo apud interfectorum poſteros, vt poſitis pro numero occiſorum columnis, nullo eos luctu, nulla parentatione proſequerentur.

A querentur. Ager Tarentinus quamquam ſaxoſus & aſper in ſpecie, ad mirandæ tamẽ fecunditatis erat; quiq́ue pecori gratiſsimum præbebat pabulum; arborum inſuper multitudine & denſitate amœnus, & vini præſtantia nobilis. Originem vrbis, auctores primò a Cretenſibus repetunt; eis nempe qui occiſo Cocali inſidijs in Sicilia Minoë, ſine duce diu incertis ſedibus vagi & palantes, huc tandem appulerint: lociq́ue commoditate allecti, opidum indito a Tarante Neptuni filio nomine condiderint. Ceterum quum breui eorum opes coaluiſſent; a Parthenijs duce Phalanto vrbe & agro exſuti ſunt. Partheniorum origo talis fuit. Agebatur apud Eleos Olympias nona, quum Lacedæmonij, B ſiue ob occiſum a Meſſenijs Teleclum regem, ſeu ob ſtupratas virgines ſuas, (vtrumque enim refertur) bellum illis mouerunt. quúmque incerta diu fortuna nũc victi, nunc victores rem cum illis geſsiſſent; victos tandem magno prœlio Meſſenios, & intra vrbem compulſos obſedére; iuramento prius facto non ante ſoluturos obſidionem quàm expugnaſſent. Verùm enim uerò quum ea opinione longius protraheretur, veriti ne hac pertinacia, grauiùs ſibi quàm Meſſenijs conſulerent: (quippe illis quantum iuuentutis bello intercidat domi aſsidua fecunditate ſuppleri: ſibi belli damna aſsidua, & fecunditatem domo abſentibus nullam eſſe) iuuenes legunt, ex eo genere militum, qui ipſis in ſupplementũ C venerant: ijſq́ue Spartam remiſsis promiſcuos omnium feminarum cõcubitus permiſére. Ex his nati ob notam materni pudoris, Parthenij ſunt vocati. Lacedæmonij poſt vndeuigeſimum obſidionis annum expugnata Ithome vrbe Meſſenidis. domum regreſsi, Parthenios tamquã adulterino partu progenitos, nequaquam pari cum alijs honore habebant. Parthenij ea iniuria accenſi, in patriæ perniciem cum Helotibus ſeruis coniurant: conuenerat, vt quum Phalantus pileum capiti imponeret, cæderentur paſsim Spartani; & vrbem ipſi occuparent. Ceterùm prodito conſilio, quum omnes ad rem patrandam in foro conueniſſẽt, præco in medium procedens, Phalantum pileum capiti imponere pro- D hibuit. Hinc illi proditos ſe videntes, partim fuga elabuntur; partim ad aras ſupplices confugiunt. Iuſſos benè ſperare Spartani, ſub cuſtodia adſeruant. Interim miſſus ad conſulendum Apollinem Delphicum de Colonia Phalantus reſponſum tale accepit:

Saſtyræum & pinguem populum tibi trado Tarenti
Incolere, & latè cædem per Iapygas ædes.

Oraculo intellecto proficiſcuntur domo Parthenij, quumq́ue in Italiam appuliſſent; Tarentinos ſedibus ſuis eijciunt atque vrbem occupãt. Quidam eandem hiſtoriam aliter referunt: Phalantum nempe ab Apolline reſponſum accepiſſe; vti ſub AEthra pluuiam animaduertiſſet, vr-

TARENTVM CONDITVM

bis & agri hoſtilis compotem futurum. Quare, poſtquam domo pro A
fectus cum ſocijs Parthenijs Barbaros ſæpe prœlio fudiſſet; nec tamen
vrbem aliquam expugnaſſet; deſperare de rebus ſuis cœpit: quid enim
deum aliud præmonuiſſe, quàm irritos ipſi conatus futuros? numquam
enim ſereno cælo (id Græcis AEthra ſignificat) pluuiam ſperandam.
In hac anxietate cõſtitutum dum vxor benignis verbis ſolatur; atque il-
le reclinato in ſinum ipſius capite iacet, obortis præ dolore lacrymis viri
caput perfudit. qui mox intellecto ex hoc caſu oraculi ambiguitate at-
que animo recepto (nam vxori AEthræ nomen erat) ea nocte quæ hũc
diem ſequebatur, Tarentum vrbem capit. Vrbe potitus, quum aſsi-
PHALANTVS TARENTVM CAPIT. duis incrementis potentiam eius auxiſſet; ab ingratis ciuibus in exſiliũ B
pellitur; & Brunduſium, quò veteres Tarentini ſedibus ſuis pauloante
eiecti conceſſerant; confugit: mitioréſque in ſe hoſtes quàm ciues expe-
tus benignè excipitur: exactóque apud eos quod reliquum vitæ fuit, iã
morti vicinus illis perſuadet, vt oſſa ſua conterant, contuſaque in foro
Tarentinorum occultè ſpargant: eos ita patriam recuperare poſſe, Apol
linis oraculo proditum eſſe. Illi arbitrati Phalantum in vltionem ſui
fata ciuium ſuorum prodidiſſe, conſilio paruére: ſed diuerſa oraculi ſen
tentia fuerat: æternitatem enim vrbis, non amiſsionem hoc pacto pro-
miſerat. Ita manibus hoſtium atque exſulis ducis conſilio, ſtabilita in
æternum Parthenijs Tarentina poſſeſsio eſt; qui damnata ſua in benè C
meritum ingratitudine, memoriam Phalanti diuinis honoribus proſe-
quuti ſunt. Primum Tarentinis bellum cum Meſſapijs fuit; qui ſuſ-
TARENTINORVM CVM MESSAPIIS BELLVM. pecta vrbis incrementa habentes; priores iniuriam intulerunt; Heracle-
ámque Tarentinorum Coloniam peruaſtato agro obſedêre. Ex ad-
uerſo Tarentini, Iapygiæ & Peucetiæ regum ſocietate confirmati, in aci
em proceſſére: Acre inde prœlium cum mutua vtriuſque partis pernicie
fuit: ſed victores tandem Tarentini, Meſſapijs in fugam verſis, magno-
que hoſtium numero in fuga cæſo, pacem victis ſuppliciter precantibus
concedunt. ex manubijs hoſtium ænea equorum & mulierum ſigna
in victoriæ monumentum Apollini Delphico miſére. Seditione D
inde ac diſcordia inter victores orta, Opis Peucetiorum rex aſſumtis in
OPIS PEVCETIORVM REX A TARENTINIS CAESVS. ſocietatem Iapygibus, arma in Tarentinos vertit. illi intrepidè impetũ
hoſtium excipientes, occiſo rege Peucetios ac Iapyges in fugam conjici-
unt; conſecrataque prædæ decima, ſigna inde tria ex ære ad Apollinem
Delphicum tranſmittenda fieri curant. primo ſigno Opis rex expreſſus
erat, ea forma qua in pugna ceciderat: altero Taras Neptuni filius; tertio
Phalantus Coloniæ auctor: ponè cum effictus erat ex ære Delphinus:
quòd fama eſſet eum naufragum apud Criſſæum ſinum in litus a Del-
phino euectum. atque eò quidam pertinere putarunt Delphinum illum

qui

A qui virum nudum dorſo vehens in omnibus ferè Tarentinorum nummis conſpicitur. Haud diuturna Tarentinis poſthæc quies fuit: Iapyges namque irritati potius quàm fracti priori clade, habito acerrimo delectu ad viginti armatorum millia conficiunt. Tarentini hoſtium multitudine territi, auxilium a Rheginis petiuére: acceptáque ab illis fortiſsimorum iuuenum manu, hoſtibus occurrunt. Ceterùm aduerſum Tarentinis prœlium fuit, victoreſque Iapyges diuiſo in duas partes exercitu fugientes inſequuntur; tantáque celeritate qui Rheginos inſectabantur vſi ſunt, vt vnà cum fugientibus in vrbem irrumperent. Pace inde per aliquot annos vſi Tarentini, in tantum opibus & potentia creuére, vt triginta peditum & tria equitum millia ſubſignis haberent: B claſſem præterea maximam atque inſtructiſsimam. atque ita egregie ali quamdiu rempublicam ſuam adminiſtrauére; Archyta Pythagorico ciue ſuo, legiſlatore creato: qui ſexies aduerſus hoſtes imperator deſignatus, & toties victor, multum ad patriæ felicitatem contulit. Poſt cuius mortem Tarentini in luxuriam & iguauiam prolapſi, vicinis contemtui eſſe cœpére. Quumque a Lucanis bello petiti eſsent, Archidamum Lacedæmoniorum regem multis precibus ad auxilium ferendum exciuére. ſed is cum exercitu in Italiam profectus, a Lucanis cum omnibus copijs internecione deletus eſt: corpúſque eius inſepultum alitibus feriſque relictum. Excitauêre tot clades torpentes luxuria Tarentinorum C animos: imploratur itaque in auxilium Alexander Epeiri rex: nec difficilem ad preces regem Tarentini experti ſunt: is námque oraculo prænonitus, caueret Acheruſium amnem vrbémque Pandoſiam, eum locum ipſi fatalem fore; quò longius ab Epeiro abeſset; maturius in Italiã copias traiecit. Sed (vti ſupra in Pandoſia retulimus) in tranſitu Acherontis fluuij haud procul ab vrbe Pandoſia, ab exſule Lucano ex inſidijs confoſſus, interfectúſque fidem oraculo adſtruxit. Corpus regis fædè laceratum eſt: præciſo námque medio, partem Coſentiam miſére exules Lucani: pars ipſis ad ludibrium retenta eſt: poſtea cadaueris cremati oſſa a muliere quadam in Epirum ad propinquos regis remiſſa ſunt. Poſt D tam miſerandam fortiſsimi regis cædem, pax a Tarentinis cum hoſte facta. At quum Romanos Palæpolim cognatam vrbem ad deditionem coegiſſe Tarentini viderent; tum & vicinos ſuos Lucanos ſocietatem cũ illis inijſſe; libertati ſuæ timere cœperunt; enimuero nihil iam ſibi reſtare; quam vt aut hoſtes, aut domini Romani habendi ſint: poſtquam Lucanus & Apulus Romanam ſocietatẽ amplexus; & vicinus illis Samnis Romanorum armis pænè oppreſſus ſit. Itáque poſtquam Lucanos prius per fraudem a Romanorum ſocietate auertiſſent, legatos ad L. Papirium conſulem Luceriam Samnitium vrbem per id tempus circumſedentem

TARENTINORVM CONTRA IAPYGES BELLVM.

ARCHYTAS TARENTINORVM LEGISLATOR.

ſedentem miſére; Romano Samnitíque denuntiantes, bellum omitte- A
rent; per vtros ſtetiſſet, quò minus ab armis abſcederetur, in eos ſeſe pro
alteris pugnaturos. Ea legatione Papirius audita, perinde ac dictis illo-
rum motus, deliberaturum ſe cum collega ſimulat: accitoque eo atque
omnibus ad prœlium præparatis, ſigna extra vallum efferri iuſsit, lega-
tis interim Tarentinorum occurſantibus ac reſponſum flagitantibus,
Auctoribus inquit, vt videtis dijs ad rem gerendam proficiſsimur: nec
alio reſponſo eos dignatus eſt hæc altera Tarentinis in Romanos irarum
cauſsa. Ceterum quieuére aliquamdiu, donec anno ab vrbe condita
CDLXXII. in bellum manifeſtum prorupére, cuius origo hæc fuit. Im-
minet portui ad proſpectum maris poſitum vrbis theatrum: ibi ſortè lu B
dos ſpectabant Tarentini, quum claſsis Romana litus legens ab illis
conſpicitur. Tarentini itáque relictis ſpectaculis, conſcenſiſque naui-
bus claſsem inuadunt ac capiunt. Extemplò legati Roma ad res repe-
tendas miſsi: quos cum Tarentini iniurijs affectos violare non dubitaſ-
ſent, bellum exortum quod per ſexennium mutuis magniſque cladibus
geſtum eſt. Tarentini Pyrrhum Epeiri regem, quem ipſi prius in bello
aduerſus Corcyreos adiuuerant in auxilium exciuére. Is tanta vſus ce
leritate in Italiam peruenit, vt famam etiam de ſe præuerteret: manúm-
que prius cum Romanis conſerret quàm veniſse putaretur. Primum
Pyrrho cum Romanis prœlium fuit, ad Heracleam Tarentinorum Co- C
loniam, inter Sirim Acirimque amnes: vbi victor iam pænè Romanus
inſueta Elephantinorum ſpecie territis equis viriſque ſuperatur. Poſt
hanc pugnam Pyrrhus auctus auxiliaribus Samnitum Lucanorúmque
TARENTINORVM ADVERSVS ROMANOS RES GESTAE. copijs, vſque ad trecenteſimum a Roma ſtadium progreſſus, omnia in-
cendio ruiniſque impleuit. Quumque miſſo Romam Cynea oratore
legato, pacis conditiones offerret: nec eas Senatus admitteret, deſperãs
condicionibus rem componi poſſe, ad belli cogitationem animum con
uertit: congreſſuſque ad Aſculum in Apulia cum C. Fabricio Q. AE-
milioque Conſulibus poſt ambiguam diu vtriúſque partis fortunam,
tandem ſuperatur. A qua pugna Pyrrhus accerſentibus Syracuſanis D
in Siciliam tranſgreſsus, varia fortuna per biennium ferè integrum cum
Carthaginienſibus de Siciliæ poſſeſsione dimicauit. Romani interim
occaſione eius abſentiæ vſi, Lucanos, Tarentinos, & Bruttios maxima
pugna ſuperarunt: multiſque tum Lucanorum tum Bruttiorum vrbi-
bus quà vi quà deditione potiti ſunt. Id vbi Pyrrhus intellexit, in Ita-
liam reuertitur: ſignáque cum Romanis in Lucania ſub campis Auru-
finis contulit: productiſque in primam aciem elephantis, vnus ex his pul
lus graui ictu teli ſaucius vnà cum matre auerſus, ac incurrens, ordines
turbauit; & certam Romano victoriam dedit. Vltimum hoc Pyrrhi
cum

A cum Romanis prœlium fuit; ſtatimque deſperatis rebus, ſexto poſtquam venerat anno Italia diſceſsit. Relictus a Pyrrho cum præſidio Tarenti Milo, quum offenſam ciuium contraxiſſet, illi duce Nicone creato eum in arce obſederunt. Ille quum fortiter reſiſteret, & fudiſſet aliquoties obſeſſores, Tarētini deſperata per ſe victoria, pars Romanum, alij Carthaginienſem in auxilium euocarunt. Milo quum mari a Pœnis, terra a Romanis grauiter premeretur; deſperatis rebus Romanis ſe dedidit. hoc modo Tarentum in poteſtatem Romanorum deuenit. Tarentinis inde aliquamdiu otium fuit, ſub tutela Romanorum acquieſcentibus: donec bello Punico ſecundo, quo Italia a Pœnis duce Han-

TARENTVM ROMANIS DEDITVM.

B nibale fœdè lacerata & vaſtata eſt; relicta Romanorum ſocietate ad Pœnos defecerunt. Dimiſsi enim ab Hannibale quinque nobiles Tarentini, partim ad Thraſimenum, partim ad Cannas capti, memores beneficiorum, maximam iuuentutis Tarentinæ partem ab Romana ſocietate ad Pœnos auerterant. Adhæc & alius caſus reliquorum Tarentinorum animos in Romanos concitauit: ac rurſus occaſio res nouare volentibus præbita. Obſides enim Tarentini qui Romæ in atrio libertatis adſeruabantur, inſtigante Philea Tarentino, qui Romæ per ſpeciem obeundæ legationis verſabatur, corruptisque per eundem duobus e cuſtodibus duce ac comite itineris eodem Philea, profugerant. Hi Taraci-

TARENTINI A ROMANIS AD POENOS DEFICIVNT.

C næ e fuga Romam retracti, prius ſpectante atque opprobante populo virgis cæſi, poſtea e ſaxo deiecti ſunt. Huius atrocitas pœnæ Tarentinos tum publicè tum priuatim, vt quiſque interemtos affinitate aut amicitia contingebat in Romanos irritauit. Ex ijs tredecim Tarentini nobiles coniurarunt, quorum principes Nico & Philomenes erant. Hi priuſquam maiora tentarent; colloqui cum Hannibale ſtatuunt; noctu ſpeciem venationis vrbe egreſsi. & quum haud longè a Pœnorum caſtris abeſſent, ceteri ſe in ſylua iuxta viam occuluerunt; Nico & Philomenes ad ſtationes vſque progreſsi captique, vltro id petentes ad Hannibalem deducuntur. cui cum cauſſam itineris ſui aperuiſſent; collau-

D dati oneratique promiſsis ac dimiſsi, iubentur vt in vrbem reuerſi, apud ciues ſuos ſimularent, prædandi ſe cauſſa vrbe egreſſos: & quò fidem facerent, pecora Carthaginienſium paſtum dimiſſa, in vrbem agerent, permiſſum. Conſpecta a Tarentinis iuuenum præda, quum idem iterum & ſæpius auderent, minus admirationi fuit. Rurſus inde conuento Hannibale Nico & Philomenes pacti ſunt, Tarentinos liberos, leges, ſuaque omnia habituros; neque vllum vectigal Pœno penſuros; aut inuitos aliquod præſidium recepturos: Romanum præſidium in Carthaginienſium poteſtate fore. Vbi hæc inter illos conuenerunt; tunc verò Philomenes per ſpeciem venationis & prædationis conſuetudinem no-

ctu,(ob metum ſcilicet hoſtium vti videri volebant) egrediundi,redeun- A
diq́ue frequentiorem facere; canéſque & alius apparatus ſequebantur:
captumq́ue ferè ſemper aliquid,aut ab hoſte præparato oblatum, dona-
bat aut præfecto aut cuſtodibus portarum. Vbi iam aſsidua conſue-
tudine eò adducta res eſſet,vt quocunque noctis tempore ſibilo dediſſet
TARENTVM AD HANNIBALE CAPTVM. ſignum,porta aperiretur; Hannibal motis concubia nocte ſignis, duce
foris Philomene,intus verù Nicone ſuas partes agente,per eam fraudem
duabus portis intra Tarentum admiſſus eſt. Tumultu inde orto qua-
lis in capta vrbe ſolet; cæduntur paſsim Romani. Præfectus præſidij
Romani intellecto tumultu in arcem ſe recepit: eòdem orta iam luce &
reliqui Romanorum qui cædem euaſerant confugére: Hannibal autem B
conuocatos ad concionem Tarentinos benignè alloquitur, teſtatus ſe
quo animo in ciues Tarentinos quos ad Thraſimenum & Cannas libe-
ros dimiſerat fuiſſet,eo deinceps & erga rempublicam ipſorum futurũ.
Inde ſigno dato hoſpitia Romanorum direpta ſunt. Poſtridiè ad arcẽ
quo ſe Romani receperant oppugnandam Hannibal ſe conuertit.quam
poſtquam tam mari quo in peninſulæ formã pars maior circumluitur,
quàm prælatis a terra rupibus cinctam videret, ab ipſa quoq; vrbe vallo
& muro ingenti ſeptam, eoq́ue inexpugnabilem eſſe; vallo & operibus
ab vrbe interſepire inſtituit: quam dum & a terra & a mari arcta longa-
q́ue obſidione fruſtra premit, accedente ſubinde Romanis nouo præſi- C
dio,Hannibale verò vrbe relicta in hyberna digreſſo,ac Carthalone præ-
fecto,cum Pœnorum Bruttiorumq́ue præſidio ad vrbis tuitionem reli-
cto,Romani Tarentinorum pertinaciam indignè ferentes; Q. Fabium
Maximum Conſulem ad Tarentum recipiendum mittunt. Is facto
impigrè itinere,caſtrisq́ue in ipſis faucibus portus Tarentini locatis, at-
que omnibus ad oppugnationem idoneis magna cura præparatis,quum
Bruttiorum præſidij quod ab Hannibale Tarenti relictum fuerat præ-
fectus,mulierculam cuius frater apud Fabium militabat,deperiret; pro-
ditione eiuſdem præfecti atque opera mulierculæ,& militis fratris ipſius,
TARENTVM A Q. FABIO MAXIMO RECEPTVM. ſimul etiam Bruttijs præſidiarijs adiuuantibus, Tarentum recepit. Vr- D
be capta, Tarentini ad primum telorum coniectum in fugam ſe dedére,
per nota itinera in ſuas aut amicorum domos dilapſi. Cæſi ex ducibus
Nico & Democrates claſsis Tarentinæ præfectus, tum & Carthalo Pu-
nici præſidij præfectus:inde promiſcuè armati atque inermes Pœni pari-
ter ac Tarentini,inter eos & Bruttiorum nonnulli:Philomenes alter du-
cum,qui Tarenti Hannibali prodendi auctor fuerat, equo ipſius, cum
quo è pugna exceſſerat, vacuo per vrbem errare conſpecto, in puteum
ſe præcipitaſſe creditus eſt,corpore ipſius nuſquam inuento. A cædæ ad
direptionem concurſum: Triginta millia capitum ſeruilium capta tra-
duntur:

A duntur: argenti vis ingens facti, ſignatiq́ue: auri vero (ſi credibile eſt) LXXXIII. millia pondo; ſigna tabulæq́ue innumeræ, inter quæ Herculis ſimulachrum quod Romæ in Capitolio collatum eſt. Fabius de Pœnis Tarentiniſq́ue triumphauit. Veniam rebellionis Tarentini poſt diutinam diſceptationem, deprecante pro illis Fabio Maximo qui eos in Romanorum poteſtatem redegerat, a Senatu impetrarunt: reuocati quoque ex S. C. Tarentini qui patria ab Hannibale pulſi fuerant: ijſq́ue omnia quæ bello amiſerant reſtituta. Bis Coloniam Tarentum deductam fuiſſe obſeruo: ſemel eodem anno quo Scyllacium & Mineruium: ſed qui deduxerint, quot deducti fuerint non traditur. Iterum Coloniam

TARENTVM COLONIA DEDVCTA.

B militarem factam tradit Tacitus Nerone IIII. & Coſſo Cornelio Lentulo Coss. deductoſq́ue infrequentes veteranos, vt promiſcuè collecti erant; nulla rei familiaris cura: proinde dilapſos diſperſoſq́ue rurſus per Italiam nihil infrequentiæ vrbis ſubueniſſe. Vrbi vetuſtum nomen vſque ad hæc tempora permanſit. Produxit hæc vrbs viros aliquot illuſtres, inter quos fuêre Ariſtoxenes Muſicus Ariſtotelis familiaris: Rhinton Poëta Tragicus: Iccus medicus cuius in Protagora mentionem facit Plato. Apolodorus medicus Tarentinus cuius libro vigeſimo mentionem facit Plinius: Heraclides quoque Tarentinus Mechanicus præſtantiſsimus qui primus Sambucam machinam: ad vrbium oppu-

C gnationem adinuenit: Itidem & Archytas nobiliſsimus mechanicus. Denique & Lypſis Tarentinus Philoſophus Pythagoricus, cuius meminit, in Pythagoræ vita Diogenes Laërtius. Diſtat Tarentum ab inſularum Fortunatarum meridiano duabus horis cum dextante, ab æquatore verſus Septemtrionem quadraginta partibus. Sequitur ex ordine Hydruntum.

ΥΔΡΩΝΤΙΝΩΝ.

HYDRVS Cretenſium Colonia.

D

HYDRVNTI nuncupationem apud veteres variare obſeruo. Sunt enim qui Hydrus; ſunt qui Hydruntum pro eodem opido in Meſſapijs ſcribant, nomine Græcis & Latinis vſitato. huius vrbis originem paucis vt a maioribus ipſius per manus traditum erat, Paulus Diaconus rerum Longobardicarum libro ſecundo in hanc ferè ſententiam prodidit. Quum olim Creta ægrum prouentum ob ſiccitatem agrorum haberet, Cretenſes ſterilitate feſſos alias ſedes quæſiuiſſe; appuliſſeq́ue ad Hydruntem necdum ædificatam; ceterum oraculo admonitos Cretenſes eam ſedem deſeruiſſe; & in Suriam recurriſſe. nec quidquam aliud

HYDRVNTVM.

HYDRVNTVM A CRETENSIBVS CONDITVM.

de eius vrbis origine aut vocabuli Hydruntis ratione apud pr obatos au A
ctores obseruare potui. Sunt qui tradant fluuij quoque & m ontis no-
men esse Hydruntem, cui vrbs ipsa imminebat. Iapygium promon-
LIVCA. torium extremum in agro Salentino erat; in quo Leuca vrbs; & ab ea
passuum ferè viginti millibus Hydruntem distare Strabo trad lit: circa
Leucam fontem fuisse fetidissimi halitus. Fabulis proditum e st, reli-
quos Gigantes e vicina Campaniæ Phlegra, quum Hercules pul sos exa-
gitaret, ad ea fugitasse loca; contractosque subijsse terram, & ex eorun-
dem cruore talem effluxionem retinere fontem. Vocatos aute m fuis-
se Leuterinos: eamque ob rem & litus illud Leuterinum fuisse appel-
latum. Hydruntinorum vnum tantum ad manus n ost. as B
(quod exhibemus) numisma peruenit, quod aduersa parte Neptuni fa-
ciem; auersa eiusdem tridentem, circumpositis Delphinis exhibet. Aliud
de Hydrunto nihil apud priscos scriptores exstare meminimus; quod
de iure eius aliquam mentionem faciat, vnde quia neque Colonian ne-
que municipium aut forum aut præfecturam fuisse constat: verisimile
est inter fœderatas Populo Ro. ciuitates esse re ensendum. Et quan-
tum ex ijs quæ superstunt monumentis colligi potest, quia in Messa pijs
Hydruntum erat; ijdemque vnà cum Sallentinis in populi Ro. pote state-
tem venerint, suspicor & Hydruntum in fœdus a populo Ro. acceptum.
Obseruo Plinium scribere ab Hydrunte in Græciam breuissimum esse C
transitum; & Orico Epiri opido passuum quinquaginta mill. traiectu
oppositam. quamquam alij Apolloniæ quæ Macedoniæ attribuitur ob-
iectam scribant. Hydruntis longitudinem Ptolemæus XLIII partium
numerat; latitudinem XXXIX. Ab Hydrunte verò, secundùm maris
Hadriatici oram quinquaginta pass. M. distabat, de quo iam scripturi su-
mus Brundisium; interque eam & Hydruntum Luspia ad mare, & paul
lò interius Aletium erat.

ΒΡΕΝΔΗΣΙΝΩΝ.

BRVNDI-
SIVM A
CRETEN
SIBVS CON
DITVM.

BRVNDISIVM vrbem portus commoditate celebratam, conditã D
fuisse ab Cretensibus traditur, ijs nempe qui capta ab Theseo Cnos
so patria huc appulsi, sedes fixerint. AEtoli post bellum Troianum,
cum duce Diomede tempestate ad litus Brundisium adacti; vrbem eie-
ctis vetustis cultoribus occuparunt: AEtolos inde rursum Apuli expu-
lerunt. Sed pulsi patria AEtoli, quum per legatos Apollinis oraculum
consuluissent, responsum acceperunt, locum quem reperissent, perpetuò
possessuros. Hoc oraculo confirmati, restitui sibi ab Apulis vrbem sub
belli comminatione postularunt. Sed vbi Apulis oraculum innotuit,
legatos

A legatos interfectos in vrbe sepeliunt; eo modo sedem ibi perpetuò habituros: atque ita defuncti responso oraculi, æternam sibi vrbis possessionem vt credebant, stabilierunt. Sita erat vrbs in peninsula angusto isthmo continenti adnexa; quæ in sinum portuosum excurrebat. Portus Brundisinus cunctis Italiæ portubus præstabat. Multi in hac ora portus includuntur; qui finibus internis excepti nulla fluctuum agitatione aut vndarum violentia turbantur. Locus hic similitudine caput ceruinum exprimit; vnde & nomen vrbi inditum tradunt: Brundisium namque Messapiorum lingua caput cerui significare. Ager Brundisinus multarum rerum vbertate præstat; lanæ præsertim & mellis præstantia laudatus. Brundisinorum respublica primò sub regum po-
B testate fuit: ijs bellum Phalantus Lacedæmonius intulit. Causa belli fuit, quod Brundisini expulsos sedibus a Parthenijs & Phalanto Tarentinos intra vrbem receperant: eo bello quum inferiores Brundisini discessissent, agri parte a Parthenijs mulctati sunt. Ceterùm quum Phalantus inuidia ciuium patria pulsus, Brundisium confugisset, Brundisini immemores cladium ab eo acceptarum ac viri fortunâ miserati, Phalantum humaniter excipiunt. Verùm nec hostium beneuolentia, nec ciuium ingratitudo, Phalanti animum a charitate patriæ auertere potuerunt. Morti itaque proximus (vti supra in Tarentinorum historia retulimus) Tarentinis qui Brundisium confugerant suasit, vti ossa sua post
C mortem contunderent, contusaque in foro Tarentinorum occultè spargenda curarent: ita namque eos patriam recuperaturos Apollinem Delphicum vaticinasse. Illi rati eum offensum ciuibus suis, oraculum fatale prodidisse; consilium Phalanti sequuntur. Ceterùm contraria eius oraculi sententia erat: perpetuitatem enim vrbis non amissionem hoc pacto promiserat. Brundisinorum numismata affinitatem cum Tarentinorum habere videntur: quod & hæc vti Tarentinorum virum nudum Delphino vectum exprimunt: siue is Taras fuerit Neptuni filius, Tarenti vt supra a nobis dictum conditor: siue ipse Phalantus, quem in naufragio aliquando a Delphino exceptum atque ita ser-
D uatum quidam tradidêre. An autem ciues Tarentini qui patria pulsi ab Brundisinis in vrbem & rempublicam suam recepti fuerant, hoc numismate originem suam ostendere voluerint, an verò id ad Phalantum referendum sit, lectori iudicandum relinquimus. Ceterùm quum Brundisini bello Tarentino Pyrrhum Tarentinosque contra Romanos iuuissent, Romani victo Pyrrho & extra Italiam pulso, Salentinis quorum caput Brundisium erat; duce M. Atilio Regulo Consule bellum intulerunt; qui victis hostibus de Salentinis triumphauit. Nec tamen hoc anno edomiti sunt: sed N. Fabius Pictor & D. Iunius Pera, Consules

BRVNDISINORVM ADVERSVS PARTHENIOS BELLVM.

BRVNDISIVM IN POTESTATEM ROM. REDACTVM.

BRVNDISIVM COLONIA CIVIVM ROMANORVM.

anni inſequentis, Salentinos vniuerſas, ſimul & Brundiſium in deditionẽ A
acceperunt; atque ambo de Salentinis triumpharunt. Anno inde tertio
& vigeſimo poſtquam in Romanorum poteſtatem Brundiſium vene-
rat, Colonia ciuium Romanorum eò deducta eſt, A. Manlio Torquato
& C. Sempronio Blæſo Coſs. Otium inde aliquamdiu Brundiſinis
fuit; donec bellum ciuile inter Iulium Cæſarem & Pompeium Magnũ
exoritur. Pompeius enim vt faciliùs in Græciam traijceret, Brundiſium
cum viginti cohortibus profectus erat. eò & Cæſar cum legionibus ſex
peruenit: atque ibi aliquamdiu maxima contentione inter Cæſarem &
Pompeium certatum eſt: dum ille iactis qua fauces portus arctiſsimæ
erant ab vtraque parte molibus & aggeribus alijſque operibus exitum B
portus obſtruere, Pompeianiſque traiectum in Græciam impedire co-
natur: Pompeius verò contra inſtructis adornatiſque magnis onerarijs,
quas in portu Brundiſino inuenerat nauibus, opera Cæſaris diſturbare,
ſuoſque quoquomodo in oppoſitam continentem traijcere ſtudet. Do-
nec tandem Pompeius impetum & virtutem Cæſaris veritus, occultè in
Græciam cum ſuis traiecit: paucis quò Cæſarem falleret, dum reliquus
exercitus naues conſcenderet in muro quaſi ad defenſionem relictis.
Brundiſini, Pompeianorum militum iniurijs & ipſius Pompeij contu-
melijs permoti, Cæſaris partibus fauebant: itaque cognito Pompeij de
fuga concilio, rem Cæſari ſignificarant: qui ne quam rei gerendæ occa- C
ſionem omitteret, ſcalas parari, militesque ſe armare iubet. Ceterùm
quum Pompeius ſub noctem ſoluiſſet, ij qui in muro tamquam cuſto-
diæ cauſſa collocati fuerant, ſigno quo conuenerat reuocati, nauibuſque
actuarijs quas Cæſar in id loco expedito reliquerat excepti, Pompeium
ſubſequuti ſunt. Cæſariani autem applicatis ad muros ſcalis, vrbem
milite vacuam occupant: peruenienteſque ad portum duas fortè cum
militibus, quæ ad moles Cæſaris adhæſerant, capiunt. Cæſar omni-
bus vndique nauibus militibuſque Brundiſium conuenire iuſsis conſti-
tutis in Italia rebus, quindecim millia legionariorum & quingẽtos equi-
tes in Græciam tranſuexit: reliquos ibi cum M. Antonio vt & eos prima D
oportunitate tranſmitteret, reliquit. Sed quum Libo vnus ex Pom-
peij præfectis cum quingenta nauibus ad impediendum Cæſarianorum
tranſitum profectus, Inſulam portui Brundiſino obiectam (Saſonem
vocant) occupaſſet; Brundiſium quoque obſidere inſtituit. Ibi ali-
quamdiu inter Antonium & Libonem certatum eſt; donec Libonianis
ab Antonij equitibus qui vndique per litus diſpoſiti erant aquatione
prohibitis, Libo obſidionem omiſit: Antonius autem conſpecto mari
a nauibus hoſtilibus vacuo cum reliquis copijs ad Cæſarem traiecit.
Cùm eam ciuilis belli tempeſtatem Brundiſini euaſiſſent; rurſus in gra-

uiores

A uiores calamitates poſt cædem Cæſaris inciderunt: exorto namque inter Cæſarem Octauianũ (qui poſtea Auguſtus appellatus eſt) & Brutum Caſsiumque bello, Domitius Ahenobarbus qui partes Bruti & Caſsij ſequebatur, aſsiduis incurſionibus agrum Brundiſinum vaſtauit: ita vt ne victis quidem pugna Philippica ab Cæſare Antonioque ſocijs deſiſteret, quin infeſtum incurſionibus agrum Brundiſinum faceret. Acceſsit inſuper, quod & Antonius poſtea cum Cæſare diſsidens, accito in partes ſuas Ahenobarbo Brundiſium venit. Quem vt Brundiſini viderunt, memores cladium ab illo acceptarum portas clauſerunt. Antonius ſe excludi indignatus, ceruicem qua vrbs continenti iungitur foſſa
B muroque obſepſit. Sinum quoque ipſum & quas complectitur inſulas crebris caſtellis inſedit: vrbemque oppugnare iam parabat: ſed reconciliatis inter ſe amicorum opera Cæſare & Antonio Brundiſini obſidione liberati ſunt. Brundiſium ſecundùm longitudinem metitur Ptolemæus partibus quadraginta duabus & ſemis, latitudinem ſeptemtrionalem partium triginta nouem cum beſſe. Inter Brundiſium & Arpos vrbes celebrioris nominis ad mare adiacebant; Rhudia Ennio alumno clara, Egnatia, Barion olim Iapyx, Canuſium ad Aufidum fluuium; Salapia, Sipus, Apeneſte, & Hyrium. mons Garganus. amnes Cerbalus, & Frentus.

C

ΑΡΠΑΝΩΝ.

ARPI AEtolorum Colonia.

ARPI.

DELETA poſt decimum obſidionis annum a Græcis Troia, quum duces victores ad ſedes patrias remearent; Diomedes AEtolorum rex, AEgialeæ adulteræ vxoris conſpiratione regno pulſus, cum ijs quos ad Troiam ſecum habuerat militibus Italiam petit. Ibi gentes Monadorum & Dardorum, arma ſibi inferre auſas, prœlio victas extinxit;
D vrbeſque ipſorum duas Apinam & Tricam funditus deleuit. In agro inde ab hoſtibus capto cum ſedes figere ſtatuiſſet: plures in eo vrbes & vnum præcipui nominis Argos Hippium condidit: huius vrbis potentiam cum plurimuum auxiſſet, ad AEtolorum regnum recipiendum reuocatus, moritur. Ceterùm vrbes ab eo conditæ, per vicinorum barbarorum commercia, in barbaricos penè mores & ritus abierunt: ab ijs Argos Hippium, primum corrupto vocabulo Argyrippa: poſtmodum autem Arpos appellatum eſt. Enimuerò adeo huius vrbis potentia inualuit, vt finitimos populos ab ſe Arpanos cognominauerint: & vrbẽ Salapiam condiderint. Orto inde inter Romanos & Apulos bello, quum

ARGOS HIPPIVM.

ARGYRIPPA QVAE ET ARPIS.

ARPANI. SALAPIA.

ARPANI ROMANIS DEDITI.

quum Apuli victi in Romanorum se potestatem dedidissent, eorum de- A
ditionem & Arpani qui partem Apuliæ tenebant sequuti sunt. Mansit itaque aliquamdiu inconcussa Arpanorum erga Romanos fides: donec victis ingenti prœlio ad Cannas ab Hannibale Romanis, proditione Clasij Atinij qui gentis Arpanorum lõgè primus erat, in potestatem Hannibalis traderentur. Ceterùm Atinius postquam secus ac putauerat rem Romanam reuiresçere; econtra labescere Hannibalis Pœnorumque potentiam cerneret, clam nocte cum trium tantùm seruorum comitatu, in castra Romana venit; promittens si sibi ea res præmio foret, Arpos se Romanis proditurum. Quod postquam Fabius consul ad consilium retulisset; multi transfugam vt perfidum aspernabantur; ne- B
candumque vt proditorem & infidum censebant. Contra ea Consulis pater Fabius, Atinium in libera custodia vsque ad finem belli seruãdum censuit: tum demum consultandum, vtrum prima defectio pœnam; an reditus præmium mereretur. Reliquis itaque Fabio assentientibus, Atinius Cales in custodiam missus est. Fabius admotis propius vrbem castris, Arpos oppugnare instituit. Situm inde vrbis ex propinquo contemplatus, qua parte tutissima erat, quia minus custodiebatur, oppugnare instituit: comparatisque omnibus haud impigrè quæ ad vrbium oppugnationem vsui essent, fortuna etiam insperata virtutem diligentiamque Consulis adiuuit. Imber densissimus nocte media co- C
ortus præterquam quod custodes, vigilesque ab stationibus dilapsos fugere in tecta coëgit; sonitu etiam largioris procellæ, strepitum portam demolientium exaudiri prohibuit: ita vt Consul paullò antè lucem, non sentientibus opidanis per effractam portam, in vrbem irrumperet. Tum demum exciti somno hostes sunt, imbre iam conquiescente. Præsidium Punicum intra vrbem quinque ferè millium armatorum erat: & ipsi Arpani tria hominum millia in armis habebant. Concursum primò in tenebris, angustijsque, postea cum illuxisset colloquia inter Arpanos, Romanosque fieri cœpta: Arpanisque se purgantibus, ac Prætore Arpanorum a suis ad Consulem deducto, fideque inter signa aciesque D
data; Arpani repente arma pro Romanis in Pœnos conuertunt. Hispani quoque qui paullò minus mille Arpis erant, nihil vltra pacti, quàm vt sine fraude Punicum emitteretur præsidium, signa ad Romanos transtulerunt. Ita Arpi sine clade vel calamitate vllius, præterquam vnius veteris proditoris & noui perfugæ, Romanis restituti. Ceterùm quum bello Italico, quod ab multis sociale vel Marsicum vocatur, Arpani iterum cum reliqua Apulia a Romanis defecissent; ab C. Cæcilio Metello ingenti pugna victi: in deditionem venerunt. Quæ deinceps fortuna vrbis fuerit, & quomodo Strabonis ætate nihil præter ruinas ex ea superfuerit,

ARPI A ROMANIS RECEPTI.

A fuerit, traditum memoriæ non exſtat. Tertium Arpanorum numiſma Aprum quod AEtolorũ fuit inſigne exprimit, cuius dorſo imminet venabulum, quo veriſimile eſt Arpanos originem ſuam ab AEtolis poſteritati teſtatam voluiſſe. Littus inter Anconam & Arpos accolebant vrbes, Buca, Iſtonium, Ortona, Cupra maritima, Firmũ & Hadria vnde mari Hadriatico nomen, Truentum cum eiuſdem nominis fluuio, Potentia, & Nomana. Iam amnes ſe hic in mare exonerabant, Tifernus, Sarus, Aternus, Fiternus, Vomanus, Bathinus, Apernus, Matrinus, Potentia, & Muſcius.

B

ΑΓΚΩΝΙΤΩΝ.

ANCONA Syracuſanorum Colonia.

QVVM Dionyſiorum patris & filij Tyrannide premeretur vrbs Syracuſana, plurimi Syracuſanorum vel quibus crudelitas eorum odio erat; vel qui offenſos metuebant, ſpontaneo exſilio patriam reliquerant. Ij in Italia ad Camerum promontorium appulſi, conſiderata loci oportunitate, vrbem ibi inter duo promontoria condidére. ita vt vrbs in ipſo litoris circũflexu cubiti formã referente ſita eſſet: C vnde etiam nomen ei impoſitum. Græci namque eiuſmodi curuitates ἀγκῶνας vocant: quam opinionem confirmat & numiſmatum auctoritas, in quorum aduerſa parte cubitus exprimitur. Iuxta Anconam pars oræ prominẽs ingentem ambitu portum complectebatur, qui obiectis vtrinque promontorijs præmuniebatur. Ceterùm cum tempeſtatibus procelliſque marinis obnoxius eſſet, obiectis a Cæſare Traiano molibus quæ maris impetum refringerent, tutior eſt redditus. Ager Anconitanus frugibus & vino, quod ab palma fortè ſimul enata Palmeſium vocabatur, fecundus erat. Inuenio quoque Anconitanos Venerem ſanctiſsimè coluiſſe: atque huic Deæ ædem pulcherrimam intra vr- D bem fuiſſe exſtructam. Ancona quaſi terminus erat intra Italicas Gallicaſque gentes. Quo autem tempore in poteſtatem Romanorum peruenerit non traditur: quantum verò coniectura aſſequi licet, bello id Picentino accidiſſe veriſimile eſt: Ancona namque inter Picentinos cenſebatur. Picentini quum bello Italico ſiue ſociali iterum contra Romanos rebellaſſent, rurſus ad imperium armis redacti ſunt. Anconam quoque ab Iulio Cæſare captam cum in Pompeium Magnum moueret, tradit in familiaribus ad Tironem epiſtolis Cicero: & ipſe Cæſar in commentarijs ſuis de bello ciuili. Coloniam quoque Anconam deductam agrumque limitibus Græcanicis, militibus fuiſſe aſsignatum

ANCONA CONDITA.

ANCONA A CAESARE CAPTA.

ANCONA COLONIA.

obſeruo. Plinius ſcribit Anconam Cumero promontorio oppoſitam A
fuiſſe,in ipſo flectentis ſeſe oræ cubito. Anconæ longitudinem Ptolemæus prodidit triginta ſex partium ſemis, latitudinem verò quadraginta trium partium cum beſſe. inter Anconam & Piſaurum vrbs erat Senogallia; amnes AEſis & Metaurus.

ΠΙΣΑΥΡΙΩΝ.

DE huius vrbis origine, incrementis rebuſque geſtis altum apud auctores ſilentium eſt. Græcos tamen conditores fuiſſe ex numiſmatibus patet. Nomen vrbi a fluuio Iſauro quo Ariminum verſus B
PISAVRVM OPIDVM. alluebatur,factum inuenio: eamque haud procul ab Hadria vrbe ſitam fuiſſe. Quo autem tempore Piſaurum in poteſtatem populi Roma-
PISAVRVM COLONIA. ni peruenerit,non traditur. Coloniam eò deductam ciuium Romanorum, ijſq; ſena iugera in ſingulos aſsignata; Triumueros item Q. Fabium Labeonem,M.Fuluium Flaccum & Q.Fuluium Nobiliorem deduxiſſe, libro trigeſimo nono tradit Liuius. Fuit in eo Colonorum numero Actius Tragœdiarum ſcriptor, & ab eo fundus qui ipſi circa vrbem obuenerat Actianus denominatus eſt. Velleius Paterculus prodit quadriennium poſtquam Bononia deducta erat,Piſaurum ac Potentiam deductam. Piſaurum ab Antonio Conſule poſt cædem Cæſaris C
armis ſtipato iterum fuiſſe deductum, argumento eſt quod Plutarchus teſtis idoneus in Antonij vita prodat,paullò antè prœlium Actiacum Piſaurum opidum non longè ab Hadria,quò Antonius colonos adſcripſerat,terræ hiatu labefactatum fuiſſe. Piſaurum quoque publicis Populi Ro.beneficijs ornatũ fuiſſe ex Liuio cõſtat: qui a Fuluio Flacco Conſule viam ad Piſaurum vſque ſilice ſtratam; & templum Ioui in vrbe ab eodẽ fuiſſe exſtructum prodit. Accuſatur apud antiquos ſcriptores Piſaurum ob aëris corrupti, Auguſto potiſsimùm menſe graues & peſtiferos halitus & euaporationes: vſqueadeo vt ciuium pauciſsimi quinquaginta annorum ætatem ferant, adhæc quod æſtuante Sirio quotannis infantes D
magna cum frequentia ob aëris putredinem efferebantur. Hinc Catullus ad Iuuentium ſcribens, Piſaurum vt moribundam ſedem vituperat: hoſpites enim ibi vt ſtatuas inauratas aëris inclementia ſtatim palleſcere. Piſaurum Ptolemæus aſſentientibus etiam antiquis ſcriptoribus,Gallis Senonibus aſſcribit: certè vltra Italiæ terminos,quos Romani ſuo imperio aſſeruerunt, ſitum fuiſſe inuenio. Ceterùm quum hanc quoque regionem quæ inter AEſim & Rubiconem erat,Romani imperio ſuo adiunxiſſent,exſtincto Senonum, qui Romanos grauiſsima frequenter clade vrbemque incendio vaſtauerant,nomine eandem propter affinita-

A affinitatem Vmbriæ attributam fuiſſe facilè crediderim: ſiquidem video Strabonẽ Vmbriam AEſi & Rubicone fluminibus, tum Ancone & Arimino opidis terminaſſe: atque in ea Ariminum Senam, Fanum & Metaurum, quæ Senonum antea fuerant, numeraſſe. Valerius quoque tradit, Aſdrubalem a Nerone & Salinatore in Vmbria cæſum; quos ad Senam & Metaurum pugnaſſe conſtat. Pulſos autem ex agris Senonis, & eò ciues Romanos eſſe tranſlatos, multis mihi argumentis, ac coniecturis perſuaſum eſt: primùm quòd obſeruo Catonem (vt ſcriptũ eſt apud Plinium) memoriæ prodidiſſe, in hoc tractu Senones qui Romam incenderant, funditus interijſſe: deinde, quòd colonias duas in eo-
B rum agro a Romanis collocatas video; Senam videlicet pulſis ſtatim Gallis, vt Polybius ait: & Ariminum, de quo iam dicturi ſumus, anno CCCCLXXXV. P. Sempronio & Ap. Claudio Coſs. Huc accedit, quod rogante C. Flaminio Tribuno pl. anno DXXI. latum eſt ad plebem, de agro Gallico cis Ariminum diuidendo. Piſauri longitudinem Ptolemæus XXV. partibus cum triente; latitudinem XLIII, cum dodrante definit.

APIMEINEΩN.

ARIMINVM.

C QVAE fuerit vrbis Arimini origo aut quo tempore & a quibus condita, non ſatis conſtat. ſunt qui ab Arcadibus conditam credant, ijs qui in Latio olim cum Euãdro colonias deduxerint; partemque aliquam Arcadum in oram Hadriaticam penetraſſe, & Ariminum vrbem; cui nomen ab Arimino fluuio fecerint, condidiſſe: argumento eſſe quod numiſmata Ariminenſium Pana, peculiarem Arcadiæ Deum cum diſparibus fiſtulis exprimũt. quorum opinionem, vt infirmare nolo: ita nec oppugnare decreui: quum alij illud Panos ſymbolum ad agros in toto Ariminenſium tractu compaſcuos & fertiliſsimos, & maximam gregum armentorumque in ijſdem frequentiam referre malint. Ariminum namque in planicie amœniſsima ſitum fuit: atq;

ARIMINVS FLVVIVS.

D a meridie fructiferarum arborum ſiluis, magno cum fructuum & vini prouentu, ab oriente agris compaſcuis; ab occidente annonæ & frugum copia luxuriabat: a ſeptemtrione mari Hadriatico abluebatur. Quænam verò huius vrbis fortuna, quódve fatum fuerit, antequam deletis in ea regione Gallis Senonibus in poteſtatem populi Ro. veniret, nobis in obſcuro eſt. deductos eò colonos P. Sempronio Sopho, Ap. Claudio Coſs. Paterculus & Epitome Liuiana teſtantur. atque eam vrbem ſiue coloniam Iuris Italici deinceps fuiſſe argumento eſt; quòd cis Rubiconem flumen, qui Italiæ terminus erat, primùm occurrebat. Termini namque Prouinciæ Galliæ vt meminimus, a mari ſupero Rubico, ab in-

ARIMINVM COLONIA.

fero Arnus erant: quæ res effecit vt primis temporibus, quemadmodum Pisæ pro Liguria; sic Ariminum pro Gallia communi sermone vsurparetur: cuius rei auctorem habemus Liuium; qui libro, XXVIII. ita scribit: Vrbana Prouincia Seruilio obtigit; Ariminum (ita Galliam appellabant) Sp. Lucretio. Rubiconem verò fluuium, Italiæ ad Galliam Togatam finem fuisse, testimonio est nobilissimum illud Ciceronis in Antonium. An, inquit, faciat vt exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis est Galliæ educeret? Cæsarem autem intellexit, qui cum cohortes suas, vt ait Suetonius, ad Rubiconem prouinciæ suæ terminum consequutus esset, reputans secum quantum moliretur, conuersus ad proximos; etiam nunc, inquit, regredi possumus; quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt: quod & Lucanus multis post annis carminibus suis est prosequutus: eandemque Ariminum primum opidum e Gallia in Italiam venientibus occurrisse video satis disertè ostēdisse: quum versibus suis per enumerationē colligat, quoties fortuna Romanos lacesseret, hâc semper hostibus ad bellū iter fuisse: ita Ariminēses Senonum motus expertos; inde Cimbrorum furores & impetum; antea etiā Punica duce Hannibale arma; vti post multos annos Teutonum; postremò & Cæsaris bella ciuilia mouētis. vsqueadeo vt eadem vrbs varijs belli cladibus, & imperio Romano fatalibus semper lacesita fuerit; denique etiam in partem militariū Coloniarum venerit; quum Triumviri post victoriam Philippēsem rerū potirentur: cuius rei nō solùm Appianus testis est; verùm etiam antiqua id inscriptio, confirmat, quæ Patronam Coloniæ Arimini memorat. Arimini Senonum vrbis longitudinem Ptolemæus trigintaquinque partium; latitudinem quadraginta trium cum dextante circumscribit.

ARIMINVM COLONIA MILITARIS.

VErum ab Arimino extremo Galliæ Togatæ termino ad vlteriores in Septemtrionem & occasum Galliæ terminos, qui citra vltraq; Alpes secundum ius imperij Romani extendebantur, progrediamur. Galliæ autem nomine hoc loco, ad Romani potius iuris consuetudinem, de qua post dicam, quàm ad veritatis rationem aptè, appello quidquid montium, camporumque mari Ligustico; fluminibus Arno, Rubicone, Formione, Hadriatico sinu & conuexa ipsa propè Alpium crepidine continetur. mare enim a meridie est: Alpes a Massilia propè in orbem per vada Sabatia, Taurinos, Salassos, Rhætos, Comum, Brixiam, Veronam, Vicetiam, Opitergium, Aquileiam & Tergeste vsq; in sinum Hadriaticum ductæ, occidentis & Septemtrionis partes tuentur, sinus ipse cum duobus quæ dixi fluminibus partem orientis definit. Hanc mediam ferè discriminat Apenninus mōs, & flumen maximum Padus.

GALLIAE CISALPINAE TERMINI.

Apen-

A Apenninus ab eodem ferè vnde Alpes initio exſurgens, ad mare vſque Hadriaticum & Senam opidum porrigitur. Padus ex Alpino quodam in Vagiennorum Ligurum finibus Veſuli mõtis fonte erumpẽs, longo per medios cãpos tractu multis in ſinum Hadriaticum oſtijs ſeſe exonerat. In eundem ex Apẽnino nõ minimi nominis flumina octo; ex Alpibus vero vndecim influunt. Quoniam autẽ in multas nationes hæc quã deſcripſimus regio diſtributa eſt; in Ligures, Gallos, Venetos & Carnos. de ſingulis quàm breuiſsimè poterimus, ea quæ ab antiquitate deſumſimus paucis complectemur. In agro Gallorum Ciſalpinorũ deſcribendo Boiorum tantùm, Inſubrum & Cænomanorũ meminero: quòd
B reliqui, quantũ ipſe coniectura conſequi poſſum, iampridẽ ab his, vt Senones a Romanis, bello deleti fuiſſent. Hi verò ab ortu Solis Senonibus, teſte Polybio, ab occaſu Liguribus Ciſpadami ad Trebiam adhæſerunt: meridie quidẽ Apennino; a Septemtrione Pado incluſi. Quod cum ita ſit, adparet opida eorũ fuiſſe vltra Rubiconẽ ad mare Rauẽnam, intus Iæſanã, Forum Liuij, Fauentiam forũ Cornelij, Claternam, Bononiam, Mutinam, Campos Macros, Nuceriam, Rhegiũ Iepidi, Parmam, Brixillum, Fidentiã, & Placentiam: vltra eam eſt Trebia. Pulſis autẽ per varia tempora Gallis, Pleraque Romanos occupaſſe, declarant frequentes eorum coloniæ, Bononia, Mutina, Parma, Placentia, Cremona.

C Oſtendit & nomen Togatæ Galliæ, (ſic enim hæc regio poſtea eſt appellata) quod abeò ductum videtur, quòd ei Prouinciæ Togæ Romanæ vſus conceſſus eſſet. Hoc autem nomen ea regio primùm tulit, quam Senones tenuerant; inde autem & Boijs, qui finitimi erant Senonibus exturbatis, idem nomen communicatum puto. Sequitur vt paucis de Liguribus agamus. Inuenio itaque Ligures, qui cis Alpes habitabant in duas partes fuiſſe diſtractos; Tranſapenninos & Ciſapenninos. Tranſapennini fines a meridie mare Liguſticum; a Septemtrione Apennini iugum ab Oriente primùm Macram amnem; poſt impetu in Etruriam facto Arnum; ab occaſu eiuſdem Apennini & Alpinini congreſſum ad
D Nicæam habuerunt. atque ex his alij Montani, alij Maritimi appellati. Montani vt in veteribus rerum Italicarum Commentarijs ſcriptum eſt, a Nicæa vnde Apenninus attollitur, vſque ad fontes Macræ pertinuerunt: a Macra autem vſque ad Arni fontem Ligures Apuani. Maritimi verò a Maſsilia, vt ait Polybius, vſque ad Piſas, quod primum opidũ ex Liguribus in Tuſcos eunti occurrit: quamquam illud etiam Trogus in Liguribus, vt ea ferebant tempora collocarit. Ceterùm a Piſis opido Romam vſque Etruria pertinebat; hoc eſt, vti ego ex Polybio auctore nulla in re contemnendo interpretor, inter Arnum Tiberimque flumina concluditur.

GALLIA TOGATA.

LIGVRES.

PISAE.

ETRVRIA QVAE ET TYRRHENIA.

ETruriam, quæ olim Tyrrhenia dicebatur, ab antiquis in tres partes A
distinctam inuenio, quarum vnam Maritimam appellarunt: alteram Ciſciminiam, tertiam Tranſciminiam. Maritimæ opida a Tiberi ad Arnum progredientibus ſecundùm oram maritimam obeuntibus, aut non longè ab eadem diuertentibus hæc occurrebant: Phregenæ, Alſium, Cære, Pyrgi, Sabate opidum cum lacu, Caſtrum nouum, Tarquinij, Grauiſcæ, Coſa, de qua paullopòſt latius acturi ſumus; itidem Volcæ, Telamon promontorium, Labro, Populonia, Volaterræ; & vnde initium ſumſimus Piſæ. Ciſciminia omnem regionem cis Ciminium mõtem continet; quæ eſt inter Tiberim regionẽ maritimã, & iuga Ciminia quo in ſpatio erãt, Veij, & de quibus ex ordine pr ſequemur, Falerij ſiue B
Faliſci, Caperra, Nepet & Sutrium, lacus Ciminus & Vadrinonis. Tranſciminia, vt eſt in Epitomis rerum Italicarum antiquis, a iugis Ciminijs ad Piſtorium pertinuit, atque opida habuit Ferentiam, Troſſulum nouem millia paſſuum citrã Volſinios teſte Plinio, Bleram, Cortonoſſam, Contenebram Salpinates, Cluſium, Ruſellas, Senas, Fluentinos qui & Arnienſes dicebãtur, Fæſulas, Piſtorium, Stellates, Arretium, Crotonam, lacum Traſimenum, & Peruſiam. Quemadmodũ autem Latinorum, ſic & Etruſcorũ commune quõdam cõcilium fuit ad Fanum Volturnæ: quo in loco duodecim Etruriæ per ea tẽpora principes populi de ſummarum conſultare, ac de bello paceque ſtatuere ſoliti ſunt. fuerunt autem C
vti accepimus hi, Veientes, Cærites, Faliſci, Vulſinienſes, Cluſini, Peruſini, Arretini, Ruſellani, Volaterrani, Populonienſes, Piſani & Fæſulani. vt autem quique ex his proximi vrbi Romæ fuerunt, ita primi bello Romano tamquam continenti quodam incendio conflagrarunt. Proximi autem fuêre Veientes, quorum agrum Tiberis a Cruſtumino & Fidenate (qui in Sabinis ſunt vt ait Plinius) diuidit, duodecim paſſuum mil libus procul a Roma. Cum his ergo primùm acie decertauit Romulus, cum pro Fidenatibus conſanguineis ſuis arma cepiſſent; eoſq; prœlio fuſos, ea agri parte quæ Tiberim attingebat & ſeptem pagi dicebatur, ceteriſque quæ ſunt ad fluminis oſtium locis teſte Dionyſio multauit. D
Eoſdem deinde ſæpius rebellantes reliqui ferè omnes qui Romulum ſecuti ſunt reges deuicerunt: e quibus Ancum Martium tradit Liuius ſilua Mæſia Veientibus ademta, vſque ad mare imperium prolataſſe, atque Oſtiam in ore Tiberis condidiſſe. Inde verò regnante Priſco, reliquam Etruriam belli Romani contagione arſiſſe in Dionyſij hiſtoria ſcriptum inuenio, cum quinque Etruriæ populi arma cum Latinis iunxiſſent: eoſque ad Eretum in agro Sabinorum prœlio victos leges pacis accepiſſe. Poſtea C. Iulio. Q. Fabio Coſs. Veientibus agrum Ro. populantibus, nec res reddentibus bellum eſt indictum: idque per octo annos continuos geſtum,

COSA.

FALERII. FALISCI.

ETRVSCORVM CONCILIVM.

A geſtum. quo bello trecenti & ſex Fabij, qui ſibi hoſtem illum depopoſcerant, ad Cremeram amnem deleti ſunt. Deinde L. Quinctio, M. AEmilio, L. Iulio Tribunis militum conſulari poteſtate, Fidenates legatis Romanorũ interfectis ad Lartem Tolumnium Veientium regem defecére; Vejentibusque arma capientibus, Faliſci de quibus ex ordine ſcribemus, ſeſe adiunxerunt.

ΦΑΛΕΙΩΝ.

FALISCI Argiuorum Colonia.

B AGAMEMNONE Mycenarum & Argiuorum rege Clytemneſtræ vxoris adulteræ, & AEgyſthi adulteri inſidijs cæſo, cum AEgyſthus regnum quod per ſcelus inuaſerat, Tyrannide & crudelitate premeret; Haleſus Agamemnonis ex Briſeide vti quidam, vti alij ex Clytemneſtra, filius, (alij aurigam ipſius fuiſſe tradunt) AEgyſthi ſæuitiam veritus aſſumta voluntariorum & clientium ex Argis manu in Italiam profectus, cum ad Maſicum montem cõſediſſet, poſtea ibi vrbem con- FALISCA CONDITA.
didit: vrbique & genti a ſe nomen fecit. Haliſcam enim vrbem, & Haliſcos ab Haleſo auctore & conditore prius dictos tradunt nonnulli; qui
C poſtea Faliſci vocati ſunt, aſpirata in F. digamma AEolicum commutata; eadem ratione, qua Dionyſius tradit priſcos Græcos conſueuiſſe nominibus a vocali incipientibus præponere digamma illud F. additis ad lineam rectam duabus obliquis: ita vt pro ἑλενη, οἰκος, ἀναξ, ἀνηρ proferrent, Fελενη, Foικος, Fαναξ, Fανηρ, & multa ſimilia, cui ſuffragatur quòd & in numiſmatibus antiquis ΦΑΛΕΙΩΝ non per Φ ſed F digamma loco aſpiratæ præpoſito ſcriptum videmus. Haleſus autem vti noui ciues originis ſuæ admonerentur, tẽplum Iunoni Argiuo illi ſimile erexit; in quo ijdẽ ſacrorũ ritus annui obſeruarentur; eſſent ſacrificiorũ ſimiliteſq; apparatus & cultrices templi ſacrificulæ, & puella innupta, quam Cane-
D phoron appellabãt ſacrificium auſpicari ſolita; præterea chori virginum quæ in veſte alba quàm poterant ſplendidiſsimè cultæ incedentes carmen patrium in laudem Deæ canebant: ac vias quacumque ſacerdotes cum victimis reliquoque ſacrificij apparatu incederent, veſtibus floribuſque ſternebant. Capram autem in templum illud Iunonis inferre nefas erat. Haleſus poſtquam vrbem ab ſe conditam optimis legibus inſtitutiſque ornaſſet; auxilium Turno Rutulorum regi aduerſus AEneam & Troianos ferens, in prœlio occubuit. Poſt eius mortem Faliſci cum aliquamdiu libertate potiti fuiſſent; in ius tandem ditionemque Etruſcorum; qui maximam Italiæ partem olim armis domuerunt,

conceſ-

conceſſére: Et inter duodecim Etruriæ populos deinceps annumerati A
ſunt. Vrbi tamen gentiq́ue Faliſcorum, ſuæ leges ſuaq́ue inſtituta permanſére. Duas præcipui nominis vrbes Faliſcis fuiſſe quidam tradunt, modico a ſe interuallo diſtantes, quarum prior Faliſca ſiue Faliſcum a conditore, vti iam diximus, appellata fuerit: altera Faleria ſiue Falerium a Falerio Argiuo Haleſi comite nomen ſortita. Alijs placuit Falerium opidi nomen eſſe; gentem verò Faliſcos dici. De Falerio addit Dionyſius, etiam ſuo ſæculo quamuis a Romanis habitaretur, ſcintillas tamen Pelaſgici generis ſeruaſſe; multaq́ue moris Græcanici longiſsimo tempore apud Falerias perduraſſe; vti armorum ornatus, haſtas & Clypeos Argolicos: ſacrorum quoque apparatus, ædes Deorum expiatio- B
nes, ſacrificia & multa ſimilia. Ager Faliſcorum quamuis multa ſui parte aſper & montoſus, lætiſsimis tamen paſcuis abundabat; & lino admodum fœcundus erat. perlabebatur Faliſcorum regionem Clitumnus amnis, eo miraculo celebris quod eius aquæ potæ albedinem armentis inducerent. Nihil quod memoria dignum ſit, a Faliſcis ante annum ab vrbe condita CCCXVI. geſtum: hoc demum anno ſocietatem Lartis Tolumnij Veientium regis, & Fidenatium ſequuti, arma Romanis intulerunt. Aduerſus quos Mam. Aimilius Dictator ab Romanis miſſus, ingenti eos prœlio ad Nomentum cæſo inter cæteros Veientium rege ſuperauit. Sequenti inde anno, Conſules Romani agrum Faliſcum C
ingreſsi, quum intra muros ſe contineret hoſtis, omnia latè depopulati, quòd peſtilentia Romæ ſæuiſsimè graſſaretur reuocati, pactis cum hoſte inducijs legiones ex agro Faliſco abduxére. Quieuére inde Faliſci vſque ad annum ab vrbe cõdita CCCLI. quo anno inita cum Capenatibus ſocietate, caſtra Romanorum, qui tum Veios circumſedebant, inuaſére; ipſis ſimul Veientibus eruptionem facientibus: ita vt hinc Veiente, inde Faliſco prementibus conuerſæ in aduerſa Romanorum legiones, aliæ aduerſus Faliſcos & Capenates, aliæ aduerſus Veientes erumpentes depugnarent. Sed diſſentione M. Sergij & Verginij tribunorum, qui priuatis inter ſe odijs diſsidebant, ac binis quæ Romani ad Veios habebant D
caſtris, hic maioribus ille minoribus præerant, factum eſt, vt dum Sergius cuius caſtra hoſtes oppugnabant, opem ab inimico per arrogãtiam petere dedignatur; Verginius verò pari pertinacia auxilium collegæ laborãti vltrò ſubmittere differt, Faliſci interea, Capenates ac Veientes caſtris Romanorum paucis effugientibus potirentur. Quæ clades vbi Romæ acepta eſt, Sergio & Verginio propter mutuas diſcordias magiſtratu abire iuſsis, alij in locum illorum creati ac Veios miſsi, Faliſcos Capenateſque magna cum cæde caſtris eijciunt. Faliſci nouis ſtatim copijs conſcriptis accitiſque Capenatibus, cum rurſus caſtra Romanorũ

FALISCORVM ADVERSVS ROMANOS RES GESTAE.

aggrede-

A aggrederentur non ſine ſtragi repulſi, pluribuſque inde alijs ſuper alias cladibus fracti, auxilium a communi Etruriæ concilio ad Veientes obſidione Romanorũ liberandos per legatos petiére. Verùm Etruſci cum prius Veientibus hoc negaſſent, ſe ne tunc quidem aduerſus Romanos auxilia miſſuros reſponderunt: ſi qui tamen ex iuuentute ſua voluntarij ad bellum ire velint non prohibituris. Eo cum reſponſo regreſsis domum legatis, ingens voluntariorum numerus ex Etruria ad Faliſcos acceſsit: quorum acceſsione aucti Faliſci accitis Capenatibus in Romanos mouerunt. His L. Titinius & Cn. Genutius Tribuni militum cum exercitu obuiam facti, dum fortiùs quàm cautiùs pugnant, in inſidias
B præcipitantur. Genutius fortiter pugnans occubuit. Titinius collectis ex multa trepidatione militibus in editum tumulum euaſit. Ea clades Romam perlata, quum maiorem quàm pro re terrorem feciſſet, M. Furius Camillus Dictator dictus eſt. Is cum P. Cornelio Scipione magiſtro equitum profectus, ac Faliſcos in agro Nepeſino cum Capenatibus adeptus, eoſdem magna ſtrage fudit; ſimul etiam caſtris exuit: inde & Veios cepit. Poſt biennium inde Romani Camillum Tribunum militum creatum rurſus contra Faliſcos miſére: qui ſtatim cum exercitu agrum Faliſcum ingreſſus, caſtra haud procul ab vrbe Faleria poſuit. Tenebant ſe prius mœnibus Faliſci donec populationibus agro-
C rum & villarum incendijs irritati vrbem egreſsi in aperto caſtra locarent: ita tamen vt præ metu Romanorum haud longiùs quàm mille paſſus ab vrbe progrederentur, loco quàm caſtris ceperãt aſpero vndiq; & prærupto fidentes. Ceterùm Camillus motis noctu caſtris dum Faliſci caſtris ſuis egreſsi in Romanos caſtra in ſuperiore tumulo muniẽtes opus impedituri impetũ faciunt, fuſis fugatiſque, ac præter caſtra propria in vrbem cõpulſis Faliſcis, caſtra etiam illorum cepit. Circumſideri inde vrbs & munientis claudi cœpta eſt, cumque leuibus interdum per eruptionis occaſionem prœlijs tempus tereretur, neutrò inclinante ſpe, maximè cum frumentum aliaque neceſſaria largiùs obſeſsis quàm obſiden
D tibus ſuppeterent; videbatur hæc obſeſsio non minùs diuturna quàm ad Veios fuiſſet futura, ni caſus inſpiratus Imperatori Romano fidei integritatiſque opinionem & maturam ſimul victoriam peperiſſet. Quum moris eſſet apud Faliſcos eodem liberorum præceptore ac pædagogo vti, Falerij ſub vno Ludimagiſtro pueri ſimul complures, & in his etiam principum liberi erudiebantur. Is cum in pace conſueſſet pueros ſuæ curæ commiſſos, ante vrbem luſus exercitationiſque cauſſa producere; & ne in bello quidem eum morem intermitteret; accidit, vt dum variatis ſermonibus & luſibus pueros ſolito longius a porta trahit, ſimul & intra hoſtium Romanorum ſtationes, deinde in caſtra, denique & in

prætorium perduceret:puerosq; coram Camillo adducens addidit; Fa- A
lerios se in potestatem Romanorum tradidisse;quando eos pueros quorum parentes summam rerum in vrbe teneant, ipsi dediderit. Sed Camillus tantam hominis perfidiam execratus, spretum increpatumque, manibus a tergo reuinctis, ac detractis vestibus denudatum, pueris tradidit: virgas quoque quibus illi proditorem verberantes in vrbem agerent, dari iussit. Falerij tantam in hoste fidem ac iustitiam admirati, depositio statim omni in Romanos odio, legatos ad Camillum, deinde permissu Camilli Romam ad Senatum mittunt; qui Falerios ac vrbem ipsorum in fidem potestatemque Romanorum dederent. atque ita Falisci in fidem receptis. quo plebs Romana eo anno a tributi onere leua- B
retur,pecunia quanta in stipēdium annuum militibus sufficeret, Falisci imperata est: ac pace concessa,legiones ex agro Falisco abductæ sunt. Haud diu in fide perstitére Falisci; namque C. Martio & Cn. Manlio Cos.postquam occultè prius arma cum Tarquinienſibus sociassent;Romanis per fæciales res repetentibus non reddiderunt: nihil tamen memorabile ab ijs Consulibus contra Falisco gestum: sed anno insequenti,quo M. Fabius Ambustus & M. Popillius Lenas vterque secundum Cos.fuére,Fabio bellum contra Falisco obuenit: qui cum Legionibus in Falisco profectus, a Falisco Tarquinienſibusque cum instructo exercitu occurrentibus prœlio superatus est. iniecerat terrorem,turbauerat- C
que insolita specie primo congressu Romanam aciem,quod sacerdotes Falisco agmen suum cum facibus ardentibus,anguibusque prælatis incessu furiali præcedebant. Sed postquam Consul,Legati,Tribunique, milites puerorum more vana pauentes irrisissent, increpassentque, pudor animos a priore trepidatione in ferociam conuertit; discussoque vano hostium apparatu ac facto in armatos impetu, funduntur, sternunturque Falisci cum Tarquinienſibus: tota denique acie in fugam compulsa etiam castris exuti sunt. Hac clade irritati potius quàm fracti animis Falisci; totam in Romanos concitant Etruriam; ingentibusque Etruscorum copijs aucti ad Salinas castrametantur. At C.Martius Ru- D
tilius Dictator in hos profectus ancipiti primùm prœlio certauit; sed acriore impressione facta,auersis in fugam hostibus, castris etiā ipsorum potitus est. Ita Falisci accisis rebus suis, trepidi intra fines suos se receperunt: assidua inde agrorum vastatione coacti pacem supplices ab Romanis petierunt,impetraruntque. Eam pacem quum integra aliquamdiu fide coluissent, rursus L. Papyrio Cursore Sp. Caruilio Cos. arma cum Etruscis aduersus Romanos sociarunt: contra eos missus Consul Sp. Caruilius, Falisco multis cladibus fractos pacem denuò petere coëgit. Rebellasse inde iterum Falisco post bellum Punicum secundum,

PAX INTER FALISCOS ET ROMANOS.

& cum

A & cum ijs duce A. Manlio Torquato Conſule debellatum eſſe inuenio. Is namque ducto in agrum Faliſcum exercitu, occurrentes ſibi Faliſcos prœlio fudit: deuaſtatoque agro Faliſco exercitum ad Faleriam vrbem admouit, eamque per vim captam euertit: totum inde nomen Faliſcum ſexto poſtquam venerat die in deditionem accepit. Manlium de Faliſcis triumphaſſe Faſti Capitolini teſtantur. Deductam ab Romanis in Faliſcis Coloniam Iunoniam Faliſcam inuenio; coloniſque agros ab Triumuiris aſsignatos: ſed quo id tempore factum ſit nobis ob ſcriptorum incuriam incertum eſt. Quia autem Faliſci ſub eodem parallelo cum Coſis maritima Etruriæ vrbe a Ptolemæo recenſentur, fecit eadem B parallelorum æqualitas, vt a Faliſcis ad Coſanos maritimos Etruriæ populos tranſiremus.

FALERIVM CAPTVM ET IVERSVM.

FALISCA COLONIA IVNONIA.

COSAE.

KOΣΩN.

COSAM auctor eſt Plinius Vulſinienſes qui inter duodecim principes Etruriæ populos recenſentur, ædificaſſe. De Vulſinienſibus itaque vt Coſanorum maioribus, pauca & explorata, vt accepimus, in medium adducturi ſumus. Captis Veijs L. Valerio potito, M. Manlio Capitolino Coſs. nouum bellum cum Vulſinienſibus exortum eſt: C quo quum propter famem & peſtilenitiam exercitus Ro. duci nequiret; Vulſinienſes ob id animis elati; Salpiniatibus adiunctis, agros Romanos vltrò incurſauére. itaque duobus inde populis bello indicto, cum Vulſinienſibus pugnatum. Fuſa primo concurſu in fugam acie, octo armatorum millia ab equitibus Ro. intercluſa, poſitis armis in deditionem venerunt. Vulſinienſibus bello feſsis, ea condicione, vt res populo Ro. redderent, inducię in viginti annos datæ ſunt. Obſeruo quoque a L. Poſtumio Megello Conſule, traductum in Etruriam exercitum principio Vulſinienſium agrum vaſtaſſe: deinde cum Vulſinienſibus ad tuendos fines egreſsis haud procul mœnibus ipſorum depugnaſſe: duo mil- D lia & ducentos Etruſcorum cæſos; ceteros vrbis propinquitate tutos fuiſſe. inde tres validiſsimas Etruriæ vrbes, Vulſinios, Peruſiam, Aretium pacem petijſſe; & veſtimenta frumentumque pro militibus cum Conſule pactos, miſsis Romam oratoribus, indutias in quadraginta annos impetraſſe. In fragmentis Tabularum Capitolinarum ſcriptum eſt, Ti. Coruncanium de Vulſinienſibus & Vulcientibus triumphaſſe: quod ideo hîc adſcripſi, quod Plinium prodidiſſe videam, Coſam Volciętium vrbem (quo loco alijs Vulſinienſium nomen ſubſtituere placuit) a populo Ro. deductam. Paterculus etiam auctor eſt, Coſam & Pæſtum Fabio Durſone & Claudio Camina Coſs. vtramq; ad mare Etruſcum;

COSAE.

COSA COLONIA.

illam in Etruria, istam in Campania vt suo loco memorauimus deductam. Plutarchus quoque tradit Narniam & Cosam a T. Quinctio Flaminino ante consulatum deductas. Ceterùm octogesimo ferè quàm deducta fuerat anno L. Furio Purpureone, M. Claudio Cos. Cosanis postulantibus, vt sibi colonorum numerus augeretur, mille adscribi iussi sunt; dum ne quis in eo numero esset, qui post L. Cornelium, & Ti. Sempronium Cos. hostis fuisset. Est & illud obseruatione dignum, quod Liuius memoriæ prodidit, difficillimis reipublicæ & belli Punici temporibus, recenseri Cosanos inter eos colonos, qui in fide manserunt. nam quod idem Liuius prodit Cossanos ab Hannibale per fraudem interceptos. procul dubio de ijs hoc intelligendum, quos inter OEnotrios Stephanus recenset. argumento est, quod idem scribat, Hannibalem post Cannensem cladem, a Statio pollicente se Cossam traditurum, in Hirpinos ea occasione euocatum fuisse. mox rem gestam paucis in hanc ferè sententiam prosequitur. Cossanum fuisse nomine Trebium nobilem inter suos, sed factione familiæ quæ per gratiam Romanorum potentior erat oppressum, rem ad Hannibalem inclinasse, quem Cannensi pugna ferocem cum exercitu aduenire nunciabat, & vulgi sermonibus spargebat: Cossanos itaque ob metum Hannibalis vrbe excessisse: vacuã vrbem sine certamine occupatam & præsidium Punicum acceptum: Cossam cum alijs aliquot Samnitium vrbibus, paullopòst a Q. Fabio Consule vi receptam fuisse. Idem Liuius quum sub Q. Fabio Maximi filio, & Ti. Sempronio iterũ Cos. prodigia quæ nunciata erant enarrat, inter cætera refert arma in Iouis Vicilini templo, quod in agro Cosano erat, concrepuisse. quod vt de Cosanis Etruscis intelligi possit, facit Cosanorum numisma quod hîc exhibemus: in eo namque ab auersa parte Aquila Iouis ales dextro pede cõtextam e lauro corollam, sinistro sceptrum premit; non ambiguo symbolo Iouis numen in ea colonia in veneratione fuisse. Numisma autem istud ad Coloniam referendum iccirco nõnulli opinãtur, quod ab aduersa parte aut coloniæ alicuius magistratum; aut certè Cosam nouis colonis, vt ex Liuio memorauimus, auctam fuisse Triumuirorum symbolo exprimi credant. Sunt qui de colonia quidem cum præcedentibus eadem opinentur; sed quod in numismate tres viri ad iter accincti adpareant, ad Cosanorum calamitatem referant; qua ob Soricũ copiam sedes suas deserere coacti sint: vt a Volaterrano quoq; memoriæ proditum est. eam tamen fabulã a Rutilio Numantio poëta, qui multis ante sæculis sub Honorio Augusto vrbis præfecturã gesit, irrisam fuisse obseruo; nec verisimiliorẽ haberi quã gruum cum Pygmæis pugnam multorum figmentis celebratam. Verùm quod ad vrbis situm pertinet, ex Strabone (vti & ex Ptolemæi quoque tabulis)

A bulis) obſeruo, Coſas haud procul a mari Tyrrheno exſtitiſſe; in ſinu autem illo tumulum fuiſſe ſublimem, in quo opidum a Vulſinienſibus ſiue Volciētibus exſtructum fuerit: ſub tumulo portum Herculis fuiſſe, & lacū ex mari ſalſum: ad ſinus ipſius oram Thunnos venantiū ſpeculam exſtitiſſe: Thunnum namque piſcem, non modò glandes, verùm etiam purpuras, quarum magna circa has oras frequētia erat, proſequi. Coſam plerique auctores numero ſingulari; quidam numero plurali Coſas proferunt. & ſic numiſma antiquum exprimit ΚΟΣΩΝ Virgilius quoque ſcribit. Quiſque vrbem liquêre Coſas. Præterea apud pleroſque Coſſa & Coſſani cum. ſſ. geminato: legimus: alij per ſ. ſimplex Coſa &
B Coſani ſcripſere, ſicuti & numiſma antiquum, cuius auctoritatē ſequuti & nos ita ſcripſimus. Vltra Coſam Populonia erat, vna ex duodecim Etruriæ vrbibus, quæ ad commune concilium ad Volturnæ fanum, vt memorauimus, conuenire ſolebant. Vlterius ad Arni & AEſaris confluentem Piſæ opidum, a Piſanis, qui e Peloponeſo cum Neſtore aduerſus Ilium militarunt, conditum. Vltimum illud Etruriæ opidum erat, & Liguribus proximum: atque hinc eueniſſe opinor quod Liuius Piſas pro Liguriæ prouincia vſurpauerit; quum ita ſcribat P. Porcius Læca Prætor ſortitus eſt Piſas, vt ab tergo Liguribus eſſet. PISAE.

C LIgurum natio, vt auctor eſt Dionyſius, antiquiſsima, & regio latiſsima fuit: quippe quæ ante Gallos Italiam inſederit; nec ſolùm Italiæ, ſed etiam Galliæ vlterioris partem non modicam obtinuerit, in qua Saluues Deceates, Oxybij & Vocontij Ligures habitarunt. vnde autem in Italiam aut in Galliam venerint, idem pro incomperto reliquit. Maritimos Ligures Polybius a Maſsilia ad Piſas vſque extendit. quamquam Piſas quoque Trogus in Liguribus collocarit. quæ ora opida habuit Fanum Herculis, Lucum Feroniæ, Lunam, & poſt Macræ fluminis oſtium, Erycis ac Veneris portum, Tigulliam, Genuam, Vada Sabatia. Albingaunum, Albium Intemelium, Herculis Monæci portum,
D Nicæam, & finem Italiæ Varum flumen. Vltra flumen a mari Gallico vſque ad Druentiam Salluui gens Liguſtica (vt memorauimus) habitarunt per ſtadia quingenta, ſiue millia paſſuum LXII. vt Strabo auctor eſt. vltra Varum itaque inter Salluuos Tauroentium, Olbia, & Antipolis erant, Maſsilienſium vt Strabo & Stephanus prodiderunt, coloniæ. Addit Strabo Antipolin quæ in Narbonenſi prouincia ſita erat, inter Italicas ſua adhuc ætate vrbes annumeratam; Nicæam Liguriæ Maſsilienſibus attributam; & quum ſuper eo iure Miſsilienſes Antipolitanis litem in Senatu Romano mouiſſent, Antipolitanos iudicio a Maſsilienſium imperio fuiſſe liberatos. Antipolitanos vnà cum Salluuis in po- LIGVRIA. SALLVVI. ANTIPOLIS.

teſtatem populi Romani veniſſe opinor: quum namque Salluui & Vo- A
contij, Maſsilienſes bello & incurſionibus vexarent, Maſsilienſes qui ab origine (vt paullopòſt latiùs explicabimus) Romanorum ſocij fuerant & inter Salluuos ad mare habitabant, opem & auxilium a Romanis petierunt & impetrarunt: miſsiſque ad bellum Allobrogicum (quod non ſolùm contra Gallos Allobroges, ſed & aduerſus alios complures vicinos populos, & in his Salluuos & Vocontios geſtum eſt) C. Sextius Caluinus Cn. Domitius Ahenobarbus Conſules Salluuos & Vocõtios edomuerunt, deſque ijs triumpharunt, vti apparet ex antiquo fragmento marmoreo Faſtis Magiſtratuum & triumphorum Romanorum a nobis editis, adiuncto. Atque hæc qua potuimus breuitate perſtrinxi- B
mus; vt quæ deinceps de Maſsilia dicturi ſumus, & de Antipoli & Athenopoli ceteriſque Maſsilienſium colonijs commodius intelligi poſsint.

ΑΝΤΙΠΟΛΙΤΩΝ.

ANTIPOLIS Maſsilienſium Colonia.

ANTIPOLIS A MASSILIENSIBVS CONDITA.

ANTIPOLIN a Maſsilienſibus vltra Varum flumen ſicuti Tau- C
roentium & Olbiam; cis Varum autem Nicæam contra Barbarorum inſultus conditas fuiſſe Strabo teſtatur: quò nauigantium commercia, & mare a piratis libera eſſent, ſi ipſi loca montana vti & portus

SALLVVI LIGVRES.

præcipuos in poteſtate haberent. Idem tradit Græcos Ligures omnes a principio Salluuos appellaſſe; regionemque eam Liguſticam quam Maſsilienſes tenebant: Romanoſque contra iſtos primùm arma mouiſſe, eò quod ipſis tranſitum in Hiſpaniam intercluderet: latrocinijs namque ipſorum omnia terra marique quàm latiſsimè infeſtabantur: opibuſque vſque adeo accreuerunt: vt octogeſimo demùm anno iter

ANTIPOLIS MVNICIPIVM.

D
publicum per ipſorum regionem exercitui Romano ad ſeſquimiliare pateret. Meminit Antipolis Tacitus in bello Vitelliano, vocatque Municipium Galliæ Narbonenſis: atque illud eſſe puto, quod iam ex Strabone meminimus; Antipolin contra Maſsilienſium diſceptationem Italiæ fuiſſe attributam. Ptolemæus Antipolin inter Deceates ſub longitudine XXVII. latitudine quadraginta trium reponit. nunc de Maſsilia dicendum.

ΜΑΣ.

ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ.

MASSILIA Phocæorum Colonia.

MASSILIAM omnium ſcriptorum etiam antiquiſsimorum monumentis celebratam, diximus ſitu ſuo perſtringere eius trianguli verticem, quo Polybius Italiam tribus lateribus circumſcribit: adhæc eodem auctore, maritimos Ligures a Maſsilia vſque ad Piſas extendi; atque Alpes a Maſsilia propè in orbem ad Tergeſte vſque in ſinum Adriaticum ductas, occidentis & Septemtrionis Galliæ partes tueri. atque hæc quantum ad Maſsiliæ ſitum, quo Italiam Liguresque Gallos contingebant: ſupereſt vt de vrbis ipſius origine & maioribus diſſeramus. MASSILIA.

Obſeruo itaque Maſsiliam coloniam fuiſſe Phocæorum, videlicet eorũ qui in Ionia fuerant. Phocæam enim Athenienſes vnà cum Philogene in Ionia haud procul a Smyrna condiderant: nomenque vrbi a Phoca vitulo marino, qui dum fundamenta vrbis iacerent ipſis apparuiſſet, fecerant. Maſsilia verò tali occaſione & cauſſa condita eſt. Cyrus Perſarum rex quum Cræſum Lydorum regem opibus ſuperbientem armis edomuiſſet, & in poteſtatem redactum regno ſpoliaſſet, maritimis Ioniæ & AEoliæ regionibus Harpagum ducem præfecerat. Is quum ſuperbè admodum & ex libidine dominaretur, metum Phocẽſibus incuſſit: quos vt tumultuari accepit, tamquam vrbem obſeſſurus propius ad Phocæam mouit. Phocenſes verò vt vim ab Harpago parari vident, noctu qui elabi poterant, conſcenſis cum familia nauibus in Epheſum vela faciunt: idque ex omine quod fortè nauigationis eiuſdem gubernatori exciderat, conſulendam videlicet eſſe Dianam, quò curſum oraculo ſuo dirigendum Dea reſponderet: Dianam namque tota Ionia magna veneratione colebat. Nocte verò eadem quà Phocenſes Epheſum appulſi fuerant, Ariſtarcha inter Epheſias matronas honeſtiſsima, vidit Dianam in ſomno monentem, vt vnà cum Phocenſibus accepto ſecum quodam ſimulacro nauigaret. Italiam itaque ex Deæ oraculo petunt: pars in Lucania Veliam (vt ſuo loco proſequuti ſumus) ſiue Hyelam condidiſſe; ceteri regnante Tarquinio Priſco cum Romanis ſocietatem coiuiſſe ſcribuntur, inde cum tota claſſe Phrurio & Perano ducibus in Galliam Braccatam profecti, Maſsiliam Ariſtarchæ monitu ad Rhodani oſtia iuxta Ligures condiderunt: loco rupibus & cautibus aſpero, cui portus in formam Theatri ſubiacebat: vrbeque mœnibus ampliſsimis cincta arcem exſtruxére; templumque in arce Apollini Delphico (quod Delphi in Phocide ſiti eſſent) vti & alterũ Dianæ Epheſiæ ſplendidiſsimum, ob oracli memoriam condiderunt. Ariſtarcham, MASSILIA PHOCAEOR. COLONIA.

quam

quam ſummo in honore Phocenſes habebant, eiuſdem Dianæ ſacerdo- A
tem creatam fuiſſe memoriæ proditum eſt. conſentiunt cum hiſtorijs
numiſmata; Apollinem namque & Dianam a Maſsilienſibus cultos
fuiſſe tam Apollinis quàm Dianæ capita & Tripodes Maſsilienſium nu-
miſmatibus expreſſa abundè teſtantur. Accedit adhæc, quod a Pau-
ſania in Phocaicis memoriæ proditum eſt, Maſsilienſes Delphis in æde
Mineruæ Phronææ (Prouidæ Latinè diceres) æneum Apollinis ſignum
dono poſuiſſe; eoſdemque Phocenſium, quæ Ioniæ gens fuerat, colo-
nos fuiſſe; partem eorum qui ex Phocæa Harpagū Medum effugiſſent:
donum ideò Apollini æneum poſuiſſe, quod occupata quam tunc tene-
bant in Gallia regione, nauali pugna Carthaginienſes viciſſent, illudque B
ex decima de Pœnis ſuperatis dedicaſſe. Addam & iſtud quod numiſ-
matibus aliquid adferre poterit; Maſsilienſium Apollini proximum
fuiſſe Leonem æneum, a Phocenſibus qui agrum Eleaten incolebant,
obſidione qua a Caſſandro vrgebantur liberatis miſſum. quum itaque
Phocenſes Ioniæ genus & originem ad Phocenſes Græciæ referant, in
ſuſpicionem adducor hinc toties in Maſsilienſium numiſmatibus leonē
apparere. Sunt qui nono quod inter Maſsilienſiū ſpectatur numiſmate,
Ariſtarchæ ſacerdotis Dianæ faciē exprimi credant: Taurum verò cor-
nupetam quem poſtremū numiſma exhibet, coloniæ ſymbolū eſſe: piſ-
ciculum aūt qui tauro imminet ideo additū quod eo loci vti Mela te- C
ſtatur, eiuſmodi piſcium genus effodiatur: aut quod maritima ſit colo-
nia. Refert inter prodigia Liuius quod alij naturæ loci attribuunt: in eo
Galliæ agro quà aratrū inducebatur, ſub exiſtentibus glebis piſces emer-
ſiſſe. atque iſta quidē ſunt quæ ad numiſmatū rationem ex hiſtorijs ob-
ſeruare potuimus. Hactenus quæ ad originem vrbis pertinent pau-
cis enarrauimus; nunc ea quæ reipublicæ eiuſdē ſtatum auxerunt & con
ſeruarunt. Trogus qui ſeſe hiſtoriæ veritatem, atque ab initijs & prima
rerūpublicarum aut regum dominatione ſcripturum profitetur, in hanc
ferè ſententiā narrat. Frurium & Peranum claſsis Phocenſiū præfectos
ad Segoregiorum regem nomine Senanum, in cuius finibus vrbem con D
diderant, amicitiam petentes conueniſſe. Fortè eo die rex totus erat in
apparatu nuptiarum Gyptis filiæ: quam more gentis inter epulas gene-
ro qui præ ceteris placuiſſet collocare parabat: itaque quum ad nuptias
inuitati omnes proceſsiſſent, inuitati ſunt ad conuiuium & Græci, quos
nominauimus hoſpites. Introducta deinde virgo cum iuberetur a pa-
tre aquam porrigere ei quem virum eligeret, omnibus omiſsis ad Græ-
cos conuerſa, aquam Perano porrigit; qui factus ex hoſpite gener, locum
condendæ vrbis a ſocero accepit. Athenæus diuerſóſne auctores a Iu-
ſtini Trogo ſequutus; an ſuæ ætatis memoriam incertum, a Trogi nar-

ratione

A ratione variat, decimo tertio namq; libro hanc hiſtoriã euentu quidẽ eandẽ, nominibus tamen & tempore diuerſam prodidit. Nanum videlicet regem qui nuptias filiæ, quã Pettam vocat, parabat, Euxenum Phocenſem qui eò fortè acceſſerat, ad conuiuiũ euocaſſe. nuptias more gentis ea conditione & pacto celebrari ſolitas, vt ſponſa poſt cenam ad conuiuas accedens phiala miſta cuicumque ex præſentibus procis præbibiſſet & phialam porrexiſſet, eum ſibi maritum videri delegiſſe. Pettam itaque ingreſſam, ſiue caſu ſiue conſilio, phialam Euxeno obtuliſſe: atq; ita patrem Euxeno filiam in vxorẽ collocaſſe; maritum mutato vxoris nomine eandem Ariſtoxenã appellaſſe; atque in eius rei memoriã gen-
B tem Protiadarum a Proto Euxeni & Ariſtoxenæ filio apud Maſsiliẽſes multis poſtea ſæculis ceebrem fuiſſe. Vt autem inter conuiuales Athenæi & ſobrios Iuſtini ſermones nihil iudicij aut ſententiæ interponamus, quum Peranus per Glyptin Senani Segoregiorum regis filiam vicinis etiam amicus factus eſſet, Maſsilienſes cum Gallis & Liguribui rs es magnas gerere cœperunt, ſiue dum armis ſe aduerſus vim externam tuentur, ſiue dum vltrò eos a quibus petiti fuerant laceſsunt: ſicuti mortuo rege Senano contra filium eius Commanum accidit, qui quum Maſsiliam ex inſidijs intercipere conaretur, ſeptẽ Ligurum millia a Maſsilienſibus vnà cum rege cæſa ſunt: inſtitutumq; (quia Flora-
C libus dum ciuitas ſomno ac vino ſepulta eſſet, Commanus eam inuadere tentauerat) vt feſtis poſtea diebus portas clauderent; vigilias agerẽt ſtationes in muris haberent & peregrinos recognoſcerent. Vicére etiã nauali prœlio, vti ſupra ex Pauſania memorauimus Carthaginenſes. Ceterũ Maſsilia poſtquam a prima ſtatim origine diu cum finitimis luctata eſset, pace tandem cum ijſdem parta, rerum geſtarum fama, opum abundantia, colonorum frequẽtia, & armorum gloria, præcipuè autem populi Ro. ſocietate & amicitia propugnata florebat. Ciuitatem inde optimis legibus & Græca diſciplina inſtitutam & morum grauitate cõpoſitam, ſexcenti ex optimatibus (qui ab honoribus quos quoad viue-
D rent capiebant Τιμούχοι vocati ſunt) ſuo conſilio gubernabant. Fuitq; eadem reſpublica vel a prima origine & antequã Maſsilia conderetur, (cum Tarquinio namq; Priſco vbi primùm in Italiam appuliſsẽt, Phocenſes, antequam ſedes fixi ſsent, fœdus percuſſerant) amicitia & fœdere Romanis iuncta, vti iam ante cõmemorauimus; fidẽq; & fœdus ſemel percuſſum conſtanter ſeruatũt, & magna cum comitate ac benignitate coluerunt: ita vt nõ deſint auctores qui tradant Maſsilienſes quũ Romani arctiſsima obſidione a Senonibus Gallis in Capitolio obſeſsi libertatem auro appenſo redimere cogerentur, aurum & argentum tam publicum quàm priuatum ad conficiendum pondus contuliſſe: mœ-

MASSILIENSIVM RES GESTAE.

MASSILIENSIVM CVM ROMANIS FOEDVS ET AMICITIA.

ſtitiámque ob eaptam vrbempublico etiam luctu teſtatos. Pro quibus A
meritis,quum vicinorum ſibi inuidiam propter opum & commercio-
rum abundantiam commouiſsent,Salluumque armis vexarentur,po-
puli Romani auſpicijs & armis protecti ſunt. Exſtitére & noua populi
Ro.in Maſsilienſes beneficia,quum deuicto Ariſtonico Eumenis Aſiæ
regis ex Pellice filio,Phocenſes Ariſtonici partes ſequuti,deprecatoribus
Maſsilienſibus a ſenatu veniam obtinuerunt nec fuit exiguũ iſtud be-
neficium quia Phocenſes & tunc & antea Antiochi bello arma contra
Romanos infeſta tulerant. Adhæc bello ciuili inter Cæſarem & Põ-
peium,quum Domitium Pompeianum recepiſſent,Cæſarem excluſiſ-
ſent, poſtea a C.Trebonio Cæſaris legato & D.Bruto nauali prœlio vi- B
MASSILIENSES A CAESARE LIBERTATE DONATI. ĉti iterum a Cæſare libertate donati ſunt. Ceterum reipublicæ opti-
mè inſtitutæ ratio nobiliſsimum quemque Romanorum eo tandẽ pel-
lexit,vt qui antea diſciplinarum cupidi & ingenij excolendi cauſſa A-
thenas ſe conferre ſolebant,poſtea Maſsiliam ſeſe reciperent,ita hic in-
ter alios L.Antonium Iulij Antonij filium litteris operam dediſſe ſi-
cuti & Iulium Agricolam Taciti ſocerum,obſeruo.apud eoſdem quo-
que T.Annium Milonem exſilij ſedem elegiſſe Pædianus teſtatur, ali-
oſque aliquot viros virtute & doctrina nobiles ibidem habitaſſe cõſtat.
Suetonius quoque prodit Lucium M. Agrippæ filium ab Auguſto ad-
optatum,dum ad Hiſpanicos exercitus proficiſceretur, Maſsiliæ mor- C
tuum eſſe. Maſsilienſes inter alia præclara inſtituta, ſumtuarijs etiam
legibus luxuriæ modum impoſuerant: Athenæus námque auctor eſt,
Maſsiliẽſes vt mulierum pudicitiæ conſultum eſſet,vetuiſſe ne qua mu-
lier vinum guſtaret: atque vt pudicitiam dotem eſſe pulcherrimam cõ-
firmarent, legibus cautum fuiſſe,ne dos maxima centum aureos, ve-
ſtitus quinque,& totidem mundus muliebris excederet. Auctores ha-
beo qui Maſsiliam conditam ſcribant auno vrbis conditæ CLXX. quo
anno etiam Eclipſis Solis maxima circa initium Arietis, quàm Thales
Mileſius multis ante annis futuram prædixerat Olympiadis quadrage-
ſimæ octauæ anno quarto obſeruata fuit. Nomen vrbi factum,Maſsa- D
lia, ſi Stephano credimus inde putatur, quod quum Phocenſes ad terrã
appuliſſent,gubernator nauis piſcatorem quem Græci ἁλιέα vocant for
tè iuxta litus oberrantem inclamaret,iubens illum rudentẽ e naui pro-
iectum μάσαι id eſt alligare,μᾶσαι enim lingua Æolica eſt pro δῆσαι quod
eſt ligare dicitur, quaſi velit dicere Stephanus gubernatorem piſcatori
dixiſſe μᾶσαι ἁλιεῦς hoc eſt alliga piſcator,videlicet rudentem, atque hinc
Μασσαλίαν poſtea vocatã. ſic enim Græci proferũt. Quũ Maſsiliẽſes agrũ
incolerent frumenti non admodum feracem,vitem & oleum potiſsi-
mùm coluerunt & Gallos earum culturam & vſum docuerunt. atque

hinc

A hinc forſã in octauo Maſsilienſium numiſmate capiti Mineruæ vua ab occipitio adſignata eſt. eòdem etiam quidam referunt, quod in quarto numiſmate, oleæ ramuſculum expreſſum videmus. Addam è Plinio Maſsiliæ Pateram Iouis ex vite fuiſſe ad multa ſæcula incorruptã quod argumento eſt Iouem etiam a Maſsilienſibus cultum fuiſſe; cuius caput ſeptimo numiſmate ob eam cauſſam expreſſum credere licet. Maſſilienſes quum ciuium frequentia abundarent, non ſolùm in Liguria Colonias deduxerunt, vti memorauimus, Tauroentiũ, Antipolin, Agatham, Athenopolin, Olbiam, & Nicæam; verùm & in Celtiberia ſiue Hiſpania citeriore Emporias condiderunt. Emporitani, vt Strabo au-
B ctor eſt, Dianam Epheſiam eximia veneratione colebant, nempe originis ſuæ a Maſsilienſibus vti in præcedentibus diximus, memores. Habitauerũt ab initio Emporitani in quadam inſula, quam ſuo tẽpore Palæopolin fuiſſe vocatam idem auctor teſtatur: ſicuti Diopolin eã inſulæ partem quam murus a Palæopoli intercludebat: quæ & antea ex indigenis inquilinos habuerat qui etſi ſuam haberent rempublicam, communia tamen cum Græcis ad propugnationem mœnia incolebãt: eáque duplicata erant, medio dirimente muro: ſed temporis progreſſu eodem iure ciuitatis cum Hiſpanis vſi ſunt: quod & in alijs multis euenniſſe ſcribit Strabo, Barbaris Græcaniciſque legibus mixtim tempera-
C tis. Teſtatur & Liuius Emporias vrbem a Phocenſibus oriundam: Obſeruo in Epitomis Liuij ſcriptum eſſe a Q. Opimio Cõſule Tranſalpinos Ligures qui Maſsilienſium opida Antipolin & Nicæam vaſtabant edomitos. Ptolemæus Maſsiliam ab extremo Occidente horam vnam cum beſſe ſitam eſſe prodidit; latitudinem verò habere quadraginta trium partium cum quinque ſcrupulis. Stephanus tradit gentilicia nomina eſſe, Μασσαλιώτης, Μασσαλήτης & Μασσαλιεύς, Latini Maſsilienſes ſcribunt, quum tamen nominis ratio exigat, Maſſalienſes per primã non tertiã ſecundo loco vocalem. atque idem nomen ipſa numiſmata exprimant

MASSILIENSIVM COLONIAE.

EMPORIAS MASSILIENSIVM COLONIA.

D

DE COLONIIS GRAECORVM.



QVIA Coloniarum frequentiſsima noſtris in Commentarijs mentio occurrat eaéque partim iure, partim origine a Romanorum colonijs diuerſæ ſint operæprecium me in gratiam ſtudioſi lectoris facturum confidebam,ſi coloniarum a Romanis deducendarum ſex potiſsimùm cauſſas fuiſſe; a Græcis & alijs gentibus quatuor tantum fuiſſe paucis quãtum ex vniuerſa antiquitatis memoria repetere potui oſtenderem. Cur itaque Romani eum morem ſemel a Romulo cœptum & vſurpatum numquam poſtea intermiſerint,aut quotidie nouas colonias deducerent,aut veteres etiam renouarent, ſex potiſsimùm cauſſas reddi poſſe obſeruaui. Vnam ad priores populos coercendos,alteram ad hoſtium incurſiones reprimendas;tertiam ſtirpis augendæ cauſſa; quartam plebis vrbanæ exhauriendæ; quinctã ſeditionis ſedandæ;ſextam vt præmijs veteranos afficerent.quæ omnia vt nobiliſsimis antiquorum monumentis perſpicua ſunt, ita mihi de ijs vlterius non eſſe laborandum opinor. Romuli namque veſtigia ceteri reges;exactis regibus Senatus Populuſque, ac poſtremò Senatus populiq; auctoritate & poteſtate iam infirmata; Imperatores ſunt ſequuti. Ius autem coloniarum & rempublicam ipſarum ſingulis colonijs vt opportunum fuit adſcripſimus, & quo quæque occaſione, quo etiã tempore in Italia alijſque prouincijs deducta fuerat, quantum ex antiquorum auctoritate nobis in promtu erat enarrauimus. Ceterum vt comparatione nunc de Græcorum colonijs & aliarum gentium iſta meliùs adpareant paucis quoque nunc deducendarum ab ipſis coloniarum cauſſas proponemus: eas quatuor fuiſſe a nobis ſumma diligentia obſeruatum eſt. Prima quum incolæ viribus hoſtium expulſi,ſedes alias quærere coacti ſunt: vt Troiani poſt vrbis euerſionem in Latium ſe receperunt: Phocenſes tyrannide a præfecto regis Perſarum afflicti in Celticam: vbi & Maſsiliam condiderunt. atque eius migrationis infinita ſunt apud Pauſaniam & Strabonem exempla. Alterum coloniarum genus abundante multitudine deductum eſt; vel propter inopiã agrorum,aut cæli intemperiem. ſic Miletus,ſi Senecæ auctoritatem ſequemur, CCCCC.& LXX. populos in diuerſa effudit: Athenienſium in Aſia turba fuit: Totum Italiæ latus quod mari infero & Ionico alluitur maior Græcia dicta eſt. Tuſcos Aſia ſibi vindicat; Tyrij Africam incoluerent

A luerunt.in Hiſpaniam Pœni, Græci ſe in Galliam; in Græciam Galli ſe immiſerunt;Pirenæus Germanorũ tranſitus non inhibuit. nihil enim vt ab omni antiquitatis memoria repeti poteſt, eodem ferè loco manſit quo genitum eſt;aſsiduus humani generis diſcurſus eſt; quotidie noua vrbium fundamẽta iaciuntur;noua gentium nomina prioribus extinctis aut in occaſionem conuerſis oriuntur. Tertium coloniarum genus,imperij propagandi ac tuendi cauſſa ſuſceptum eſt; quo potiſsimùm vſi ſunt vt nunc expoſuimus, tum vt ciuitatem domeſtica ſeditione liberarent;tum etiam vt victos populos in fide & obſequio retinerent.atque hæc vna cauſſa eſt,cur imperium illud tam longè latéq; pro-
B pagarunt. ſic Hiſpani nunc in Americam & Indiam colonos deduxerunt. Poſtremum genus coloniarũ eſt in captiuis abducendis;vt qũũ primum decem tribus Hebræorum;deinde octogeſimo poſt anno reliquæ in Caldæam abductæ ſunt. Decem enim tribus huc illuc diſperſæ in Aſia feruntur;tribus Iuda & Beniamin reditum in patriam impetrarunt, quæ ſexcenteſimo poſt anno a Romanis in ſeruitutem rurſus abductæ ſunt, ac toto terrarum orbe ab vltimis Europæ ac Scythiæ oris,in Africam & Aſiam vniuerſam diffuſæ, qui exemplo nobis eſſe poſſunt omnes populos coloniarum multitudine confuſos: quod hæc vna gens his quoque temporibus in Caldæa, Parthia,India,Gallia,Græ-
C cia,Italia,Hiſpania,Germania,Africa diſperſa videatur. Quod Romani qui ab Oenoplia ad Danubium vſque a Britannia in Perſidem colonias ſuas,arma ac legiones propagarunt? Ceterum ex his ferè intelligitur, omnes homines tum peragrationibus,tum etiam coloniarum multitudine ac frequentia;tum denique bellis & ſeruitute iam pridem ita cõfuſos,vt vix vlli de originis ſuæ antiquitate ac vetuſtate certis argumẽtis gloriari poſsint. Verũ vt de colonijs hoc loco diſputationẽ nõ inſtituimus longiorẽ;ita quilibet cui antiquitatis cognitio & hiſtoriarũ noſtrarũ de Sicilia & magna Græcia ceteriſq; orbis quas nunc quidẽ euulgabimus partibus lectio cordi erit;paucis ad iſta latiùs indagãda &
D obſeruãda ex hac noſtra ratiocinatione viã ſibi apertã,vt lectoris vtilitati & voluptati cõſuleremus,experietur.Eſt & illud obſeruatione dignũ Græcorũ numiſmata ferè in colonijs nuncupãdis ΝΕΩΚΟΡΩΝ vocem vſurpare diu equidẽ nos ea vox torſit;quouſq; ex antiquis Græcorũ hiſtorijs a nobis deprehenſũ eſſet Κόρον etiã hominũ multitudinẽ ſignificare;ex quo per νεωκόρων intelligi nouã Coloniã fuiſſe iterũ inductã veterib. colonis infrequẽtia aut morte aut alio calamitatis genere ad numerum nõ reſpondẽtibus intelligendũ eſſe crediderim. Argumẽto ſit quod cũ Coloniã ſemel atq; iterũ colonis exhauſtã & nouis colonis ex hiſtorijs denuo frequentatam legimus,numiſmata Δὶς καὶ τρὶς νεωκόρων,exprimant.

Inſcriptiones quæ ad Colonias & vrbes neceſſariò pertinere videbantur, ex marmoribus antiquis fideliſsimè, vt in ijſdem legebantur, deſcriptæ.

Neapoli.

S. P. Q. NEAPOLITANVS D. D.
L. BAEBIO L. F. GAL. COMINIO
PATRONO COLONIAE.

Ibidem.

ORDO ET POPVLVS NEAPOLITAN.

Ibidem.

GENIO COLONIAE NEAP.

Ibidem.

PATRON. COLONIAE NEAPOLITANAE.

Puteolis repertum, litteris in fine mutilis, nunc Neapoli in domo Hadriani Guilielmi.

PRO SALVTE ET VICTORIA AVGVSTORVM DEO MAGNO
GENIO COLONIAE PVTEOLANORVM ET PATRIAE SVAE
Q. AVRELIVS HERMODION SEVIR AVGVSTALIS ET CVRATOR EORVM
EXSTRVXIT ET DONVM DAT \\\\\\\\\\\\\\\\\\\\

Ibidem.

AB COLONIA DEDVCTA ANNO XC.
N. FVFIDIO N. F. M. PVLLIO DVO VIR.
P. RVTILIO CN. MALLIO COS.
OPERVM LEX II.

Puteolis.

AEDIL. COLON. PVTEOLANORVM.

Ibidem, in fronte templi maioris, quod antiquum eſt, quadratum, totum ex Pario marmore, opere Corinthiaco pulcherrimo.

\.\\\\VRNIVS L. F. TEMPLVM AVGVSTO CVM ORNAMENTIS D.D.
Forſan L. CALPVRNIVS.

Cumæ.

PILVMO SANCTISSIMO
GENIO MVNICIPI SACRVM
P. IVBENTIVS ACHARIVS II. VIR.

Sinueſſæ apud Petrinum.

L. PAPPIVS L. F. TER.
POLLIO II. VIR.
L. PAPPIO L. F. FAL.
PATRI
MVLSVM ET CRVSTVM
COLONIS SINVESSANIS ET
CEDIANIS OMNIB. MVNVS
GLADIATORIVM CAENAM
COLONIS SINVESSANIS ET
PAPIENIS MONVMENTVM
HS ↀↃↃↃ EX TESTAMENTO
ARBITRATV
L. NOVERCINI L. F. PVB.
POLLIONIS SVPERIORIS
ET HEREDIS.

Taracinæ quæ olim Anxur.

ROMAE ET AVGVSTO CAESARI
DIVI F. COLONIA ANXVR.

Ibidem.

TI. IVLIO. TI. F. STEL. PAETINO
BASSIANO PATRONO COLON.

Sueſſæ, tabula marmorea.

C. TITIO
CHRESIMO AVG. LIB.
HVIC ORDO DECVRIONVM
QVOD PRO SALVTE ET INDVLGENTIA IMPERAT.
ANTONINI PII FELICIS AVG. ET VOLVNTATE POPVLI
MVNVS FAMILIAE GLADIATORIAE EX PECVNIA SVA
DIEM PRIVATVM SECVNDVM DIGNITATEM COLONIAE
EDIDERIT HONOREM BIS ILLI QVO QVIS OPTIMO EXEMPLO
IN COLONIA SVESSA HABVIT ET VT AQVAE DIGITVS
IN DOMO EIVS FLVERET COMMODISQ. PVBLICIS AC SI
DECVRIO FRVERETVR ET TITIO CHRESIMO FILIO EIVS
OB MERITA PATRIS HONOREM DECVRIONATVS
GRATVITVM A DECREVIT ORDO DECVRIONVM
ET AVGVSTALIVM ET PLEBS VNIVERSA

Nolæ.

T. TETTIENVS T. F. FELIX
PATRON. COL. NOLANAE

In alia tabula.

L. SICINIO L. F.
SER. VALENTI
PATRONO MVNICIPI
CVRAT. REIP. NOLANORVM
S. P. Q. NOLANORVM
D. P.

Ibidem.

L. RANIO ACONTIO L. F.
PVBL. OPTATO VIR CLAR.
COS. ORDIN. CVRATORI REIP.
NOLANORVM CVR. PEC. P.
XV. VIR SACRIS FACIVND. PATRONO
R. P. III. VIRO AD AGR. DIVIDEN.
X. VIRO STLITIB. IVDICANDIS
STAT. EX AERE
S. P. Q. NOLAN. D. D.

Tegeani in Calabria.

VIAM FECEI A RHEGIO AD CAPVAM ET IN EA PONTEIS MILIARIA TABELLARIOS VE POSEIVI SVNT A RHEGIO AD CAPVAM MIL. CCLXXXV. HINCCE AD COLVMELLAM MILIARIA CCX. A BIBONA AD LOCROS MILIARIA XXXXV. A FRETO AD SCYLLAM MILIARIA LX. IDEMQVE FECEI VT EX AGRO POPLICO ARATORIBVS CEDERENT PASTORES.

Tabula marmorea olim reperta Hydrunti, poſtea Neapolim tranſlata.

M. BASSAEO M. F.
PAL. AXIO
PATR. COL. CVR. R. P.
II. VIR MVNIF. PROC. AVG.
VIAE OST. ET CAMP. TRIB. MIL. LEG.
XIII. GEM. PROC. REG. CALABR.
OMNIB. HONORIB. CAPVAE FVNC.
PATR. COL. LVPIENSIVM PATR.
MVNICIPI HYDRENTINORVM
VNIVERSVS ORDO MVNICIP. OB
REM PVBL. BENE AC FIDELITER GESTAM
HIC PRIMVS ET SOLVS VICTORES
CAMPANIAE PRAETIS ET AESTIM.
PARIA GLADIAT. EDIDIT.
L. D. D. D.

Brundiſij.

IMP. CAESAR
DIVI NERVAE F.
NERVA TRAIANVS
AVG. GERM. DACIC.
PONT. MAX. TR. POT.
XIIII. IMP. VI. COS. V.
P. P.
VIAM A BENEVENTO
BRVNDISIVM PECVN.
SVA FECIT.

Ibidem, pro foribus ædium Diomedis Athenæi medici, in baſi marmorea.

ΕΥΚΡΑΤΙΔΑΣ ΠΕΙΣΙΔΑΜΟΥ
ΡΟΔΙΟΣ
ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ ΕΠΙΚΟΥΡΕΙΟΣ
ΤΟΝ ΤΟΠΟΝ ΤΗΣ ΒΡΕΝΔΕΣΙΝΩΝ ΒΟΥΛΗΣ
ΕΙΣ ΤΑΦΗΝ ΨΗΦΙΣΑΜΕΝΗΣ

EVCRATIDAS PISIDAMI F. RHODIVS
PHILOSOPHVS EPICVREVS.
L. P. D. D. D.

In baſi ſtatuæ olim reperta Anconæ, poſtea Romam tranſlata.

C. SALLIO ARISTAENETO V. C.
SEPTEMVIRO EPVLON SODALI
AVG. IVRID. PER PICENVM ET
APVLIAM CVRATORI VIAR.
AVREL. ET CORNELIAE TRIVMPHA
LIS PR. K. TVTELAR. Q. DESIGNATO
ET EODEM ANNO AD AEDILITATEM
PROMOTO XVIRO STLITIBVS
IVDICAND. ORATORI MAXIMO
DECVRIONES ET PLEBS
COLONIAE ANCONITANORVM PROP
TER HVMANITATEM ABSTINENTIAM EFFI
CACIAM

Auximi in Piceno x. ab Ancona miliari.

L. ATTIO SEVERO
PRAEF. COH. I. AFR.
C. R. EQ. IVDICI SELECTO EX
V. DEC. PR. AVXIMI PAT. COL.
AEDILI. II. VIR. ANCONAE

Anconæ in arcu Traiani.

IMP. CAESARI DIVI NERVAE F. NERVAE
TRAIANO OPTIMO AVG. GERMANIC.
DACICO PONT. MAX. TR. POT. XVIII. IMP. VIII.
COS. VI. P. P. PROVIDENTISSIMO PRINCIPI
SENATVS P. Q. R. QVOD ACCESSVM
ITALIAE HOC ETIAM ADDITO EX PECVNIA SVA
PORTV TVTIOREM NAVIGANTIBVS REDDIDERIT.

Piſauri in Palatio Ducis Vrbini, in baſibus ſtatuæ.

HERCVLI
AVG.
CONSORTI
D. N.
AVRELIANI
INVICTI AVGVS.
RESPVB. PIS.
CVRA AGENTE
C. IVLIO PRISCIANO V.C.
DVC. CVR. R. P. PIS. ET FAN. PIN.

VICTORIAE
AETERNAE
AVRELIANI
AVG. N.
RESPVBLIC. PIS.
CVRAM AGEN.
C. IVLIO PRISCIANO
V. E. DVCEN. CVR. R. P.
PISAVR. ET FAN. PP. M.

Idem.

ALBIAE C. F. BALBINAE
FLAMINICAE PISAVRI ET
ARIMINI PATRONAE MVNICIPI
PITINATIVM PISAVRENSIVM
HVIC ANNO QVINQVENNAL. PETINI
PRISCI MARITI EIVS PLEBS VRBANA
OB MERITA EORVM

Arimini.

PATRONO COL. AVG. ARIMIN.

NOTARVM SINGVLARIVM, ET eorum quæ per nexus & comprehenſiones litterarum ſibi implexarum, vel alioqui paucioribus litteris per compendium ſcripta ſunt, tam Græcorum nominum quàm cognominum explicatio, vnà cum epithetorum Deorum, Dearumq. paſsim in numiſmatibus occurrentium, latina interpretatione.

A Αρχαγέτα. Tabula VI. Nummus. VIII.

A. X Αθηνᾶ Χαλκίοικος. Minerua Chalciœca. Tab. X. Num. I. Tab. XXXVI. Nummus X.

A. vel AKP. Ακράγαντος. Tab. X. Num. III. VII. & VIII.

A. ſiue ΑΝ. Antiatum. Tab. XVII. Nummus IX. & X.

A In linea penultima Inſcriptionis marmoreæ, quæ eſt Sueſſæ, ignoratur.

Α. ΑΓΑ

A. ſiue AN.

A.T Tab. XIII. Num. III. Tab. XXVI. Num. X. Tab XXXI. Num. IX. Tab. XXX. Num. III. & VIII. Tab. XXXII. Nu. III. Hæc ſunt prima elementa nominum eorum qui magiſtratũ aliquem geſſerunt. Forſan, Αγαμέμνων, Αγάνωρ, Ανδροκλίδης, vel Αντιφάνης. Απολλοφάνης Τυφῶνος, nomen & cognomen.

ΑΘΗ. ΧΑΛΚ. Minerua Chalciœca. Tab. X. Num. II.

ΑΡΕΟΣ. Martis. Tab. XXVII. Num. VI.

ARIM. Ariminiorum. Tab. XXXIIII. Num. VIII.

ΑΡΤ Αρτεμις. Tab. XV. & XVI. pluribus nummis.

ΑΡΤΕΜΙΣ. Diana.

ΑΡΧΑΓΕΤΑ. Apollo Archagetes. Tab. VI. Nu. VII. & VIII. Tab XXVI. Num. X. Tab. XXXI. Num. IX.

ΒΑ Βασιλέως. Tab. XIII. Num. I.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Regis. Ibid. Tab. Nu. IX. & X. Ta. XIIII. paſsim. Ta. IX. Nu. I.

BRVN Brundiſiorum. Tab. XXXIII. Num. VIII.

Γ. ΓΑΣ.

ΓΛΑ Tab. XXIX. Num. X. Tab. XXXVII. Num. II. Tab. XXXII. Num. IX. Tab. XVI. Num. III. Forſan Γανασίμαχος, Γυτοκράτης, Γάσιππος, Γλαῦκος. &c.

Δ Δρεπανῶν. Tab. VIII. Num. IIII.

Δ ΔΙ Tab. XV. Num. IIII. Tab. XIX. Num. IIII. & VI. Tab. XX. Num. II. Tab. XXII. Nu. V. Tab. XXIII. Num. II. Forſan, Δαμοκράτης, Δημωφῶν, Διωφάνης, Δαμασίας, Δέγμενος, Δωρόθεος. &c.

ΔΙΟΣ ΕΛΛΑΝΙΟΥ. Iouis Græci.

Δ
Κ Forſan nomẽ & cognomẽ. Δαίφρων κλεῶνος. Ta. XXXVII. Nu. I.

ΔΡ Tab. XVI. Nu. VII. Forſan. Δρυας. &c.

ΕΠΗΚΕΤΑ.

ΕΠΙ Tab. VII. Num. VIII. Tab. XV. Num. X. Forſan, Επιμενίδης Σωπάξις, aut Επικράτης, &c.

ΕΥ. ſiue ΕΥΘ.

ΕΥΞ. ΕΥΦ.

aut. ΕΥΦΑ. Tab. XXXIII. Num. III. Tab. I. Num. IIII. & VI. Tab. XV. Nu. X. Tab. XXXI. Nu. VI. Tab. XXX. Nu. I. Forſan Εὔανδρος, Εὐθιμένης, Ευξενίδας, Εὔφρων, Εὔφάνωρ, &c.

FA Φαλείων. Tab. XXXV. & XXXVI. Pluribus nummis.

ΖΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ Iupiter Liberator. Tab. III. Num. III. & IIII.

ΖΟΠ. & ΖΩ. Tab. XXXI. Num. X. Tab. ibidẽ, Num. VIII. Tab. XXXII. Num. VIII. & X. Forſan, Ζώπυρος, Ζωσίστρατος, Ζώσηρ. vel Ζώφυρος.

H. ſiue HXI. Tab. XIII. Nu. VIII. Tab. XXX. Num. VII. Forſan. Ηρεωκλῆς, Ηχίων. &c.

HPA Ηρακλήτων Tab. IX. Num. VII. & VIII.

Θ Θυρίων. Tab. xxix. Num. viii.

Θ ΘΕ. Tab.xv.Num.iii.Tab.xxii.Nu.x. Tab.xvi.Num.i. Forſan. Θαλῆς, Θέλχιον aut Θεοκλῆς. &c.

ΙΕ Tab.xxii. Num. ii. Forſan, Ιέρων.

ΙΖ Tab.xvii.Num.v.Forſan. Αυκάβας ἐπτακαιδεκάτος. id eſt annus. XVII.

ΙΣ ΙΩ. Tab.xv.Num.ii. Tab.xvi.Num. v.Tab.xxxii. Num.i.Forſan, Ἴσμηνος, Ισοκράτης, Ιώφων.

Κ Tab.x. Num. v. & vi. Forſan, Κώκαλος. Rex Sicaniæ.

ΚΑΥ. ſiue

ΛΥΑΚ. Καυλωνιάταν. Tab. xxvii. Nu.x. Tab.xxviii.Num.ii.

Κ.ΚΛΑ.& Tab. xvi. Num. ii. Tab. xix.

ΚΛΑΝ. Num. v.Tab. xx. Num. iiii. Tab.xxxi.Nu.vii.Tab.xxxii. Num. iiii. Forſan.Καλλίμαχος.Κλεάδης,Κλεώφιλος.Κλυσώνυμος, Κλανος.&c.

Forſan nomen & cognomen, Καλλικράτης Βίτωνος. Tab. xxiiii.Num.x.

ΚοΡΑΣ. Virginis ſcilicet Proſerpinæ & Mineruæ.

ΚΡο Κροτωνιάταν.Tab.xxix. Num.i. & ii.

Forſan nomen & Cognomen. Κλάρον Πορφυρίωνος.Tab.xxii. Num.iiii.

Æ Λεοντίνον.Tab.v.Num.x.

Λ. Æ Tab.xiii.Nu.v.Tab.xv.Nu.i.Ta. xxxvii.Nu.iii. Tab.xx.Num. vii. Forſan, Λαώδαμος,Λεωνίδης, Λεωτυχίδης, Λίχας. &c.

ΛοΚΡΩΝ ΝΕΩΚ. Λόκρον νεωκόρον.Id eſt Locrenſiũ nouis Coloniisinductis frequentatorũ, quaſi dicas repopulatorũ.Tab.xxvii.nu.ii

ΛΥΣ. & ΛΩΡ. Tab. xv. Num.viii. Tab. xxxi. Num. viii. Forſan, Λύσιππος, Λωρίχιος.&c.

M.MAN. Tab. xxii. Num.i. Tab. xxx. Nu.v. Forſan.Μάντικλος. &c.

Forſan Hercules, Μαραθώνιος. Tab.ix.Num. iiii.

M. BIT. Forſan.nomen & Prænomen Latinum, vti ſic Marcus Biton. Tab.xxxiii.Num.x.

ΜΕΤΑ & ΜΕΤΑΠ. Μεταπωντίων, Tab. xxx.& xxxi. Pluribus Num.

ΜΙΔ. Μ Tab. iiii. Num. ii. Tab. xvi. Num. vi. Forſan Μίδας, Μυρμίδων. aut Τμβίλικος. &c.

Ν Forſan Νισαῖος, Syracuſanorum Tyrannus. Tab.iii. Num.v.

ΝΑΠ Tab.xiii. Num. vii. ignoratur.

ΝΕ & ΝΕ Tab. xxxii.Num. ii.& iiii. Forſan Νέλεος, aut Νηφὸς. &c.

ΝΕ. ſiue ΝΕΩΚ. Νεωκόρων. vide ſupra, Λόκρων.

ΝΚ Tab.v. Num. iii Forſan. Νικοκλῆς.&c.

Ξ. ΞΕ Tab. xv. Num. vi. Tab. xxix. Num.ix. Tab.xvi.Num. viii. Forſan, Ξάντιππος. vel Ξῦθος, aut Ξενόδωρος.&c.

ΟΠΕ Tab.xxxvii.Nu iii.Forſan ὄπεος.

Π Tab.xv. Num v. Tab. xix.Num. vii. Tab. xxiii. Num.i. Tab. xxvii.Num. iii. iiii. v. vii.& viii. Forſan Πάμφιλος, Πάνδωρος, Πελάγων, Πένθιλος, Πείσανδρος, πυθοκλῆς, Πλίσαρχος, Πολυάντης, aut in Tab. xxxvii. Num.iii.Nomen & cognomen forſan Περισθένης ὀπεῶνος.

ΠΑΙΕ.

ΠΚ. . Tab.vi.Num. ix. Tab. xxviii. Nu. i. Tab. xiii. Nu.x. & ix. Forſan nomina & cognomina, Περίανδρος, Ἀρριφῶνος. Πολιμέσωρ, Δάμωνος.Πανδίων Κλεωνύμκ. Πλασένης Κλεάνδρκ. &c.

ΠοΛ Tab. xxxii. Nu.viii. Forſan, πολυμήδων.

ΠοΣ. ſiue ΜοΠ, ΠοΣΕΙ. vel ΠοΜΕΙ. Ποσειδωνιάταν. Tab. xxi. paſsim.

ΡΗ. ſiue ΡΗΓ. Ῥηγίνων. Tab.xxvi. paſsim.

Σ Συρακοσίκ. Tab. xiii. Num.x. Tab.xiiii.Num.i.& ii.

Σ. ΣΑ Tab. xix. Num. iii. Tab. xx. Num. ix. Tab.xxxii.Num.ii.

Forſan Σελέαδος, Σιμωνίδης, Σκίρων, aut Σαμαγόρας.

ΜΜ. Tab. IX. Num. VI. Forſan, Σπινθάρις, φίλωνος cognomen.

ΣΤ. ΣΥ. Tab. XXX. Num. IIII. Tab. XXXII. Num. V. Forſan Στάφιλος, Σύνναδος.

ΣΥΒΑ. Συβαρίτων. Tab. XXXV. Num. I.

ΣΥΡΑ. Συρακοσίων. Tab. II. & III. paſsim.

ΣΩ Forſan, Σωτεῖρα Tab. V. Num. I.

ΣΩ. ΣΩΞΕ. Tab. XV. Num. VII. Tab. XXX. Num. II. Forſan. Σωκλέος, Σωξένης. &c.

ΣΩΤΕΙΡΑ, Scilicet Diana Seruatrix. Tab. XIIII. Num. IIII.

Τ Tab. XXXII. Num. III. Forſan, Τύφωνος, ſic Ἀπολλοφάνης τύφωνος.

ΤΕΛ. Tab. XXXI. Num. V. Forſan, Τελαμώνων.

ΤΠΑΛ. Tab. XXI. Num. I. Forſan. Τπάλληλος.

Φ. & ΦΙ. Φιλων. Tab. IX. Num. VII. & VIII. Tab. X. Num. I.

Φ. & ΦΙ. Φιλιςίωνος Tab. XXII. paſsim.

Φ Tab. XV. Num. IX. Tab. XVIII. Num. X. Tab. XIX. Num. VIII. Tab. XXVII. N. X. Tab. XXVIII. Num. V. Forſan, Φάλαντος, Φέρης, Φιλήτας. Φορμίων. Φύλανδρος. &c.

Χ Χάλκας. Tab. IX. Num. III. Tab. X. Num. I.

ΧΑΛΚΑΣ Minerua Chalcioeca.

ΧΛΑ

ΧΛΗΔ.

ΧΩΛ. Tab. XXXII. N. IIII. Tab. XXXIIII. Num. I. Tab. VII. Num. V. Forſan, Χλάμυρος, Χληδὸς, Χωλότης. &c.

ΨΟΦΟΔ. Tab. XII. Num. IX. Forſan, Ψοφοδέως, Ψοφόδης aut Ψοφόδιος. &c.

ΩΔΙΠ. Tab. V. Num. VII. Forſan, Ωδύσσεως, &c.

∞ pro M. Mille.

ⓘ. decem millia.

Notarum characteres in Tab. VI. Num. III. &. IIII. Tab. VII. Num. VII. & VIII. ignorantur.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABI-
lium & propriorum nominum, quæ in ipſis nu-miſmatibus cùm ſpectantur, tum leguntur, non parum ad intellectum numiſmatum conferens.

Ακράγαντος, *Tabula* x. *pluribus nummis.*

A croteria nauis, *Tabula* xxxij. *Nummus* 6. *Tab.* xxxv. *Nummus* 4.

Αδρανίων, *Tab.* vj. *Num.* 5. & 6.

AEgis Palladis cum capite Meduſæ, *Tab.* iiij. *Num.* 6.

AEquitas cum bilance & cornucopiæ, *Tab.* vj. *Num.* 3. & 4.

AEſculapij ara cum gallo gallinaceo, *In Selinontinorum nummis, Tab.* viij. *Num.* 7. 8. 9. & 10.

Αγαθοκλέες Βασυλέως, *Tabul.* xiiij. *paſsim.*

Agathoclis regis caput, *Tabul.* xiiij. *Num.* 3.

Αγκωνίτων, *Tab.* xxxiiij. *Num.* 3.

Αγυρναίων, *Tab.* vij. *Num.* 5.

Ala, *Tab.* xv. *Num.* 8. *In Maſsilienſium nummis. Tab.* xxxvij. *Num.* 7.

Alphæi fluminis & Arethuſæ fontis capita coniuncta, *vt eſt coniectura, Tabul.* iij. *Num.* 5. 6.

Anaxilæ Meſſanenſium tyranni caput, qui genus ad Herculem referebat, *vt eſt opinio, Tab.* vj. *Num.* 10.

Anclabris ſiue menſa miniſterijs diuinis dicata cum ſimpulo, *Tab.* xv. *Num.* 3.

Ancora, *Tab.* xxiiij. *Num.* 10. *Tab.* xxx. *Num.* 1.

Anguis ſiue ſerpens, *In Adraniorum, Tab.* vj. *Num.* 6. *In Selinõtinorum ad aram AEſculapij Tab.* viij. *Num.* 10. *Agrigentinorum, Tab.* x. *Num.* 10. *Bruttiorum, Tab.* xxiiij. *Num.* 9. *Crotoniatum, Tab.* xxix. *Num.* 3. *Tarentinorum, Tab.* xxxj. *Num.* 8. *Faliſcorum, Tab.* xxxv. *Num.* 8.

Antiatum, *Tab.* xvij. *Num.* 9. & 10.

Αντισσολίτων, *Tab.* xxxvj. *Num.* 9.

Apollinis caput, *In Syracuſanorum nummis, Tabul.* iij. *Num.* 9. & 10. *Leontinorum, Tabul.* v. *Num.* 6. *Tauromenitanorum Tabul.* vj. *Num.* 7. & 8. *Lilybætanorum, Tabul.* viij. *Num.* 6. *Gelenſium, Tabul.* xi. *Num.* 5. *Puteolanorum, Tabul.* xvi. *Num.* 7. 8. *Romanorum & Sueſanorum, Tab.* xviij. *Num.* 6. 8. 9. 10. *Calenorum, Tab.* xix. *Num.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Nucerinorum. Tabul.* xxi. *Num.* 4. *Bruttiorum, Tab.* xxv. *Num.* 1. *Rheginorum, Tab.* xxvi. *Num.* 1. 2. 4. *Mamertinorum, Tab.* xxvii. *Num.* 5. 7. 8. *Crotoniatarum, Tab.* xxix. *Num.* 1. 3. 4. *Metapontinorum, Tabul.* xxx. *Num.* 6. *Anconitanorum, Tab.* xxxiiij. *Num.* 3. *Faliſcorum. Tab.* xxxvi. *Num.* 6. *Maſsilienſium, Tab.* xxxvii. *Num.* 9.

Apollinis & Dianæ capita, *Tab.* xxv. *Num.* 10.

Apollinis & Dianæ capita, (*quæ rudius in antiquo numiſmate expolita erant*) *opinamur eſſe coniuncta quia vtriuſque numen etiam in fabularum, quibus Atellani floruerunt actionibus propicium inuocabatur. in Attellanorum nũmis, Tab.* xx. *Num.* 5. *Rheginorum. Tab.* xxv. *Num.* 9.

Apollo & Diana in bigis, *In Selinontinorum nummis, Tab.* viij. *Num.* 7. 8. 9.

Aprorum capita ſub claua Herculea, *In Antiatum nummis, Tab.* xvii. *Num.* 10.

Aquila ſulmen pedibus premens atque aliter expreſſa, *In Syracuſanorum, Tab.* iij. *Num.* 1. 2. 3. *In Agrigentinorum, Tab.* x. *Num.* 3. 4. 7. *In Gelonis, Tabul.* xiii. *Num.* 3. *In Bruttiorum, Tabul.* xxiiii. *Num.* 1. 2. 3. 6. *Tabul.* xxv. *Num.* 2. *In Locrenſium, Tabul.* xxvi. *Num.* 10. *In Mamertinorum, Tabul.* xxvii. *Num.* 6. *In Faliſcorum, Coſanorum & Maſsilienſium, Tab.* xxxv. *Num.* 7. 8. *Tab.* xxxvi. *Num.* 1. 2. 5. 7. & 10.

Aquila

Aquila lauream pede dextro tenens, Tab. xxxvi. Num. 7.

Aquila, ſiue vultur aut aliud auis rapacis & carniuoræ genus, atdeam, leporem, piſcem diſcerpens, *In Syracuſanorum*, Tab. ii. Num. 5. *In Adraniorum*, Tab. vi. Num. 5. 6. *In Agrigentinorum*, Tab. x. Num. 5. 9. 10. *In Zephyriorum & Locrenſium*, Tab. xxvi. Num. 5. 7. 8. 9. *In Faliſcorum*, Tab. xxxv. Num. 9.

Ara coronata, *In Selinontinorum nummis*, Tab. viii. Num. 8. 9.

Aratri forma, *In Metapontinorum*, Tab. xxx. Num. 5.

Αρχαγετα, *ſcilicet Apollo Archagetes*. Tab. vi. Num. 7.

Αρεος, Tab. xxvii. Num. 6.

Αρέθας; Tab. xxxij. Num. 9.

Arethuſæ nymphæ, poſtea in fontem ſui nominis conuerſæ caput, vrbis Syracuſanæ ſymbolum, *Tab.* i. Num. 2. 3. 4. 6. *& alibi paſsim in pluribus Syracuſanorum numiſmatibus.*

Αριμενέων, Tab. xxiiij. Num. 7. 8.

Αρίστοκρατης, Tab. xxxij. Num. 7.

Αρπάνων, Tab. xxxiii. Num. 9. 10. Tab. xxxiiij. Num. 1. 2.

Αρτεμις, *Tab.* xv. *&* xvj. pluribus nummis Artemidis ſiue Dianæ caput, *In omnibus Neapolitanorum nummis*, Tab. xv. & xvj.

Ατελλάνων, Tab. xx. Num. 5.

Αχερώνταν, Tab. xxv. Num. 5. 6.

Achyritanorum, Tab. xvij. Num. 7. 8.

B.

Bacchi caput cum corona hederacea, Tab. v. Num. 5.

Biga mulorum, quos primùm ad certamina iunxiſſe Hieronem tradit Pauſanias, Tab. ij. Num. 1. 2. *In Meſſanenſium*, Tab. vij. Num. 1. 2. 3. *In Gelenſium*, Tab. xj. Num. 9.

Bigæ olympicæ, vel aliorum ſacrorum certaminũ, *In Syracuſanorum nummis*, Tab. i. Num. 5. Tab. ij. Num. 1. 2. 9. 10. *In Meſſanenſium*, Tab. vij. Num. 1. 2. *In Selinontinorum*, Tab. viij. Num. 7. 8. 9. *In Himerenſium, & Gelenſium*, Tabul. xj. Num. 1. 2. 9. *In Gelonis & Hieronis*, Tab. xiij. Num. 1. 2. 6. 8. *in Calenorum*, Tab. xx. Num. 2. *In Bruttiorum*, Tabul. xxv. Nummus 1. 2. *argumento victoriarum bigis obtentarum in iſtiuſmodi certaminibus.*

Bos ſiue taurus cornupeta, *in Syracuſanorũ*, Tab. v. Num. 3. 4. *In Poſidoniatum*, Tab. xxj. Num. 5. 6. 9. 10. *in Thuriorum nummis omnibus*, Tab. xxix. & xxx. *Arpanorum*, Tab. xxxiiij. Num. 2. *Sybaritarum*, Tab. xxxv. Num. 1. *Maſſilienſium*, Tab. xxxvij. Num. 9.

Bouis caput, *Tab.* xxv. Num. 3.

Βρενδησίνων, *Tab.* xxxiij. Num. 7.

Βρεττίων, Tab. xxiiij. & xxv. *pluribus nummis.*

Buccina marina ſiue concha turbinata in manu Tarantis, Tab. xxxij. Num. 8. 10. Tab. xxxiij. Num. 1.

Buccina ſiue tuba, Tab. xxiiij. Num. 6. Tab. xxxv. Num. 3.

Bufo ſiue rana, *in Cumanorum nummis*, Tab. xvi. Num. 10.

C.

Caduceus Mercurij, Tab. xxiij. Num. 6. 7. Tab. xxv. Num. 7. Tab. xxvi. Num. 9. Tab. xxxj. Num. 2.

Καλενίτων, Tab. xix. *paſsim.* Tab. xx. Num. 2.

Caleno, *Ibidem.*

Cammarus ſiue locuſta marina, Tab. i. Num. 6. Tab. xxxii. Num. 2.

Cancer marinus, *In Syracuſanorum nummis*, Tab. ij. Num. 5. *In Adraniorum*, Tab. vj. Num. 5. 6. *In Agrigentinorum nummis ferè omnibus*, Tab. x. *In Cumanorum*, Tab. xvi. Num. 9. *In Sinueſſanorum*, Tab. xvij. Num. 3. *in Bruttiorum*, Tab. xxv. Num. 3. *in Tarentinorum*, Tab. xxxii. Num. 4.

Canis ſiue lupus, *in nummis Phintiæ*, Tab. ix. Num. 1.

Capra, *Tab.* xxv. Num. 6.

Capricornus in manu Tarantis, *Tab.* xxxij. *Num.*6.

Καπυανῶν. *Tab.* xx. *Num.*3. 4.

Καρχιῶν, *Tab.*xxviij. *Num.*3 4.

Καταναίων, *Tab.* vj. *Num.*1. 2.

Καυλωνιάτων, *Tab.*xxvij. *Num.*9. 10. & *Tab.*xxviij. *num.* 1.2.

Caput humanū bifrons. ſicut & Iani, ſed imberbe. *Attellanorum, Tab.* xx. *Num.* 5.

Caſtoris & Pollucis capita. *Tab.* xxvij. *Num.*1.

Cerberus canis infernalis triceps, quem Hercules ab infero traxit & confecit, *Tab.* xxxiiij. *Num.*5.

Cereris caput cum corona ſpicea. *In Syracuſanorum nummis, Tab.* 1. *Num.* 1.5. *Tab.* ij. *Num.*2. 10. *Tab.* v. *Num.*3.4, *In num. Meſſanenſium & Thermitanorum, tab.*vij. *num.*4.9.10. *In nummis Panormitanorum. tab.* viij. *num.*1. *Emporitanorum, tab.* xij. *num.*1.5.6. *Hieronis, tab.* xiij. *num.*8. *Agathoclis, tab.*xi ij. *num.*5.6. *Metapontinorum, tab.*xxx. *num.*3.4.5. *Arpanorum, tab.* xxxiij. *num.*9. 10. *argumento fertilitatis frugum: vel ciuitates illas Cererem coluiſſe: aut in tutela Cereris fuiſſe.*

Cereris velatæ caput. *In Menaninorum nūmis, Tab.* xij. *Num.*3.

Cereris vel Proſerpinæ caput cum teda vel face. *Tab.* xxvj. *Num.* 10.

Ceruus, in Agyrinenſium nummis. *Tab.* vij. *Num.*8. *Hyelitarum, Tab.* xxij. *Num.* 1.2. *Cauloniatum, Tab.* xxvij. *num.*9.10. & *Tab.* xxviij. *Num.* 1.2.

Cherſydros ſerpens, qui potiſsimùm circa fontes verſabatur, expreſſus eſt. *vt eſt quorumdam opinio, Tab.* ij. *Num.*2.

Κίμων, *Tab.*1. *Num.* 2.

Claua Herculea, vitta ſiue tænia reuincta. *Tab.*xxxv. *Num.*4.

Cochlea in manu Tarantis, *Tab.* xxxij. *Num.* 7.

Columba vel turtur, *Metapontinorum, Tab.* xxx. *Num.* 8.

Concha ſtriata vel imbricata ſiue pecten marinus, *In Adraniorum, Tab.* vj. *Num.*6. *Meſſaniorum. Tab.*vij. *Num.*3. *Gelenſium, Tab.*xj. *Num.*8. *Tarentinorū, Tab.*xxxiij. *Num.*1,2. *Piſaurienſiū, Tab.*xxxiiij. N.6.

Κοπιάτων, *Tab.*xxxv. *Num.* 2.

Κόρας, *Tab.* xij. *Num.*7. *Tab.*xiiij. *Num.*5.6.

Cornucopiæ, *Tab.* xxiiij. *Num.* 1.4. *In Hipponiatum, Tab.* xxv. *Num.*7. *Tab.* xxvij. *Num.* 1. *Sybaritarum, & Valentiæ, Tab.* xxxv. *Num.* 2.5.

Cornucopiæ geminum vitta ſiue tænia reuinctum, *Tab.* xxxv. *Num.*5.

Corona hederacea cum corymbis. *Tab.* v. *Num.* 8.

Corona laurea, *Tab.*vij. *Num.*3. *Tab.* vij. *Num.* 5. *Tab.* xxiij. *Num.*3. *Tab.* xxiiij. *Num.* 2.3 8. *tab.* xxvj. *Num.*5. *Tab.*xxxv. *Num.* 9. *Tab.*xxxvj. *Num.*1. 2.3. 5.6. 7.

Corona myrtea Veneri dicata, *Tab.* vj. *Num.*4. *Tab.* vij. *Num.*5. *Tab.* xxxvij. *Num.*5.

Corona oleagina in caſside Palladis, *Tab.* iiij. *Num.*9. *Tab.*xx. *Num.*7.8. *Tab.*xxij. *Num.*1. 6. *tab.* xxiij. *Num.* 1. *tab.* xxix. *Num.*8.10.

Corona populnea Herculi dicata, *Tab.* xxiiij. *Num.*5.

Corona ſpicea Cereri dicata, *Tab.* ij. *Num.*3. *& alijs paſsim locis quibus Cereris caput expreſsum cernitur. vide* Cereris caput.

Κόσων, *Tab.*xxxvi. *Num.* 7.

Crater ſiue aliud vaſis patuli & capacioris genus. *Tab.* xxvij. *Num.* 10.

Κροτωνιάτων, *Tab.*xxviij. *Num.*7. 9. *Tab.* xxix. *Num.* 3.

Κροτώνης, *Tab.*xxix. *Num.* 4.

Κρότονος, *Tab.* xxviij. *Num.*8.

Crotonis vrbis figura & effigies, *Tab.*xxix. *Num.* 4.

Cubitus ſiue Ancon Græcè, *in Anconitanorum nummis, Tab.* xxxiiij. *Num.* 1.

Κυμαίων, *Tab* xvj. *Num.*9. 10. *Tab.* xvij *Num.*1.2.

Cupido cum Venere arcum tenens, *In Tyndarienſium nummis, Tab.* vij. *Num.*5.

Cybeles ſiue Matris Deûm caput, *in Antiatum Num. Tab.*xvij. *Num.*9. *Pandoſienſium, Tab.* xxiij. *Num.*10.

D.

Damaratæ Theronis filiæ caput, *In Agrigentinorum nummis, Tab.*x. *Num.*8. *vt eſt*

coniectura, vnde Damarateus nummus dictus eſt, vide hiſtoriam Gelonis.

Δάξις, Tab. XXXIIj. Num. 9. 10. Tab. XXXIIIj. Num. 1. 2.

Delphini Dianæ atque Arethuſæ, ac aliorũ numinum capita cingentes atque aliter expreſsi, *In Syracuſanorũ nummis*, Tab. I. Num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Tab. ij. Num. 1. 2. 4. 5. 6. 8. 9. Tab. iij. Num. 5. 6. Tab. iiij. Num. 3. 4. 8. 10. Tab. v. Num. 2. 3. *In Catanenſium*, Tab. vj. Num. 1. *In Meſſanenſium & Thermitanorum*, Tab. vij. Num. 2. 4. 9. 10. *In Agrigentinorum*, Tab. x. Num. 5. 6. *In Emporitanorum*, Tab. xij. Num. 1. 2. 6. *In Hieronis*, Tab. xiij. Num. 7. *In Neapolitanorũ*, Tab. xv. Num. 1. *In Axuritanorũ tab.* xvij. Num. 7. 8. *In Picentinorum, circa Palladis caput*, Tab. xxj. Num. 1. *In Hyelitarum*, Tab. xxij. Num. 8. *in Thuriorum*, Tab. xxx. Num. 2. *in Salentinorum, circa Palladis caput, & in Tarentinorum*, Tab. xxxj. Num. 5. 7. 8. 9. 10. *& in omnibus Tarentinorum nummis. In Hydruntinorum & Brundiſinorum*, Tab. xxxiij. Num. 5. 7. 8. *in Piſaurienſium*, Tabul. xxxiiij. Num. 6. Argumento forſan ciuitates illas maritimas eſſe, & frequentes circa ipſa rum litora delphinos, vel Neptunum coluiſſe cui Delphinus ſacer eſt.

Diademate reuincta Gelonis, Hieronis, Dionyſij, Agathoclis & Hieronymi regis capita, Tab. xj. Num. 6. Tab. xiij. Num. 1. 2. 3. 5. 6. 9. Tab. xiiij. Num. 3. 7.

Dianæ caput cum pharetra, Tab. xiiij. Num. 4.

Dianæ ſiue Artemidis caput, *In omnibus Neapolitanorum nummis*, Tab. xv. & xvj.

Diana Σωτεῖρα, ſiue Seruatrix. Tab. xiiij. Num. 4. Tab. v. Num. 1.

Diana arcum tendens cum cane venatico, Tab. v. N. 2.

Diana cornu manu tenens cum cane venatico & ceruo, à victoria coronata, Tab. vij. Num. 7. 8.

Diana pectore tenus cum pharetra & arcu ad humeros, *in Cumanorum nummis*, Tab. xvi. Num. 10. *in Maſſilienſium*, Tab. xxxvij. Num. 1. 2. 3. 4. 6.

Dianæ pharetra & arcus, *In Syracuſanorum*, Tab. v. Num. 2. *Agathoclis*, Tab. xiiij. Num. 4. *Neapolitanorum*. Tab. xv. Num. 6.

Dictami herbæ ramuſculus vti videtur ante ceruum, quæ herba & Artemidium dicitur ab Artemide hoc eſt Diana, frequens in Ida Cretæ monte & per totam Cretam, ferunt ceruos, capras & ſimiles feras ſagittis etiam venenatis confixas hanc herbam quærere, inuentaque & commanſa herba ſagittas ſine noxa excidere, Tab. xxviij. Num. 1. 2.

Dionyſij tyranni caput, Tab. xiij. Num. 9.

Διονυσίᾳ βασιλέως, Tab. xiij. Num. 9. 10.

Διὸς ἐλλανίᾳ, Tab. iij. Num. 1. 2.

Δρεπανῶν, Tab. viij. Num. 3.

E.

Elephas, Tab. xv. Num. 4.

Εμπορίτων, Tab. xij. Num. 1. 2.

Επωνυτα, Tab. ij. Num. 10.

Επὶ Σωσπάξις, Tab. vij. Num. 8.

Eques deſultor palmam dextra ferens binos trahens equos, qui deſultorij (& celetes Græcè) dicebantur, quorum alteri inſidebat, quo curſu defatigato mira agilitate in alterum deſiliebat, & poſtea rurſus illo defeſſo in priorem tranſultabat atque ita alternatim de vno in alterum, Argumento victoriæ Celete in Olympicis aut alijs ſacris certaminibus obtentæ. *In Sueſanorum nummis*, Tab. xviij Num. 8.

Eques equo ſingulari decurrens, *In Gelenſium nummis*, Tab. xj. Num. 3. 4. *Hieronis*, Tab. xiij. Num. 5. *Tarentinorum*, *tab.* xxxj. Num. 7. 8. 9. 10. *&* Tab. xxxij. Num. 2. 4. *& alijs ferè omnibus*. Argumento forſan victoriæ in Olympicis vel alijs ſacris certaminibus equo ſingulari obtentæ.

Equus, *In Syracuſanorum nummis*, Tab. iij. Num. 4. 5. 6. Tab. xij. Num. 5. 6. 7. *In Dionyſij*, Tab. xiiij. Num. 1. 2. *Romanorum*, Tab. xviij. Num. 1. 2. 6. *Nucerinorum & Poſidoniatũ*, T. xxj. N. 3. 4. 8. *Acherontinorũ*, Tab.

Tab.xxv. Num.5. *Mamertinorum*, Tab. xxvij.Num.8. *In Tarentinorum omnibus ferè nummis*, Tab. .xxxj.*& sequenti Arpanorum*, Tab.xxxiij. Num.9.10. Tab.xxxiiij. N. 2.

Ergoteles in bigis, Tab.xj.Num.1.2.

Εὐκλίδης, Tab. xxxij.Num.6.

Εὔμερος, Tab,1.Num.4.

F.

Φαλείων, Tab.xxxvj. Num.1.

Figura eques,hasta armata peditē sub equo prostratū confodiens, Tab.xxv. Num.5.

Fistula Panos septem cannis disparibus cō pacta, Tab.xxxiiij.Num.7.8.

Frumenti grana,fertilitatis argumento, *In Leontinorum nummis*, Tab.v.Num.5.6.7.8. *Gelensiū*, Tab.xi.Num.8.Tab. xiiij.Num.1. *Cumanorū*, Tab.xvj.Num.9.& Tab.xvij.N. 1.2.*Tianensium*, Tab.xix.Num.2. *Posidoniatum*, Tab.xxj.Num.10. *Metapontinorum*, Tab.xxxj.Num.3.4.

Fulmen, *In Syracusanorum*, Tab.ij.Num.10. Tab.iij.Num.3.*Messanienſium & Agyrinenſium*, Tab.vij.Num.3. 7. *In Agathoclis & Hieronymi*, Tab.xiiij.Num.4.7.*In Minturnenſiū et Axuritanorum*, Tab.xvij.Num. 5.7.8. *In Bruttiorum*, Tab. xxiiij.Num.5. *In Locrenſium*, Tab.xxvj.Num.9.*In Crotoniatarum*, Tab.xxix. Num .4. *In Valentiæ & Faliſcorum*, Tab.xxxv.Num.3 .9.10. Tab. xxxvj. Num.3.4.

G.

Galearū diuersæ formæ & ornamēta, Tab. 1.Num.1.2.Tab.iiij.*pluribus in nummis præcipuè*. Num.5.7.9. Tab.v.Num.1.2.Tab. ix. *omnibus Heracleenſium nummis præcipuè*,N. 3.7.8.*&*.Tab.x.Num.1.2. Tab.xij.Num.7. Tab.xiij.Num.10.Tab.xiiij. Num.2. Tab. xviij.Num.1.2.3.4. Tab.xix. Num. 2.10. Tab.xx.Num.1.2.7.8.9.10.Tab.xxj.Num. 1.Tab. xxij. *omnibus Hyelitarum nummis præcipuè*, Num. 1.2.4.7. 9.10. Tab. xxiiij. Num.1.10. Tab.xxiiij.Num.6.8.10. Tab. xxix.Num.5.6.7.8.9.10.Tab.xxx. Num.1. 2.7.8.9.10.Tab.xxxj.Num.1.4.5.7.9.Tab. xxxiij.Num.9.Tab.xxxv.Num.1.2.6.Tab. xxxvj.Num.10. Tab.xxxvij.Num.8.

Gallus gallinaceus qui AEsculapio sacer erat, & eidem sacrificabatur, *In nummis Selinontinorum ad aram AEsculapij*, Tab. viij.Num.7.8.9.10.*Tianensium & Calenorum*, Tab.xix.Num.2.9.10.

Γέλας, Tab. xj.Num.3.4.5.6.7.8.9.10.

Gelonis regis caput, Tab.xiij.Num.1.2.3.

Γέλωνος Συρακοσίω, Tab.xiij. Num.1.2.3.

Gryphus,*In Lilybætanorum nummis*,Tab.viij. Num.5.*In Hyelitarū nummis in casside Palladis*,Tab.xxij.Num.3.5.10. *Bruttiorum in galea Martis*,Tab. xxiiij.Num.8.10.

Gryphus marinus posteriore parte in caudam tortuosam desinens,*In Hyelitarum nummis in casside Palladis*, Tab.ix. Num.4. *Romanorum*,Tab.xviij.Num.4.*itidem*,Tab. xix.Num.2.*in galea Martis*, Tab.xx. N. 9. *in casside Palladis.*

H.

Hederacea corona Bacchus coronatus. Tab.v. Num. 5.

Hederacea corona cum corymbis, Tab. v. Num.8.

Ηραπλειδων, Tab.xxx.Num.8.

Ηραπλήτων, Tab. ix.*pluribus. num.*Tab.x. Num.1.2.

Hercules infans sedens angues duos manibus stringens & elidens, *In Crotoniatarū nummis*,Tab.xxix.Num.3.

Hercules imberbis, *In Syracusanorum*, Tab. iiij.Num.1.*Messanensium* ,Tab.vj.Num.9. 10.*Romanorum*,Tab.xviij. Num.5.

Hercules cum exuuijs leonis in capite clauæ innitēs dextra capiti imposita: quod quidem Herculis Philoginj simulachrū existimant, Tab. ix.Num.6.

Hercules exuuijs leonis substratis insidēs, sympulum oris angusti vasculū è quo liquor stillat dextra tenens, *In Crotoniatarum nummis*,Tab.xxviij.Num.7.8.9.10.

Hercules leonem cauda apprehensum clava conficiens, *In Heracleensium nummis*, Tab.ix. Num.10.

Hercules leonem elidens & suffocans, *In Syracusanorum nummis*, Tab.iiij. Num.3. *Heracleensium*,Tab.ix.Num.7.8.9. Tab.x.

Num.1.2. *Sueſanorum*, Tab.xviij. Num.7.
Hercules genu nixus leonem elidens, *In Syracuſanorum, tab.* iiij. Num.3. *Heracleenſium*, Tab.ix.Num.7.8.
Hercules Toxites ſiue ſagittarius, exuuijs leonis armatus, *In Segeſtanorum* Tab. xij. Num.9.
Hercules cum claua in dextra, arcu & exuuijs leonis in ſiniſtra, *In Heracleenſium nummis*, Tab.ix. Num.3.4.5.
Hercules taurum cornu apprehenſum claua conficiens, *In Selinontinorum nummis*, Tab. viij. Num. 10.
Hercules in fonte ſiue Thermis Himerenſibus ſeſe abluens, Tab.xi. Num.1.2.
Hercules AEſculapio ſacrificans ramuſculum oleaginum aut myrteum ſiniſtra tenens, dextra patellam libatoriam, *In Selinontinorum nummis*, Tab. viij. Num.7.8.9.10.
Herculis caput, *In Antiatum nummis*, Tab. xvij. Num. 10. *Romanorum*, Tab. xviij. Num. 5. *Piſaurienſium, tab.* xxxiiij, Nu.5.
Herculis caput cum exuuijs leonis in capite, Tab. iiij. Num.1.2. *Meſſaniorum*, Tab. vj. Num.9. *Bruttiorum*, Tab. xxiiij. Num.7. *Brundiſinorum*, Tab. xxxiij. Num.7. *Valentiæ*, Tab. xxxv. Num. 4.
Herculis caput populnea corona redimitum, Tab.xxxiiij. Num.5.
Herculis claua & arcus, Tab. iiij. Num.3.5. *In Meſſanenſium*, Tab. vj. Num.9. 10. *in Heracleenſium*, Tab.ix Num.9. *tab.* x. Num. 1.2. *& alijs pleriſque Heracleenſium nummis. In Segeſtanorum*, Tab. xij. Num.9. *in Antiatum*, Tab. xvij. Num.10. *in Sueſanorum*, Tab.xviij. Num.5.7. *in Crotoniatarum*, Tab. xxviij. Num.7.8.10. *in Tarentinorum*, Tab. xxxiij. Num. 4. *Brundiſinorum*, Tab.xxxiiij. Num, 8. *in Valentiæ*, Tab. xxxv. Num. 4.
Herculis arma, claua, arcus & pharetra, Tab. xxviij. Num.7.8.9.10.
Herma quadratus cum capite humano, *tab.* xxxij. Num. 7.
Heſperus inter ſinuoſa Lunæ creſcentis cornua Tab. xxxiij. Num.10.
Hexagonum ſiue figura ſexangulæ ex duobus trigonis æquilateribus in ſe implicitis, Tab.xvij. Num.10.
Hieronis regis caput, Tab.xj. Num.6. Tab. xiij. Num.5.6.
Hieronymi regis caput, Tab.xiiij. Num.7.
Ὑψας Fluuius Siciliæ, Tab. viij. Num. 10.

I.

Ιερωνος, Tab. xiii. Num.5.6.
Ιερωνυμε βασιλεως, Tab.xiiii. Num.7.
Iouis caput, *In Agyrinenſium nummis*, Tab. vij. Num.7.8. *Minturnenſium*, Tab. xvij. N.5. *Calenorum*, Tab.xix. Num. 7. *Bruttiorum*, Tab. xxij. Num. 1.2.5. *Acherontinorum*, Tab.xxv. Num.5. *Locrenſium*, & *Mamertinorum*, Tab. xxvi. Num.7.8. & Tab. xxvii. Num. 2.3.4. *Arpanorum*, Tab. xxxiiii. Num.1. *Hipponiatum*, & *Faliſcorum*, Tab. xxxv. Num.3.7.8. *Antipolitanorum*, Tab.xxxvi. Num.9. *Maſſilienſium*, Tab. xxxvij. Num.7.
Ιμεραίων, Tab.xj. Num.1.2.
Iouis Eletheri ſiue Liberatoris caput, Tab. iij. Num. 3.4.
Iouis Hammonis caput, Tab.vj. Num.3.4.
Iouis Hellanij ſiue Græcanici imberbis caput, Tab.iij. Num.1.2.
Ιωωνιέων, Tab.xxv. Num.7.
Iunonis Laciniæ caput, *in Crotoniatarum nummis*, Tab.xxviii. Num.7.8.10.
Iunonis Gameliæ quæ & Argiua cognominabatur caput, *in Faliſcorum nummis*, Tab. xxxvi. Num. 1.2.3.4.5.
Iunonis Velatæ caput ſiue Reginæ cum ſceptro, Tab.xxiiii. Num.3.
Iupiter Axur ſiue Axuritanus imberbis, Tab. xvij. Num.7.8.
Iupiter fulmen vibrans, *in Bruttiorum nummis, tab.* xxiiii. Num.4. *in Cauloniatum & Carciniorum nummis ſed aliquando imberbis, aliâs barbatus*, Tab.xxvii. Num. 9.10. & Tab.xxviij. Num.1.2.3.4.
Iupiterin quadrigis & in bigis, Tab. xvii. N.7. Tab. xxv. Num. 2.
Iupiter ſedens aquilam dextra, haſtam ſiniſtra tenens, *In Agrigentinorum nummis*, Tab.x. Num.8. *Rheginorum*, Tab.xxv. Num. 9. *Locrenſium*, Tab.xxvij. Num.1.

Iupiter ſtans ſiniſtra haſtam tenens, dextro pede capitellumnæ premens, Tab. xxiiij. Num. 3.

L.

Lacerta, in Leontinorum nummis, Tab. v. Num. 10. *Tarentinorum, tab.* xxxij. *num.* 10.

Vada Sabatia Liguriæ opidum, 203.B. 308.D 317.C.

Vagienni Ligures, 309.A

Valentia ab Euandro Roma appellata, 228.B.

Valentiæ longitudo & latitudo, 255.C

M.Valerius Læuinus,Cos. 56.D.73.C.131.A

M.Valerius Maximus, Cos. 81.D

Q.Valerius Perpenna, 82.C

Valerius Cos.a Meſſana capta, Meſſalla nominatus, 82.A.

M.Varro Pompei præfectus, 291.B

Varus Fluuius Italiæ finis, 203.B

Vectigalia Catanenſibus remiſſa, 67.A

Veientes Etruriæ populi, 203.C.primi Etruſcorum a Romanis ſubacti, 310.C. quando primum cum Romanis bellauerint, 310.D bellum cum Anco Martio geſſerunt, 310.D octẽnium cum Romanis bellauerunt.311.A

Veientium agrum Tiberis a Romano diſtinguebat,310.C.

Veleates qui & Eleates Liguriæ populi, 248.D ter triumphi materiam præbuerunt, ibid.

Velia quæ & Hyela opidum. 245. C. quando condita, 247. D. 248. A. loca paluſtria, 248.A. urbs Romanis fœderata, ibidem, D & 206.B.

Veliæ ſiue Hyelæ longitudo & latitudo, 249.A

Velienſium memoria intercidit, 248.D

Venafranum oleum, 208.A.234.A

Venafrum Campaniæ opidum, 200.B

Veneri columbæ ſacræ, 105.A

Veneris Erycinæ templum, 104.C.105.A

a Gallis ſpoliatum, 106.A.
Veneris feſtum apud Erycinos, 105.A
Veneris Æneadis ara, 101.D. 107.A
Veneris portus, 317.C
Venetia regio, 203.A
Veneti Italiæ populi, 198.D. 309.A
Venetorum limites. 203.A
Venus Erycina. 97.C
Venus Hegemones, 86.B
Verona opidum, 202.D.308.D
Verres Siciliæ Prætor, 58.A
Verris rapinis Siculi adflicti. 73.D
Veſcia Auſonum opidum, 200.B.220.B.222.C
Veſcinis ager, 220.B
Veſpaſianus Cæſar Nolam Coloniam deduxit 242.B.
Veſtini Italiæ populi, 198.D. 204.A. 220.B
Veſtinorum limites, 204.A
Veſuuius mons, 200.C. 208.A
T. Veturius Caluinus. Cos. 230.B
Vfens Italiæ fluuius. 199.D. 222.D
Vfentiæ tribus. 223.A
Viæ Appiæ deſcriptio, 231.C
Via Appia a Traiano reſtituta, ibid.D
Via Elorina, 138.A
Via Latina, 232.A
Via Leontina, 20.B
Via Pompeia, 83.D
Via Valeria, ibid.
Vibius Bruttiorum princeps, 254.B
Vibo Valentia colonia, 255.B
Vibonenſis ſinus corallo abundat, ibid.
Vicetia opidum, 202.D.308.D
Victoria Palantis filia, 227.D
Victoria in numiſmatibus Terinenſiũ, 249.D
Victoriæ fanum ab Arcadibus erectum, 227.D
Vigintumuiri coloniæ deducendæ, 204.D
Villa Luculli apud Neapolim, 212.B
Villa Virgilij apud Neapolin, ibid.
Vinum Falernum, 234.A
Vinum Polium, 58.B
Vinum Tarentinum, 293.A
Vinum Tauromenitanum, 70.D
P. Virgilij Maronis ſepulchrum apud Neapolim, 212.B
Vlyſſes Polyphemum oculo orbauit, 72.C
Vmbriæ limites, 205.D.307.A
Vmbri Italiæ populi, 197.D.198.D
ab Etruſcis pulſi, 202.B
Vmbrorum contra Cumanos bellum, 215.D
Vocontij Liguriæ populi, 317.C
quando a Romanis perdomiti, 318.A
Volaterræ Etruriæ opidum. 203.C.310.A
Volaterani Italiæ populi, 310.C
Volcæ Etruriæ opidum, 203.C.310.A
Volcentani Italiæ populi, 245.C
Volſci Latinorum populi, 199.D.223.B. quot opida habuerint. 200.A. quoties triumphi materiam præbuerunt, ibid.C
Volſcis quando Romani arma intulerint, 223.B.
Volſcorum pertinacia, ibid.C. Fines, 200.A
Vomanus Italiæ fluuius, 305.A
Vria Salentinorum opidum, 201. C 291.A
Vtica ab Agathocle capta, 181.D
Vulcientes Etruriæ populi, 315.D
Vulſinienſes Etruriæ populi, 203.C.310.C
agrum Romanum deuaſtant, 315.C
Vulſinienſibus indutiæ conceſſæ, ibid.C
Vulſinienſium cum Romanis bellum, ibid.B
Vulturnus Campaniæ opidum, a Samnitibus Capua dicta, 233.C. a Samnitibus capta. ibid.D. colonia Romanorum, 220.A
Vulturnus fluuius, 200.B.215.B.233.C. Capuam interluebat, 233.D

X.

Xenocritus Athenienſis, 283.D
Xenodicus Agrigentinorum dux, 61.D. Heracleam liberat, 121.A. Gelam capit, 121.C 179.D. Ennenſes liberat, 128. D. Erbeſſum liberat, ibid. Herbitam expugnat, 179.D Leontinos ſocietate ſibi iungit, ibid. ab Agathoclis præfectis victus, 44.C. 129.A. 182.A. ſponte exſulatum profectus, 129.B expatria profugit, 183.C
Xerxis in Græciam irruptio, 142.B
Xiphij piſces in freto Meſſanenſi, 72.D.84.C
Xiphonium promontorium, 9.C. 72.D.
Xuthus AEoli filius, 65.A
Xythia regio, 64.D

Z.

Zaleucus Locrenſium legiſlator, 264.D. ſibimet oculum eruit & quare, 265.A
Zancla vrbs, 75.B. quando condita, ibid.C a Cumanis occupata, ibid. a Samijs occupata, 76.B. 256.B. ab Anaxilla capta, 77.A euerſa, ibid.B. a Meſſenijs Meſſana nominata, ibid.D.
Zanclæi Rhegij exſtructionẽ adiuuant, 255.D
Zanclus gigas. 75.B.
Zeno Eleates Philophus, 127.A. 248.D
a Phalaride tortus, 127.A
Zephyria inſula, 263.D
Zephyre inſula, 264.A
Zephyrij Locri, 863.D
Zephyrium promontorium, 201.B. 263.C
Zephyrium Ponti opidum, 263.D
Zephyrium Cretæ opidum, 264.A
Zephyrus ventus, 263.D
Zeuſis pictor, 123.D
Zoilus Hieronymi tutor, 48.D.192.A
Zoſippus patricius Tyndaritanus, 85.D

FINIS.

ERRATA IN ALIQVIBVS EXEMPLARIBVS IMPRESSA, SIC CORRIGITO.

Pag.	A 3.	verſa pro IDEM	lege	EIVSDEM.
Pag.	C 4.	verſu 17.	lege	nummi.
Pag.	5.	verſu 24.	lege	aggrediamus.
Pag.	6.	verſu 27.	lege	Caronia.
Pag.	7.	verſu 26.	lege	ſtagnum,
Pag.	10.	verſu 12.	lege	Iſidorus
	ibid.	verſu 15.	lege	Didyme,
	ibid.	verſu 34.	dele	ſi
Pag.	16.	verſu 12.	lege	inofficioſe
	ibid.	verſu 14.	dele	ut
Pag.	17.	verſu 26.	lege	eijceret,
	ibid.	verſu 34.	lege	opprimuntur.
Pag.	18.	verſu ult.	lege	marmoreum
Pag.	24.	verſu 30.	lege	ſummiſuſque
Pag.	25.	verſu 14.	lege	Trinacia
	ibid.	verſu 20.	lege	Trinaciam
	ibid.	in margine.	lege	TRINACIA.
Pag.	29.	verſu 23.	lege	ſubtracti,
Pag.	31.	verſu 25.	lege	ſuperbam
	ibid.	in margine.	lege	SYRACVSANORVM
Pag.	33.	verſu 37.	lege	nactum
	ibid.	verſu 38.	lege	Aſyria, *ibidem* Libya
Pag.	34.	verſu 29.	lege	urbem
Pag.	35.	verſu 33.	lege	liberant
Pag.	56.	in margine.	lege	CORINTHIVS.
Pag.	37.	verſu 33.	lege	impoſito
Pag.	38.	verſu 30.	lege	quamplurimas
Pag.	39.	verſu 3.	lege	eum
Pag.	40	verſu 36.	lege	Hannonis
Pag.	43.	verſu 19.	lege	Timoleontion
Pag.	44.	verſu 20.	lege	prœlio *& ſic ubique.*
	ibid.	verſu 27.	lege	Pœnis
Pag.	45.	verſu 1.	lege	Dinocrate
Pag.	46.	verſu 34.	lege	ſimilibus, itaque
Pag.	49.	verſu 24.	lege	Indigemene
	ibid.	verſu ult.	lege	Miſsis
Pag.	50.	verſu 14.	lege	Damaratæ neptis
	ibid.	verſu 31.	dele	ſorores
Pag.	51.	verſu 7.	lege	fœderis
	ibid.	verſu 8.	lege	turbatores è Sicilia
Pag.	53.	verſu 14.	lege	Trogilorum
Pag.	54.	verſu 5.	lege	peſtilentia, quum
Pag.	57.	verſu 13.	dele	ut
Pag.	58.	verſu 4.	lege	afflicta.
	ibid.	verſu 21.	lege	deciman
Pag.	59.	verſu 3.	lege	Apollinem
	ibid.	verſu 13.	lege	Eubœæ
	ibid.		lege	Eubœam
Pag.	60.	verſu 3.	lege	ſtudioſos
	ibid.	verſu 31.	lege	oblatis
Pag.	61.	verſu 26.	lege	Damyram
Pag.	62.	verſu 10.	lege	Hieronymus Gelonis fi-
Pag.	64.	verſu 28.	lege	Symæthus (lius
	ibid.	in margine	lege	SYMAETHVS
Pag.	70.	verſu 15.	lege	Naxiorum
Pag.	78.	verſu 5.	lege	Damarata
Pag.	87.	verſu 34.	lege	Agyrinæos
Pag.	95.	verſu 5.	lege	Himerenſes
Pag.	101.	verſu 15.	adde	litteris ; tanquam incertis coniecturis aſsequi deſperabamus: eius tamen lectionem, tandem perducti
Pag	ibid.	verſu 30.	lege	uniuerſum
Pag.	104.	verſu 13.	lege	AEgitharſus
Pag.	105.	verſu 17.	lege	Pauſaniam
	ibid.	verſu 28.	lege	Anchiſen
Pag.	106.	verſu 14.	lege	præſidia
Pag.	107.	verſu 26.	lege	Hannonem
	ibid.	verſu 35.	lege	P. Claudij
Pag.	108.	verſu 23.	lege	Thunnorum
Pag.	120.	verſu 37.	lege	Syracuſanus
Pag.	127.	verſu 31.	lege	Ducetij *& ſic vbiq.*
Pag.	128.	verſu 4.	lege	Agrigentinos
Pag.	132.	verſu 15.	lege	diſcrepantes
Pag.	141.	verſu 24.	lege	Elorum
	ibid.	verſu 34.	lege	Cyllirij
Pag.	145.	verſu 12.	lege	Apollini
Pag.	147.	verſu 2.	lege	AEtneum
Pag.	148.	verſu 1.	lege	Micytho
	ibid.	verſu 2.	lege	ipſi
	ibid.	in margine.	lege	VICTORIAE
Pag.	151.	verſu 36.	lege	obſediſsent;
Pag.	153.	verſu 39.	lege	Lipara
	ibid.	in margine.	lege	LIPARA
Pag.	165.	verſu 27.	lege	Syracuſani
Pag.	166.	verſu 36.	lege	fuga tum
Pag.	168.	verſu 14.	lege	Callippus *& ſic ubiq.*
Pag.	175.	verſu 22.	lege	Phalario
Pag.	177.	verſu 14.	lege	Tyrannidem
Pag.	180.	verſu 17.	lege	Archagathus
Pag.	182.	verſu 4.	lege	Demophilus
	ibid.	verſu 38.	lege	Hanno
Pag.	189.	verſu 25.	lege	cæſa
	ibid.	verſu ult.	lege	fœdus
Pag.	193.	verſu 27.	lege	patientia
Pag.	200.	verſu 8.	lege	Samnitibus
	ibid.	verſu 12.	lege	Capuani
	ibid.	verſu 38.	lege	Antiochi
Pag.	201.	verſu 27.	lege	Meſſapia
Pag.	202.	verſu 35.	lege	Maſsilia
Pag.	204.	verſu 5.	lege	Septemtrione
Pag.	206.	verſu 17.	lege	fœderata fœderis *& ſic ubiq.* fœd. pro fæd.
Pag.	209.	verſu 6.	lege	Palæpolim,
Pag.	210.	verſu 27.	lege	bellum
Pag.	218.	in margine	lege	COLONIAE
	ibid.	in margine	lege	POENIS
Pag.	219.	verſu 35.	lege	Sibyllæ
Pag.	222.	verſu 4.	lege	Stephanus
Pag.	226.	verſu 17.	lege	Aborigines
Pag.	230.	verſu 3.	lege	Capuam
Pag.	233.	verſu 5.	lege	deprecantibus
Pag.	246.	verſu 31.	lege	Poſidoniaten
	ibid.	verſu 32.	lege	Sybaritæ
Pag.	254.	verſu 8.	lege	XVII.M.
Pag.	256.	verſu 27.	lege	cepit,
Pag.	263.	verſu 34.	lege	& alij
	ibid.	verſu ult.	lege	Carum
Pag.	264.	verſu 36.	lege	ſplendidæ
Pag.	265.	verſu 22.	lege	cœpêre
Pag.	274.	verſu 17.	lege	ſcribamus.
Pag.	275.	verſu 39.	lege	Equeſtris
Pag.	277.	verſu 39.	lege	ac in fugam
Pag.	281.	verſu 22.	lege	Polycrate
Pag.	286.	verſu 9.	lege	Pyrrho
Pag.	288.	verſu 7.	lege	Pylijs
Pag.	296.	verſu 20.	lege	importuoſus
	ibid.	verſu 23.	lege	Elephantorum
Pag.	299.	verſu 18.	lege	Apollodorus
Pag.	302.	verſu 1.	lege	uniuerſos
Pag.	305.	verſu 15.	lege	Cumerum
Pag.	310.	verſu 12.	lege	Vadimonis
Pag.	312.	verſu 10.	lege	Falerios
Pag.	313.	verſu 32.	lege	inſperatus
Pag.	314.	verſu 31.	lege	Marcius
Pag.	315.	verſu 35.	lege	Vulcientium
Pag.	317.	verſu 38.	lege	Maſsilienſes
Pag.	320.	verſu 30.	lege	Phrurium
Pag.	321.	verſu 12.	lege	celebrem
	ibid.	verſu 15.	lege	Liguribus res
Pag.	327.	verſu 9.	lege	PILVMNO
Pag.	Tt.	verſa, verſu 4.	lege	ΠΟΔΙΟΣ
Pag.	vv. ij.	verſu 10.	lege	Ἐλεύθερι,
ibid. verſa. Pag. verſu.		23.	lege	Eleutheri
Pag.	vv. iij.	verſu 2.	lege	capitellum columnæ
	ibid.	verſu ibid.	lege	cicada,
Pag. Aaa. verſa. verſu.		39.	lege	Etruriæ

IN HVBERTI GOLTZII HERBIPOLITAE VENLONIANI CIVIS ROMANI LIBROS NVMISMATVM.

IOAN. VIVIANI VALENTIANI.

SI ciuis vnquam, ciue ſeruato, tulit
Dignam coronam: GOLTZIVS
Altè inter omnes, ſed reuinctus efferat
Quercu perenni tempora.
Non ille vitam, quam breuis mox conficit
Vſura, conciui ſuo,
Cæſo hoſte donans: nocte ſed quos obruerat
Vrgens maligna obliuio;
Rurſus ſub auras, per virûm ora, nec alteram
Fati ſubituros vicem,
Viuos reducit, ut ſuis ſic ciuibus
Nihil ſit orbi notius.
Hinc ROMA tanto aſſurgit alma nomine
Sui ſuperba GOLTZII;
Mirata faſtis redditis imaginibus
Spirare priſca nomina;
Magnoſque longo agnoſcit ordine duces,
Suaque decora, tot prius
Abſtruſa terris. nempè quò cautæ veterum
Tantum laboraſſent manus,
Auro, vel ære, cùm prius nemo ſatis
Curaret, omnis & labor
Iam diffluēret; inſigni amore GOLTZIVS,
Manum tetendit patriæ.
Quid porrò Achæi Auſonia quondam ad litora,
Cælo efficaci, quò ſimul
Gaudent renaſci; quos honores apparant
Vrbes Sicanæ reddere?
Vt cuius arte claret orbis, clareat
Dicendus orbi GOLTZIVS.

AD HVBERTI GOLTZII ROMANI CIVIS GRAECIAM, DANIELIS ROGERII ANGLI, PHALEVCI.

ANtiquas quòd opes, duces, triumphos,
Leges, templa, deos, decuſque priſcum,
Romæ reſtituas nouæ, ſuæ vrbis
GOLTZI, te facit illa grata ciuem,
Ac quernâ decorat tuas coronâ
Comas ciuibus ob ſuam ſalutem
Poſt tot ſæcla tuâ arte reſtitutam.
Hoc contentus honore, quem labori
Grata reddidit vrbs tuo acquieſcis.
Sed victoria maior eſt coronis,
Par corona nec vlla tot trophæis
Nam, quid maius opiner eſſe? ciuem
Creaſſe, an ſtatuiſſe ciuitatem?

ADOLPHI MEKERCHI I. C. EPIGRAMMA,

quo Auctoris nomen, cognomen, patria, ortus, domicilium, ciuitas, & opera tam edita, quàm edenda notantur.

Edidit HVBERTVM Venlo ſub luminis auras;
Illius & proauos & genus Herbipolis.
Bruga magis felix, quæ tecta laréſque benignos
Artifici dextræ præbet & ingenio.
Inuidit Latium, & Latij caput inclita Roma,
Roma peregrinis gentibus æqua parum.
Ac, ſibi ne tantum decoris laudiſue deeſſet,
Ciuibus adſcripſit GOLTZION Auſonijs.
Et meritò: quia nemo alius, qui mœnibus vrbis
Semirutis humeros ſuppoſuiſſet, erat.
Sed ne Roma tumeſce nimis: nam Græcia ciuem
Hunc à te repetet, furripiétque breui.
Tunc iterum viuent Thebæ, Sparta, Argos, Athenæ,
Totáque ſurget ouans Hellados Hellas humo.
GOLTZIVS & viuet, donec Venlo, Herbipoliſq;,
Bruga erit, & Latium, Græcia donec erit.

NICOLAI COLVII BRVGENSIS IN NOMEN AVCTORIS.

Huber & HVBERTVS, ſuntq; hubera ſemina mentis,
Huberis & pollet dotibus ingenij.

MELIORIS BARLAEI ANTVERPIANI,
IN SYMBOLVM HVBERTI GOLTZII
SIVE AVREI.

Cuius adeſt nobis HVBERTAS AVREA ducti
Conuenit in nomen, nomen vtrumque deæ.

EIVSDEM.

AVREA GOLTZIACA redierunt tempora cura,
Nomina ne rebus ſint aliena ſuis.

EIVSDEM.

Aſpicis egregium quod venit ab arte toreuma,
AVREA, ſi viuat, SECLA rediſſe putes.

IACOBI CRVCQVII MESSINII.

En pleno cornu quæ largiter AVREA SAECLI
HVBERTAS plena fundit amice manu.

AVREA

HVBERTAS



SAECVLI.

BRVGIS FLANDRORVM,
APVD HVBERTVM GOLTZIVM
AN. A CHR. NATO M. D. LXXVI.
MENSE APRILI.

CVM PRIVILEGIIS PONTIFICIS MAXIMI. IMPERATORIS CAESARIS, REGIS CATHOLICI ET REGIS CHRISTIANISSIMI.

FRANCISCI MODII BRVGENSIS IN SYMBOLVM HVBERTI GOLTZII SIVE AVREI.

HVBERTAS exosa hominum consortia, magnæ
Matris seq. & opes abdiderat gremio.
Certa, caput numquam fugitiuum, in luminis oras
Tollere, at imposita rupe perenne tegi.
Et iam, sub dominis rerum quæ excuderat vsus,
Et quæ sub Siculis; mersa numismata erant
Hæc quidem Acarnanl cornu ima in sede sed illa
Ipsius in primo qua pote quæq. loco
HVBERTVS tandem Diuam cognominem in astra
Desueta inuisis protrahit elatebris
Exoratq. retecto vt spargat diuite cornu
Vrbis opes primum mox etiam en Siculas.

HVBERTAS AVREA LOQVITVR.

VIxi olim, facta effigies nunc sum sine sensu,
Tunc obij, nullo nunc obitura die.
Responde. ex his quæ censes potiora duobus,
Corpus an æternum, vita sit ánne breuis?
Iuppiter hoc, illud formauit GOTZIVS. acri
Tradimus artificem, iudicióque Deum.

LIBER AD AVCTOREM.

QVod dederit tibi iure HVBERTAS AVREA nomen,
Testes sunt alij; sum tibi testis ego.
Verum pro HVBERTATE tua tibi pauca reponi,
Testes sunt alij; testis es ipse tibi.

SICILIAE HISTORIA POSTERIOR
SIVE
EORVM, QVAE POST PACEM SVB
AVGVSTO TERRA MARIQVE PARTAM
VSQVE AD HOC SAECVLVM GESTA SVNT,
COMPENDIOSA NARRATIO,

HVBERTO GOLTZIO HERBIPOLITA VENLONIANO CIVI ROMANO AVCTORE.

AVREA

HVBERTAS



SAECVLI.

BRVGIS FLANDRORVM
ANN. A CHRISTO NATO
M.D.LXXVI.

SERIES EORVM QVAE IN HAC POSTERIORE SICILIAE HISTORIA CONTINENTVR.

Siciliæ hiſtoria poſterior ſiue eorum, quæ poſt pacem ſub Auguſto terra mariq́ue partam vſque ad hoc ſæculum geſta ſunt, compendioſa narratio.

Gothorum, Saracenorum, Nortmannorum, Sueuorum, Hiſpaniarumq. regum, qui vtriusque Siciliæ regnum tenuerunt, Elenchus.

Siculorum qui Sapientia, Carmine, Eloquentia, alijsq́ue artibus excelluerunt, Elenchus.

Index rerum memorabilium, propriorumq́ue nominum quæ in hac poſteriore Siciliæ hiſtoria obſeruatione digna continentur.


HVBERTVM GOLTZIVM HERBIPOLITAM VENLONIANVM CIVEM ROMANVM HISTORICVM ET TOTIVS ANTIQVITATIS INSTAVRATOREM CELEBERRIMVM
MELCHIOR LORICHIVS FLENSBVRGENSIS HOLSATVS AD VIVVM DELINEABAT ET IN ÆRE SCVLPEBAT.

IN EFFIGIEM HVBERTI GOLTZII AB MELCHIORE LORICHIO EXPRESSAM, LVDOVICI CARRIONIS BRVGENS. I. C. EPIGRAMMA.

HVBERTI effigies non eſt tibi ducta, LORICHI;
Hunc tua non facili ſcalpſit in ære manus:
Hiſtoriæ veteris Græcæ forma atque Latinæ,
Imo hoc ære latet Græcia cum latio.

ANDREAE PAPII GANDENSIS.

LORICHI in æterno dum pingis GOLTZION ære,
Das illi famam: nec minus ille tibi.

ADOLPHI MEKERCHI BRVGENS. I. C.

Pictorem pictor, ſculptorem Teutona ſculptor
Teuton, & hiſtoricum nobilis hiſtoricus,
Illum qui mores multorum vidit & vrbes
Is qui omnes terras & maria ambierat,
GOLZION expreſsit graphicè, prô Iupiter, arcta
LORICHIVS quantum quantus in hac tabula!
Omnia ſic ambo ſimiles, vt imagine eâdem
Goltzion hîc videas, Lorichium videas.
Alterius nón ille manum ſibi, nec ſibi vultum
Optare alterius iſta manus poterat.

IANI LERNVTII BRVGENSIS.

Quod, GOLTZI, mortale tui eſt tabula hac expreſsum;
Qua licet, artificis extulit ingenium.
Aſt æterna tui potuiſſet pars quoque poni:
Ponere Mentoreo quam pote nemo opere:
Digna tenere oculos merito foret vnica & vna:
Digna tenere animos vnica & vna foret.

NICOLAI COLVII BRVGENSIS.

Non viuos Paphiæ deæ colores
Cois nobilis artifex in oris
Depinxit meliúſve doctiúſve,
Quàm ſit GOLTZIVS artibus decorus
Expreſſus, graphica & manu celebris.
En qua ſit grauitate frons verenda,
Qui vultu decor integro relucet!
An non ingenij omnia hæc acumen
Promittant, variaſque mentis artes?
Hîc vultus, oculos, & ora ſpectes,
Cuius mox ſapies ſuauitatem
Mellitam ingenij hubereſque fructus.
Hic eſt GOLTZIVS artibus decorus
HVBERTVS, graphica & manu celebris.

DANIELIS ROGERII ANGLI.

Agnoſce effigiem, qui mercurialibus orſis
Helladi quique faues, quique faues Latio:
Hæc illa eſt, GOLTZI, celebris pictoris imago,
Sculptoris celebris quæ ſimul ora refert.
Doctus is arte ſuâ ſcalpris animare metalla
Pingere quæque vides cuncta colore potens
Palma ſed iſta minor tantis virtutibus, vnus
Quas vel ab ingenio, quas vel ab arte colit.
HVBERTAS priſci redijt quo vindice SAECLI,
Maiorum virtus quo duce rurſus adeſt.
Qui pariter Graiûm nobis pariterque Quiritum,
Omnigenas proprio Marte recluſit opes.
Ciuibus adſcripſit quem maxima Roma ſuperbis,
Admirata decus, vim, geniumque viri.
Præmia promeritis ſed ſi daret æqua, referret
Qualem Zenoni Cecropides ſtatuam:
Eius & ora dicans, digno mactaret honore,
AEreus vt qui nunc AVREVS ille foret.

IN NVPTIAS HVBERTI GOLTZII SIVE AVREI ET HVBERTATIS AVREAE, FRANCISCI MODI EPITHALAMIVM.

Perpetuum cupiens ſibi virginitatis honorem
HVBERTAS, matris ſe abdiderat latebris.
Nequiquam clamante illa, mihi nata nepotes
Debes, & debes nata mihi generum.
Pertendenſque alta tectum ſub rupe locarat.
Tectum erat æternis cincta ſpecus tenebris.
Et iam, ter centum bis ter geminauerat annos,
Non vmquam vlli homini, non ibi viſa deo.
Cum genitrix, natam in tenebris mæſta vſque morari,
Lumina fert, toto per quod in orbe patet.
Auctoremque videns operis, dare idoneus æri
Hic vitam; hic tibi vir filia dixit erit.
Nec mora, diuæ illum perduxit ad vſque latebras
HVBERTATIS eam flectere poſſe rata.
Adque humiles iam verba preces ſatis apta pararat.
Nil opus eſt precibus filia mater ait.
Huic ego læta viro propriam me ſponte dicabo,
Deque meo nomen nomine habere ſinam.
Totque petita procis olim, nunc hunc peto, ſolus,
HVBERTATE Dea hic coniuge dignus erat.
Finierat. iungunt dextras, & fœdera firmant.
Dos eſt, antiqui quidquid vbique latet.
Hinc eſt, ROMANI quod priſca potentia regni
Qualis erat, parua cernitur in tabula.
Hinc ſua SICANIAE en redierunt nomina terræ.
Hinc ſuus & GRAECIS forte redibit honos.

ORNATISSIMO VIRO HVBERTO GOLTZIO ANTIQVARIO ET HISTORICO CELEBERRIMO SOCERO SVO,

HIERONYMVS STADIVS IOANNIS F.P.N. ANTVERPIANVS S. D.

QVVM natali tuo, III. Kal. Nouembris annum quadrageſimum nonum, quem inter fatales, quod ex ſeptē ſeptenarijs cōpoſitus ſit, ab antiquitate relatū meminerā, proſperè & feliciter cōuerſum, tibi Socer cariſsime cōgratulatus eſſem; immo inquis, quin potius gratulabere mihi, quod tam impeditis & perplexis lucubrationibus extremam manū impoſuerim? adparebit enim hoc eodem fere tempore in qua condenda indefeſſo labore, aſsidua cura, perpetuis vigilijs inſudaui, Hiſtoria vrbium & populorum Siciliæ & Magnæ Græciæ in duas partes diſtributa & ex numiſmatibus & antiquorum monumentis reſtituta. tuum nunc eſt cariſsime gener votis mecum concipere, & DEVM OPT. MAX. deprecari vt nos voti reos faciat, quo vitam tantiſper prorogare dignetur, quod reliquos tres de Græcia, Inſulisque Græciæ, itidem de Aſia & AEgypto libros antiquitatum ſtudioſis communicauero. Macte iſta virtute tua ſocer optime, quē conſcius ſum, nullū ſibi otium concedere, quo aliquid ad communem hominum fructum conferas; ita vt hæc eadem aliquando in lucem & oculos omniū magna cum lectoris voluptate & vtilitate proferre poſſes, nullo ſtudio defatigari, nullo labore deterreri neq; frangi, nocte dieq; aſsiduum in opere eſſe; neq; parem tot lucubrationibus mortalium quemquam mihi perſuaderi potuiſſet, niſi exēplo mihi tuo id teſtatiſsimum eſſet. nam nullā tibi aliam rem cordi eſſe, nullam voluptatē te capere māiorē, quàm in litterarū iſtarum propagatione, argumento ſit, quod poſt exceſſum honeſtiſsimæ matronæ Elizabethæ Hulſtiæ cōiugis tuæ, quæ ſeptem tibi proles ſibi ſuperſtites enixa erat, etiamſi amicorū tuorum cōmendatione tibi per hoc biennium variæ & non negligēdæ affinitatis nouæ occaſiones oblatæ ſint, tu tamen cælibatum te coniugio potiorē habere ſemper reſpōderis, quod ille minus quàm matrimonij vinculū impedimenti ad tuarum lucubrationū promotionē conferret. Equidem quum iſtas conciperem, Maria filia tua, quā mihi coniugem dediſti ſuperueniens, percunctata ecquid agerem? vt intellexit me de tuis lucubrationibus & indefeſſo labore teſtimonium conſcribere ſubiecit, immo inquit non ſemel exhorreſco, quū in Flandria armorum furijs tumultuari intelligo: verita (quod omen Deus auertat) ne ſi quid violenti Brugis ab hoſte impēderet, Archimedis Syracuſani in patre exemplum, quem miles incautū, & in puluere lineas ducentē oppreſsit, repeteretur. Nihil etiam vſqueadeo cariſsime ſocer, vt tuam affinitatem ambirē commouit, atque vitæ tuæ integritas & probitas, cōſuetudo, qua veteris fruerisque honeſtiſsimorum & doctiſsimorum virorum; tum felix educatio prolium tuarum, quæ vt a parente ſuo non degenerant, ita & tuo exemplo, quia bonus dux bonum reddit comitem, ad virtutem & diligentiam inuitantur. Quidquid Marcello primogenito tuo otij ab Apotheca; Aurelio ab officina libraria ſupereſt, hoc totum tribuunt tranſcribendis exemplaribus & prælo præparandis; Scipio in imitanda numiſmatum delineatione, Iulius in ſcalptura explenda occupatur: vt Sabina & Catalina in colligēdis iam impreſsis paginis & conferendis. magno argumento te tuos non tantùm ſibi, ſed & reipublicæ educaſſe & ad ſtudiorum publicorum vtilitatem procurandam felici & proſperaimitatione, honeſtiſsima & egregia voluntate tua excitare. Bene vale Cariſsime ſocer & de republica litteraria vti hactenus bene mereri perge. Brugis Flandrorum Pridie Kal. Nouembris Anno M. D. LXXV.

HVBER.

HVBERTI GOLTZII HERBIPOLITAE VENLONIANI CIVIS ROMANI IN HISTORIAM POSTERIOREM SICILIAE PRAEFATIO.



SICILIA, vt ab initio patria Læstrygonum & Cyclopum fuerit; & post eos nutrix tyrannorũ, numquã domesticis armis seruitutem satis excusserit, sed externis solum, libertatem tota recuperauerit, quantum ex priscorum mõnumentis, aut numismatum etiam subsidio repetere potuimus, vsque ad pacem sub Augusti auspicijs terra mariq; partam, in priore historia nostra iam retulimus. adhæc vt sæpius, posteaquã in Prouinciæ formã redacta erat, a fugitiuis lacerata affectaque fuerit, ostendimus. Ordinis itaque & instituti nostri ratio, nũc exigere videtur, vt breui enumeratione quis Romano imperio externis bellorũ procellis ignauiaque Imperatorum labefactato, perpetuus Siciliæ ad hoc nostrũ vsque sæculum status fuerit prosequamur. Primùm igitur Gothorum armis per viginti annos lacerata sub Saracenorum siue Arabum inde imperio ducentis & triginta prope annis seruiuit; ab quorũ iugo Nortmannorũ principum virtute liberata, sub ijsdem centum triginta septem annos exegit; porrò exolescente Nortmannorum stirpe, Sueuos septuaginta annis plus minus dominos habuit, donec tandem Conradino Sueuorum vltimo, per iniuriam iussu Caroli Andegauensis supplicio affecto, in Gallorum potestatem deuenit, Pontifici quoque Romano vectigalis facta. Huius verò Caroli præfectorum sæua tyrãnide, & promiscua in matronas virgineſque libidine, Siculi postmodum lacessiti, sumtis pro libertate armis, cruentissima in Gallos cæde, nulli sexui nulli ætati parcentes grassati sunt: & ipse Carolus postremò per Petrum Aragoniæ regem, regno (quod Petrus ob Constantiam Manfredi olim regis filiam, in vxorem ductam, pertinere ad se asserebat) exutus est. hinc postremò ab Aragonia gente, successione continua per ducentos propemodum annos, ab nouem eiusdem gentis & familiæ regibus, vsque ad Ferdinandum Catholicum Castellæ regem in ea regnatum; donec Ferdinando Catholico Carolus Quinctus ex filia nepos & Imperator Romanus, qui Rempublicam Christianam iam fatiscentem, virtute sua in meliorem spem erexit; & Carolo Philippus Secundus, in ius regni, viuo adhuc patre successit. Vsqueadeo vt nisi fallant Chronologi tantum temporis ab Augusti imperio vsque ad hoc sæculum nostrum porrò numeraturi simus; quantum ab eiusdem imperio ad primam Siculorum memoriam retro

colligi

colligi poteſt. totumque hoc ſpatium propemodum tria millia centum viginti annorum comprehenſurum eſt. Ceterùm poſteaquam & iſtam quoque partem per compendium tradiderimus, paucis etiam Gothorum, Nortmannorum, aliorumque regum qui aut vtrique Siciliæ cis & vltra Pharum coniunctim aut Neapolis, & Siciliæ regnis ſeparatim præfuerunt, Elenchum, hiſtoriæ noſtræ ſubiunximus: addidimus inſuper illuſtrium virorum Elenchum, eorum inquam Siculorum, qui rerum geſtarum gloria, vel ſapientia, aut meritis in rempublicam commendantur; quorumque rationem, non offerente ſeſe opportunitate hactenus habere non quiuimus.

SICILIAE

SICILIAE HISTORIA POSTERIOR SIVE EORVM, QVAE POST PACEM SVB AVGVSTO TERRA MARIQVE PARTAM VSQVE AD HOC SAECVLVM GESTA SVNT, COMPENDIOSA NARRATIO,

HVBERTO GOLTZIO HERBIPOLITA VENLONIANO CIVI ROMANO AVCTORE.

B

DE GOTHIS ET VANDALIS.



OMANO iam imperio seneſcente & ad conuerſionem ſuam præcipiti, quum partim in Thracia veluti a ſuo corpore auulſum; partim in Italia Imperatorum diſcordia affectum eſſet; omnium peregrinorum & barbarorum armis lacerari & conuelli cœpit: ita Perſæ Aſiam; Gothi & Hunni Thraciam atque Pannonias; Weſtrogothi Hiſpanias; Sueui Gallias; & Oſtrogothi tandem Italiam, & de qua nunc nobis dicendum eſt, Siciliam occuparunt. Ceterùm Theodoſio Iuniore imperium Orientis adminiſtrante, Genſericus Vandalorum rex Car-

C thagine capta, Siciliam: & poſtmodum Anicio Maximo imperium in Occidente tenente; vrbem Romam anno poſt natiuitatem Chriſti CCCCLV. inuaſit. Succeſſit Theodoſio Cæſari Valentinianus; ſub quo Flauius AEtius, imperatoris ſui auſpicijs Hunnorum res & Attilam regem, Gothorum copijs adiutus, in Gallia grauiter afflixit. AEtio mox vel æmulatione vel inuidia iuſſu Valentiniani interempto; & ipſe a militibus ſuis confoſſus perijſſe ſcribitur. Auguſtulo deinde Oreſtis filio Occidenti, & Zenone Orienti imperantibus, Odouacer Herulorum auxilio, Italiæ principatum, deiecto Auguſtulo, per ſedecim annos tenuit. Zeno, vt ſibi Italiam aſſereret, Theoderico Gothorum regi auctor fit, vt contra Odouacrum bellum moueat; quem is ad Aquileiam aſſequutus prœlio vincit; mox apud Rauennam ſæpius acie profligatum, & Rauennæ mœnibus ſeſe includentem, triennio obſeſſum ad deditionem compulit, occupataque Italia Theodericus Siciliam, quam præſidijs nudam

D videbat, affectat eamque magna claſſe adortus, cum circumiacentibus paſsim inſulis ſuo imperio adijcit. atque vt Siciliam præſidio contra vim externam muniret; Panormi arcem ſibi quoque erexit. Theodericus inde anno regni ſui triceſimo ſeptimo orbus moritur. poſt cuius mortem, quum Gothorum in Italia & Sicilia res, domeſtica ſeditione, & Theodahati regis ignauia, in deterius quotidie prolaberentur; inſulam Belliſarius Iuſtiniani Cæſaris ſui auſpicijs decimo octauo quã a Theoderico occupata fuerat anno, Gothis inde expulſis Romano imperio reſtituit. Totilas tamen Gothorum rex Siciliæ non diuturnam quietem permiſit; & poſt aliquot ignobilia opida partim vi partim deditione capta, Syracuſas terra mariqué obſedit: ſed affectis in Italia Gothorum rebus, Totilas omne copiarum robur ex Sicilia deduxit. mox Artabanes, Iuſtiniani præfectus, qui cum claſſe poſt Liberium miſſus erat in Siciliam (quum Liberius tantum Syracuſarum portum, inuitis hoſtibus intraſſet,

AN. A CHR. N. CCCCL. GENSERICVS VANDALORVM REX SICILIAM OCCVPAT.

ATTILA HVNNORVM REX. CDLXXVI. ODOVACER HERVLORVM REX ITALIAM OCCVPAT.

CDXCIII. THEODERICVS GOTHORVM REX SICILIAM OCCVPAT.

DXL. BELLISARIVS SICILIAM RECVPERAT. TOTILAS GOTHORVM REX SICILIAM DEVASTAT.

DXLI.

ſtatimque nulla re memorabili geſta abijſſet) poſtquam hoſtium vires vidit afflictiores, non Syracuſas modo liberauit obſidione: ſed Gothos etiam per partes adortus; qui opidatim, præſidij cauſſa in tota inſula diſperſi erant, facile debellauit, & regnum Iuſtiniano reſtituit. tandem poſt Totilæ interitum & varios bellorum motus reliquiæ Gothorum a Narſete altero Iuſtiniani duce eorum rege Theia in prælio occiſo, oppreſſæ ſunt; poſtquam a Theoderico Italia & Sicilia Gothorum imperio LXI. annis occupata fuerat. & Sicilia Græcorum auſpicijs adminiſtrata eſt. A

DLIIII. NARSES GOTHOS IN SICILIA EXTINGVIT.

DE SARACENIS.

SARACENI qui nomen ſuum a Sara, Abrahami vxore repetebant, ſedes in Arabia felici ſibi delegerant: gens ea vſque ad Heraclij imperium obſcura; tunc quidem fines ſuos egreſſa cum Arabibus atque alijs qui ipſis circumfuſæ erant, nationibus confuſa, in multitudinem infinitam excreuit. Anno namque ſalutis noſtræ ſexcenteſimo & decimoquarto quum Heraclius Auguſtus ſuperato Coſrhoe Perſarum rege; Africam, AEgyptum, Suriam, Meſopotamiam, & quidquid fuerat a Perſis occupatum Romano imperio recuperaſſet, ſola Arabia in armis erat. Cuius motus magnum toto orbi incendium, belli & religionis ſæuiſsimas faces accendit, & maximum malorum ſeminarium; quo magna mortalium, & orbis habitati pars ex veritatis luce in denſas opinionum & errorum nebulas præcipitata eſt eius impietatis caput & fons Mahumethes fuit, dubium Arabs an Perſa: vtrumque enim traditur. Ceterùm quum is anno Chriſti ſexcenteſimo & triceſimo ſecundo, mortuus & Mechæ ſepultus eſſet: eiuſque auſpicijs Saraceni Aſiam occupaſſent: Europam quoque inuadere auſi primò Rhodum petiuêre; mox Coloſſum aneam Solis ſtatuam LXX. cubitorum altitudine, terræ motu primum euerſam, depradati ſunt. inde AEgæo mari latrocinijs vexato & Cycladibus direptis, in Siciliam proueĉti, litorales eiuſdem oras primùm populantur. mox vt neminem obſiſtere vident, in meditertanea excurrunt, ferro & igne multiplici que clade inſulam affligunt. qua cognita Conſtans Auguſtus, Olympium Exarchum cum claſſe contra eos miſit; qui tam atroci pugna prœlioque nauali cum Saracenis congreſſus ſcribitur, vt propior victo quàm victori hoſtibus tandem ſuperatis, & inſula liberata, paucis poſt diebus tantis laboribus fractus e viuis exceſſerit. Conſtans inde Auguſtus quum Romæ benignè admodum exceptus; eandem opibus ac precioſiſsimis quibuſque ſignis ſpoliaſſet, Neapolin primò inde in Siciliam transfretauit. ſubſtitiſque Syracuſis quoad tributum quod Italiæ, Siciliæ, ceteriſque inſulis prouincijsque ex libito non ex veteri formula imperauerat coëgiſſet quod tanta acerbitate per ſexennium exactum eſt, vt non ſolum multi fortunis, ſed liberis etiam & vxoribus ſpoliati ſint; qui a parentum aut maritorum obæratorum amplexibus, ad ſeruitutem auellebantur. Sed Conſtans breui ſcelerum ſuorum vltionem expertus eſt, dum namque molliùs & ſolutiùs inter ſuos verſatur, feruenti balneo vaporeque ex Mezentij ſiue Magnentij (variat enim apud ſcriptores nomen) inſidijs ſuffocatus eſt. Hic Magnentius ordinum ductor ſub Heraclio imperatore fuerat & imperium ſcelere ſuo affectabat. cuius motus ſtatim Theodorus Exarchus, vndique coacto milite oppreſsit. variat in hac parte ſcriptorum auctoritas, ſunt qui Conſtantinum vt patris mortem vlciſceretur, ſibique vindicaret armis imperium, cum claſſe in Siciliam veniſſe tradant: alijs placet; eum metu paterni caſus domi manſiſſe, ita vt Saraceni comparata claſſe, Siciliam nouis motibus agitatam aggreſsi ſint: Syracuſas quæ nullo præſidio tenebantur ſubita vi adorti ceperint, & quia ibi tutò hærere, nondum confirmatis opibus, nõ poterant, ob Italiæ & Africæ quæ iam ipſis bellũ moliebatur propinquitatem; omnia cæde promiſcua proſternũt Romanæ B C D

AN. A CHR. N. DCXIIII.

MAHVMETHES APOSTATA. DCXXXII.

SARACENI SICILIAM DEPOPVLANTVR.

OLYMPIVS EXARCHVS CVM CLASSE IN SICILIAM MISSVS. DCL.

THEODORVS EXARCHVS ITERVM. DCLIII.

SARACENIS SICILIAM ITERVM INVADVNT.

A Romanæ vrbis ornamenta, huc vt memorauimus a Conſtante congeſta; omnemque Syracuſanorum gazam in naues componũt, prædaque ampliſsima ditati AEgyptum repetunt. Sunt tamen alij qui ſcribant, quod propius ad veritatem accedere videtur; a Conſtantino cuncta, quæ pater Romanis ademerat, oppreſſo patris ſui percuſſore Magnentio Conſtantinopolin tranſportata: Barbaro, autem poſt Magnentij cædem inſulam inuaſiſſe. Ceterùm ne ordinem ſeriemque rerum deinceps geſtarum vſque ad Siciliam a Saracenis occupatam abrumpamus, pauca de Orientis & mox Occidentis Imperatoribus adijciemus. Conſtantino Iuſtinianus filius eius nominis ſecundus ſucceſsit; ſequuntur inde principes; ita vt ſequens præcedenti exſilium aut excidium intentaret. Leone autem Iſanco imperante Sicilia ſergij præfecti opera ab Imperatore deſciuit; ſed ab eodem iterum mox in poteſtatem redacta eſt. Poſthæc quum Pipinus Francorum Rex Stephani ſecundi Pontificis rogatu, Aiſtulphum DCCLII.

B Longobardorum regem Romanis rebus infectum domuiſſet; & paullo poſt Carolus eius filius, cui rerum geſtarum magnitudo Magni cognomentum peperit, deſiderium Aiſtulfi filium, Hadriano pontifice petente debellatum captumque cum ſuis in Galliam miſit. Mox quum Carolus Leonem tertium Romanorum Pontificem a populo & proceribus Romæ expulſum, armis reduxiſſet; a Pontifice Imperator & Auguſtus ſalutatus eſt: atque ita Occidenti ſumma Imperij dignitas, quæ trecentis ex triginta annis in Thraciam tranſlata fuerat, reſtituta eſt. Carolus pacem ab Irene imperatrice ante præſcriptam cum Nicephoro eodem fœdere, ijſdemque legibus confirmat; ita diuiſo imperio, vt Sicilia cum Calabria & Apulia Nicephoro. reliqua Italiæ pars Carolo cederet. Per id tempus, (annus a Chriſto nato octingenteſimus agebatur) Saraceni AEgypto, Africa, Suria & Hiſpania potiebantur, contra quos Carolus multa præclarè geſsit. poſt mortem Nicephori Sicilia Stauratio; inde Michaëli Curopalato; & eius filio Theophilacto; mox Leoni Armenio Michaë- DCCC.

C lique Balbo Conſtantinopolitanis imperatoribus paruit. eo imperante Saraceni qui DCCCXXI.
Africam occuparant, cum claſſe Siciliam inuadunt, & omnia ferunt aguntque; mox & Panormum & aliquot opida per vim capiunt. Siculis ea clade oppreſsis, Bonifacius Corſicæ Comes cum Etruſcorum auxilijs ſaluti fuit; is quum in Africam exercitum expoſuiſſet inter Vticam & Carthaginem Saracenos aggreſſus, magno prælio fudit, & ter acie congreſſos vicit & profligauit; ita vt Saraceni tot cladibus e Sicilia detracti; ad ſuorum auxilium relicta Panormo, ceteriſque inſulæ locis in Africam reuocati ſint. Liberata Bonifacij ſtratagemate & virtute Sicilia, Michaël Imperator in eam Præfectum cum magno militum præſidio Euphemium; cui legatum Exarchum adiunxit, tranſmiſit. Saraceni interea claſſem duce Sabba expediunt. contra quos Michaël claſſem, ductore Theophilo cum ſexaginta Venetorum triremibus inſtruxit; concurritur nauali certamine ad Crotonis litora; Theophilus ca- PANORMVS A SARACENIS CAPTA. EVPHEMIVS SICILIAE PRAEFECTVS.

D ptis aut depreſsis nauibus, ſolus fuga euaſit. Sabba victor in Dalmatia opidum Auſtenſe diripit; Venetorum naues e Suria venientes cum mercibus capit; Anconam direptam incendit: prædaque ditatus in Africam reuertitur. Variant deinceps Siculorum Annales in occaſionis enarratione. qua Arabes ſiue Saraceni in Siciliam a Michaëlis Auguſti Præfectus euocati, eandem CCXX. fermè annis intoleranda ſeruitute oppreſſerunt. ſunt qui Georgij Maniacis perfidiæ hoc imputent; cauſſam aut fabulam affingunt. eum rerum nouarum ſtudio captum Siciliam quam ex Michaëlis imperio adminiſtrabat, occupaſſe. pecuniam ſuo nomine & imagine ſignaſſe. Michaëlem, vt ſcelus Georgij vlciſceretur, cum vxore ſua fallax conſilium & dolum communicat. mortuum Imperatorem ex ſubito morbo euulgatur; Auguſtam, quaſi ad ſecundas aſpiraret nuptias, præferre cunctis Maniacem; hũc per legatos ad matrimonium ſolicitare: eundem hac occaſione oblata accenſum, tamen frau-

dem ſubeſſe veritum, filium inſulæ cum arcanis mandatis præfeciſſe: mox ipſum vt A
in Palatium Conſtantinopoli peruenerat, comprehenſum & capitis ſupplicio perfidiæ pœnas luiſſe filium intellecta patris calamitate, Siciliam, vt in mandatis habebat, Saracenorum regi in clientelam tradidiſſe. Ceterùm vt in ea enarratione multa admodum infarciuntur; quæ vt fabuloſa labefactari poſsint; ita etiam a temporum ratione & euentuum ordine infirmantur. Maniachem namque Siciliæ præfuiſſe & ſub Conſtantini Monomachi imperio multis poſt annis floruiſſe; & Saracenos magna Siciliæ parte expuliſſe veterum monumentis teſtatum eſt. propius verò eſt, quod Ioannes Curopalates Græcus auctor tradit; Euphemium Michaëlis in Sicilia Præfectum, audaci ſcelere veſtalem ad libidinem ſuam è loco ſacro rapuiſſe: atque quum eius fratres germani de virginis inceſtu Euphemium apud Exarchum accuſaſſent; ille & Euphemij potentiam & iram veritus querelas neglexit. Fratres ad Michaëlem profecti inceſtuoſum criminabantur, decernit Imperator Exarcho vt Euphe-
EVPHEMIVS SICILIAE REX SALVTATVS. mium in poteſtatem redactum naribus truncatis extremo ſupplicio afficiat, Euphe- B
mius ijs cognitis, cum militibus contra imperatorem conſpirat. Exarchus vim metuens è Sicilia excedit; Euphemius Rex ſalutatur; & regnum ſibi paucis admodum obſtantibus vindicat. mox etiam, ne qua vis externa ipſum percellere poſsit, amicitiam & fœdus cum Saracenis, qui tunc Caruenum tenebant; & cum Abrahamo ipſorum rege coniungit. Abrahamus claſſem cum XL. M. in Siciliam, præfecto ijs Al-
ABRAHAM SARACENORVM REX. camo ſtrenuò viro mittit; is quum ad Mazaræ emporium appuliſſet, claſſem, vt ſpem
ALCAMVS PRAEF. reditus ſuis præcideret, niſi virtute eum ſibi aperirent, combuſsiſſe ſcribitur: & Seli-
SELINOS A SARACENIS CAPTA. nontinos expugnaſſe, captiuos vt Siculis metum incuteret, in ahenis coxiſſe. Mox Saracenis plurima deduntur opida; Alcamus vt & præſidio & loco ſeſe contra vim hoſtium muniret; in edito & prærupto monte Alcamum arcem & opidum condidit.
ALCAMVS CONDITA. atque quum ille a Siculis obſideretur, Abrahamus alium exercitum; cui Aſed Benfo-
ASED BENFORAT PRAEF. rat præfecit in Siciliam miſit; cuius opera & Alcamus obſidione liberatur; & cete- C
SARACENI SICILIAM OCCVPANT. ræ vrbes Saracenorum imperium accipiunt, Euphemius interea Syracuſas, diademate & regio ornatu inſignis, ingreditur. eundem fratres Veſtalis quam diximus inter colloquendum impetu facto obtruncant, caputque palo præfixum circumfertur, & ad Michaëlem imperatorem Conſtantinopolin tranſmittitur. Saraceni Sicilia, exceptis Syracuſis & Tauromenio potiuntur. Meſſanam magno labore, & dimidiam
DCCCXXIX. tantum; ita vt Chriſtiani altera vrbis parte, ſuis legibus & iure agriſque vterentur;
MESSANA A SARACENIS CAPTA. ipſi reliquam incolerent, ad pacis conditiones coegerunt. atque vt antea inſula ab Heraclij tempore græcis litteris, ac gymnaſijs, templiſque Græcanico ritu conſtructis ornata fuerat: ita deinceps Mahumetana impuritate profanata; multaque ædificia & fornices latericiæ Saracenica imperitia & ruditate erectæ ſunt. Adminiſtrabatur
SICILIA IN QVINQ. PRAEFECTVRAS DIVISA. prouincia per quinque Prafectos; quorum præcipuus Raxi dictus Meſſanæ prætorium habebat; eiuſque Præfectura ad Tauromenium vſque ſecundum Ionici maris, D
ad Tyndarida ſecundum Etruſci maris litora extendebatur. huic quatuor reliqui parebant. quorum vnus Catanæ; alter Syracuſis; tertius Drepano; quartus Panormo præerat. Sergius Pontifex Maximus vt Saracenos Sicilia depelleret Ludouicum ſecundum Imperatorem obteſtatus, reſponſum accepit, eam belli prouinciam Michaëli eſſe relinquendam; Michael, quum Theophilum filium miſiſſet, is clade accepta,
AN. DCCC XLI. victus Conſtantinopolim rediit. Michaële inde patre defuncto Theophilus imperium accepit; qui quum bis cum Saracenis in Aſia infeliciter pugnaſſet, morbo extinctus eſt; cui Michael cum Theodora matre ſucceſsit; isque vt imperio ſolus potiretur,
DCCCLVI. Theodoram cœnobio incluſit; Baſiliumque Macedonem ſibi in regni ſocium cooptauit qui vt nulla fides regni ſocijs eſſe, & ius imperij cauſſa violari ſolet; Michaelē poſtquam cum Theodora matre annos XIIII. & ſolus XI. imperaſſet, obtruncat. Baſilius

imperij

A imperij ſucceſſor cum Imperatore & cum Pontifice Romano fœdus percuſsit: claſſem præfecto Niceta inſtruxit: qui circa Peloponeſum & Apuliam Saracenos aliquoties nauali prœlio fregit. Saracenι vt Syracuſis potirentur claſſem, quæ agros popularetur mittunt; contra quos Baſilius, naues armamentis & nautico inſtrumẽto inſtructas duce Hadriano in Siciliam nauigare iuſsit. Interim dum Hadrianus in Peloponneſo cunctatur; Syracuſana a Saracenis obſidione vrgentur & acerrimè oppugnantur. caditque telo tormentario percuſſus Hocobus Saracenorum præfectus. creſcit Syracuſijs ex ea Hocobi cæde animus & pertinacia; ſed Saraceni & viribus & numero potiores magno impetu in vrbem, perruptis magna vi portis irruunt. mox etiã claſſe in portum ſubducta; vrbs a Saracenis diripitur; & ferro ignique euaſtatur. Sed adhuc Hadrianus apud Hieracium portum otio & voluptatibus indulgebat; intellectaque (ſiue per malos vt fertur genios) ſiue, quacunque alia ratione, Syracuſarum clade Conſtanti-

B nopolin confugit; eundem Baſilius quia in officio ceſſarat, virgis cæſum in exſilium relegauit. iamque Sicilia Saraceni præter Tauromenium potiti; etiam Calabriam & Apuliam prædationibus vaſtant; & Panormum ſibi ſedem deligunt. Ceterùm quum Baſilius Stephanum quoque Mazentium cum claſſe contra Saracenos cum imperio miſiſſet, ille Imperatoris ſui mandata oblitus, inque Venerem & voluptates ſolutus, reuocatur; ſuccedit Nicephorus Phocas, qui Saracenos Italia expulit, & vrbes aliquot recepit; hoſtesque vt ſe intra Siciliam continerent, coercuit. Tum quies Italiæ ſucceſsit vſque ad Conſtantinum Leonis filium, & Baſilij nepotem. Leone autem cognomento Porphyrogeneto regnante Saraceni magna vi Tauromenium aggreſsi, dura aliquamdiu obſidione circumſeſsum, maxima demum ciuium cæde expugnarunt. Conſtantinus mortuo patre ſeptennis vnà cum matre Zoe & Alexandro patruo Imperium ſuſcepit. & Saraceni rurſus Italiam populantur. Imperator etiam a Bulgaris vexatus, per Euſtathium pacem cum Saracenis qui Siciliam occuparant fe-

C cit; vectigalemque ſe XX. M. aureis quotannis fore ſpopondit. Interea Simeon Bulgarorum princeps & Fatlus Saracenorum in Africa Rex, contra Imperatorem res nouas moliuntur; quorum legati iuxta Calabriam intercepti & ad Conſtantinum VIII. Auguſtum miſsi ſunt; is Bulgaros in carcerem condi iuſsit; Saracenos incolumes & muneribus etiam ornatos ad Fatlum tranſmiſit. Fatlus animi magnitudinem in hoſte admiratus, eidem dimidium vectigalium remittit; & eius amicitiam colit. Fatlo defuncto Bulchar Saracenus rex in Sicilia ſucceſsit; is Græcos Calabria & Apulia eiecit; & magnam Græciam ad Garganum vſque montem in poteſtatem redegit. Conſtantinus tanto eius ſucceſsu conſternatus; per Ioannem Aſiceretum pacem cum Saraceno fecit. Sed quum fœderis percuſsi tempus conuerſum eſset, Saracenique Calabriam nouo bello affligerent; Conſtantinus claſsem cum Carbea & Morleone præfectis, & exercitum duce Mariano Argo ijſdem opponit; Saraceni tanto apparatu conſterna-

D ti; & naufragio etiam perturbati, pacem ijſdem quibus antea legibus cum Græcis componunt; atque ab eodem tempore res in Sicilia vſque ad Nicephorum Phocam quieuêre. Phocas autem imperio potitus Manicellum Leonis fratris ſui ex pellice filium cum claſse in Siciliam miſit; qui ætatis imperitia; & vitijs obrutus; a Saracenis in locis aſperis & impeditis victus & profligatus eſt. Phoca interfecto Baſilius ſucceſsit, is præfecto Oreſte eunucho claſsem contra Saracenos inſtruxit; ſed quum is ſenio conſumtus anno ætatis LXXII. antequã magni aliquid gereretur, fatis conceſsit; fratrẽ ſuũ Conſtantinum habuit ſucceſsorem; cuius auſpicijs Oreſtes quũ bellum adminiſtraret, Saracenorũ fraude per indutias deceptus, magna cũ clade e Sicilia expulſus eſt. felicibus inde auſpicijs per Nicephorũ Carentẽ, Romani Argyropoli (qui gener Conſtantini ex Zoe eius filia, in imperiũ ſocero ſubrogatus erat) legatum contra Saracenos in Græcia & circa Cyclades inſulas pugnatum eſt. victoriã breuis æui admodum Argyro-

DCCCLXVI.

HOCOBVS SARACENORVM PRÆFECTVS.

SYRACVSAE A SARACENIS CAPTAE.

TAVROMENIVM A SARACENIS CAPTVM. DCCCLXXXII

DCCCCVIII.

FATLVS SARACENORVM IN AFRICA REX. DCCCCLIX.

VLCHAR SARACENORVM IN SICILIA REX. DCCCCLXII.

DCCCCLXIIII

MANICELLVS CVM CLASSE IN SICILIAM MISSVS. DCCCCLXXVII

M.XXIX.

M.XXXII.

polus ſiue Romanus (vtroque enim nomine apud ſcriptores nuncupatum) vxoris ſuæ A
M.XXXVII. fraude in balneo ſuffocatus, proſequi non potuit. Auguſta Zoe Michaelem Paphla
gonem ſibi matrimonio iunxit; & eundem Auguſtum ſalutari fecit. atque quum Sara
ceni maximo cum belli apparatu iterum Græciã & Thraciam inuaſiſsent; magnaque
clade etiam a ducibus Michaelis nonnunquam repulſi eſsent; Michael Barbarorũ ma-
APOLLOPHARVS SARACENORVM IN SICILIA REX. gnos apparatus & potentiam veritus, per Georgium legatum ab Apollopharo Sarace
norum rege pacem petit, & impetrat; & in pacis fidem Apollopharus filium ſuũ ſpon
te obſidem Michaëli Auguſto miſit; qui ab eodẽ inter aulæ ſuæ proceres cooptatus eſt;
quibus Principum inter ſe officijs etiam Sicilia aliquamdiu ab externis & domeſticis
motibus quieuit, donec Saracenorum fratrum diſcordia & regni æmulatio, otium pu-
APHOCAPS. blicum inteſtinis bellis turbauit. Aphocaps namque Apollopharum fratrem natu ma
iorem ex inſidijs prœlio ſuperat; Michaël Imperator id precanti per legatos Apollo-
GEORGIVS MANIACES IN SICILIAM MISSVS. pharo Georgium Maniacem cum imperio in ſubſidium mittit. Georgius iſte ob no- B
bilitatẽ, patre namque Gudelio patricio natus erat, & militares artes clarus habebatur.
Interim dum in itinere Georgius eſt, Apollopharus euocato ex Africa ſubſidio Apho
capſem pugna profligat, & Siciliam recuperat; & vt tanti rerum motus componeren-
tur inter fratres, per amicorum fidem diſcordijs ſopitis, pax ſequuta eſt. Georgius au
tem vt intellexit Apollopharum in cuius ſubſidium veniebat, cum fratre pacem feciſ-
ſe, ex ſocio hoſtis eius efficitur; Italiæque Principum amicitiam ambire cœpit. Flore-
bant eo ſæculo in Italia Nortmanni principes, ob rerum geſtarum gloriam commẽdati
Guilielmus Ferrobrachius; & Robertus Guiſcardus, quos ſibi fœdere Maniaces, vt Sa
racenos faciliùs Sicilia expelleret, coniungit. copijſque collectis Nortmanni & Græci
MESSANA RECEPTA. inſulam inuadunt; Meſſanam quæ barbaros vbi externa auxilia oſtendebãtur eiecerat;
recipiunt: profligati Saraceni fuga Syracuſas petunt, Guilielmus hoſtium ducẽ Arca-
dium ſingulari pugna congredi auſum trucidat; & eius copias fundit; & Syracuſæ
SYRACVSAE RECEPTAE. electo Barbarorum præſidio recipiuntur. Apollopharus cum fratre Aphocapſe vt Si- C
ciliam tuerentur, contractis vndique militibus, contra Maniacem victorem mouent;
acieque vincuntur; vt nonnullis placet Maniaci virtute; quamuis ſint qui Guilielmi
in re militari peritiæ eam victoriã adſcribere malint. Maniaces hoſte profligato quum
late victricia ſigna circumferret, XIII. vrbes intra breue temporis ſpatium expugnaſſe
traditur. Proſperum vſqueadeo rerum ſucceſſum Maniaci aut auaritia aut inuidia
interrupiſſe creditur: nam quum neglectis (quorum virtute res bene geſta erat) Nort-
mannis prædam prætecturaſque Græcis tantum & ſuæ gentis militibus, non in commu
ne vt conuenerat diſtribueret; auerſio animorum & diſcordia ſuborta eſt; & inter al-
tercandum quum Arduinus qui ordines apud Nortmannos Principes ducebat, libe-
rius de iniuria conqueſtus; iurgiis & verberibus a Maniace violatus eſſet; altius ea in
Guilielmi animum penetrauêre; qui communicato defectionis conſilio cum fratribus,
tempus & occaſionem captabat. miſſuſq; cum ſuis & fratrum copijs ad hibernandum D
in Apulia eandem eiectis Græcis occupat, & imperio ſuo adiungit, Maniacem cum ma-
gno exercitu contra ſe venientem, acie victum retro in Siciliam fugere cogit. Saraceni interea ex Africa nouis copijs aucti, iuxta Trainam caſtris poſitis; a Maniace, altero quam Siciliã receperat anno, acie victi ſunt; eo in prœlio quinquaginta hoſtium millia cecidiſſe; ducem fuga vitæ ſuæ conſuluiſſe ſcribitur. Maniaces quod is incolumus euaſiſſet, Stephanum Auguſti ſororium claſsique præfectum, negligentiæ criminatus, conuicijs & verberibus violauit. Stephanus litteris ad Ioannem Auguſti fratrem ſcriptis vt ſe vlciſceretur, Maniacem proditionis inſimulat; quã calumnia effecit, vt Maniaces a Michaële Auguſto euocatus in carcerem conderetur; & ipſe cum Baſilio eunucho Siciliæ præficeretur, qui per ignauiam, a Saracenis ſuperati & ex inſula eiecti ſunt; iámque iterum Sicilia ſub Barbarorum dominatione, excepta Meſſana ſeruiebat. quum

A bat. quum hoſtes contra Meſſanam maximis vndique copiis contractis mouent & arctiſsima obſidione vrbem premunt. Præerat vrbi Catacalonus Armenius, rei militaris peritiſsimus. Is vt hoſti ſecuritatem augeret, metum ſimulans ſeſe intra mœnia continuit; mox barbaros die feſto & epulis & vino ſepultos, ſubita eruptione trucidat; ceteros qui arma ceperant profligat; Apollopharum ipſorum regem cum XXX M. cecidiſſe ſcribunt. Dum hæc in Sicilia geruntur Zoe Auguſta poſt mortem mariti Maniacem è carcere liberat, & in Italiam contra Nortmannos omnia populantes ducem cum copiis miſit, qui vt prouinciam armis pacauit; ſic iterum domeſticis odiis capitaliter petitus ſibi & armis & virtute ſalutem quæſiuit; Pardum namque Conſtantini Monomachi auſpiciis contra ſe miſſum aggreditur, & acie ſuperatum interficit, hinc Imperator a militibus ſalutatus Epirum, nequidquam pacis conditiones offerente Conſtantino occupat. Ob quæ Imperator Stephanum Sebaſtophorum cum le-

B gionibus contra Maniacem mouere iubet; victus magna clade apud Oſtrobum Epiri vrbem Maniaces, confoditur. Interea dum diuerſis orbis partibus ciuili bello imperium Orientis conuellitur; Saraceni, copiis ex Africa euocatis, Meſſanam diuturna obſidione fractam expugnant; inque vrbem ferro flammaque ſæuiunt. Hactenus itaq; Sicilia ſub Orientis Imperatoribus, tot belli cladibus, miſerè affecta; modo Græcorum, modo Barbarorum armis obnoxia & prædis lacerata, tãdem Nortmannorum auſpiciis ab vtrorumque crudelitate liberata eſt.

APOLLOPHARVS REX IN PROELIO OCCISVS. M.XLIIII.

M.XLIX. MESSANA A SARACENIS ITERVM CAPTA.

DE NORTMANNIS.

ANNVS iam erata Chriſto nato milleſimus & quinquageſimus ſeptimus quũ rebus in Sicilia, inde in Apulia proſperè geſtis; Saracenis ſubactis; Græcis ex Italia ob dominandi impotentiam depulſis; Robertus Guiſcardus, & Rogerius fratres Nortmanni rerum in Apulia & Calabria potirentur, atque quum Rogerij virtus & olim in Sicilia rerum geſtarum gloria omnium oculos animoſque conuertiſſet; mouit etiam & trium Mamertinorum cogitationem, vt patriæ tam dura Barbarorum ſeruitute oppreſſæ remedium aliquod ex propinquo ſperarent, factáque conſpiratione & communicato cum fidiſsimis conſilio, ipſi ad Rogerium qui tunc Mileti in Calabria erat, legationem ſuſcipiunt, benignéque auditi; Pontificis etiam Nicolai II. ſanctione auxilium a Rogerio impetrant; qui fide data acceptáque eos in ſpem mentémque meliorem erectos dimittit: copiáſque ad expeditionem quam poteſt occultiſsimè parat. legati ad ſuos reuerſi, arcanis conſiliis omnia in Rogerij aduentum vt conuenerat, præparant. Rogerius è Rhegio cum XXVI. nauibus ſoluens, ad Meſſanæ litora centurias militum vndecim & ducẽtos equites quibus Godefridum fratrem præfecit, exponit; & ad mœnia ducere iubet: ipſe cum claſſe portum ſubire cœpit.

D Saraceni ſubito & inopinato hoſtium impetu torpeſcentes quum etiam armatos in ſeſe intra mœnia Mamertinos irruere; portáſque vt auxilia admitterent refringere viderent: vndique ancipiti malo circumuenti ad internecionem trucidantur; non paucis ſaluti fuit Rogerij clementia, qui per præconem ijs incolumitatem promittebat; qui CHRISTVM SERVATOREM, è iurata Mahumetis impietate profiterentur. Meſſana ad eum modum recepta, Rogerius fratrem ſuum Robertum natu maximum in Siciliam, vt communibus auſpiciis eam liberarent, euocaſſe ſcribitur. Nortmanni fratres Meſſana præſidio munita, in mediterranea cum copijs mouent; Romettam deditione capiunt; inde Centuripinos obſidione cingunt; ſed a præſidiarijs repulſi, quia nunciabatur Belcabutum Saracenum cum XVM. exercitu contra ſe mouere; ſub Enna poſitis caſtris conſederunt: mox ex itinere cum Barbaris congreſsi, eoſdem prœlio cæſis decem millibus profligant. inde diuiſis copijs Robertus Ennam obſidet; Rogerius in

AN. A CHR. N. M.LVII.

M. LVIII.

M. LX. MESSANA ITERVM RECEPTA.

NORTMANNORVM CVM SARACENIS PROELIVM. ET VICTORIA.

rius in Agrigentinorum agros irrumpit, & omnia ferro flammiſq̃ populatus, cum magno captiuorum numero, & pecorum præda ad fratrem reflexit. qui quum fruſtra aliquoties Ennam tentaſſet; ambo Meſſanam in hyberna profecti, Robertus in Italiam traiecit. Oritur interea diſsidium ingens inter Robertum & Rogerium: Rogerius enim mediam Calabriæ partem, quia non dabatur, vt conuenerat, armis repetebat: mox acie congreſsi fratres, Rogerius victor, Hieracium deditione accipit: Robertus Hieracium obſidet; atque a Baſilio familiari intra mœnia receptus, parùm abfuit quin ciuiũ ſeditione oppreſſus & trucidatus ſit; obtinuit, vt in magiſtratuum poteſtate eſſet, quouſque frater eius Rogerius de ipſo ſtatuiſſet. Rogerius clade fratris ſui intellecta in commiſerationem vertitur; & ad eius ſalutem properat, mutuiſq̃ amplexibus molliti fratres pacem faciunt. Rogerius pacatis in Italia rebus, in Siciliam reuerſus dum Nicoſiam haud procul ab Argyra ſitum opidum oppugnat, nuncium accipit Traianenſes præſidio eius eiecto arma ſumſiſſe. Itaque citatum agmen eo rapit vt Græcos in ipſo conatu opprimeret. Ceterùm quum hoc fruſtra eſſet quia Græci vrbis partem, quam occupauerant vallo & præſidijs munierant, ſtatim ab quinque Græcorum millibus a tergo circumſidetur, & omni commeatuum commercio intercluditur. Rogerius vt armis omnia experiretur, in Græcos toto impetu & citatis equis inuectus magnam ſtragem edidit; ceterùm equo ipſius ab hoſte confoſſo proſtratus; mox gladio in circumfuſos irruens viam ſibi ad ſuos aperuit; & inter hoſtium caſtra, & vrbis præſidium quatuor menſibus conſedit. Græci quia Nortmannos anguſtia rei frumentariæ & iniquitate loci intercluſos ſedendo opprimi poſſe confidebant, in otium & negligentiam prolapſi, inq̃ vinum epulaſq̃ procliues, Nortmannorum vigilãtia & fortitudine præoccupati profligantur, Traianaq̃ recepta; in Perinium defectionis auctorem laqueo animaduerſum eſt; ceterorum qui ea coniuratione tenebantur fortunæ Nortmannis in prædam datæ ſunt. Interea quum Saraceni nouis copiis aucti in Ennenſem vſque agrum excurriſſent; eos inter prædandum aſſequitur Robertus, & magna clade fuſi profligatiq̃ue; triginta milium exercitum cogunt, & Ceramium obſident. Fama tenet Rogerium exigua admodum manu, ingentem hoſtium multitudinem non ſine manifeſta numinis præſentia fudiſſe. generoſo enim equo vectum ante prima ſigna equitem apparuiſſe crucerubra inſignem, quem Diuum Georgium opinabantur; eumq̃ primam hoſtium aciem ceteris panico metu cõſternatis perrupiſſe; Nortmannoſq̃ue ad pugnam prœlium q3 acuiſſe ſcribitur. decem millia hoſtium eo prœlio ceciderunt. & XX.M. Barbarorum qui ad prærupta & tuta ſeſe loca ex fuga receperãt, per obſidionem expugnata, cæſa, aut in ſeruitutem venundata. Poſt eam cladem Barbaros numquam iuſta amplius acie cum Rogerio cõgreſſos, velitationibus, inſidijs, aut populationibus qua poterant agendo ferendóque latrocinatos obſeruo. Octauo demùm anno Rogerius fratrem ſuum Robertum in auxilium euocat; qui coactis vndique viribus Panormum intra paucos dies expugnatione a fratre adiutus cepit. Nortmanni victoria clementer vſi ciuitatem in gratiam recipiunt, ciueſq̃ue libertate donant; templa a Saracenis profanata luſtrari iubent; Nicodemum eius vrbis Pontificem a Barbaris eiectum reſtituunt. quibus beneficijs omnium gratiam fauoremq̃ collegerunt; & Rogerius ab Vrbano II. Pontifice Maximo Comes Siciliæ appellatus eſt.

SARACENI A NORTMANNIS ITERVM VICTI.

M.LXXI. PANORMVS A NORTMANNIS RECEPTA.

ROGERIVS SICILIAE COMES APPELL.

M.LXXXV. SYRACVSAE A NORTMANNIS RECEPTAE.

AGRIGENTVM A NORTMANNIS RECEPTVM.

Rogerius inde Meſſanam propugnaculis & publicis ædificijs ornat: Sacerdotes prædijs ditatos, ad ſacrorum curationes per ducentos ferè annos ob Barbarorum tyrannidem intermiſſas reuocat & reſtituit: Syracuſas quadrimeſtri obſidione cinctas, Saraceniſq̃ue frequenti pugna terra mariq̃ue profligatis deditione capit. Sequenti deinde anno Agrigentum Rogerius occupat; captiſq̃ue ibidem Chamuti, Saracenici præſidij apud Ennẽſes Prætecti, vxore liberiſque, eoſdem benignè & humaniter habuit.

A buit. Inde cum equitibus Ennam profectus ; Chamutum ſpe redimēdæ vxoris, prolisque euocatum ; equitatu circumdatum capit ; vrbéque in poteſtatem ea calliditate redacta ; Chamutum eiurata Mahumetica impuritate, CHRISTO SERVATORI cum liberis & vxore initiatum, & libertate, agris, prædijsque donatum, vt Mileti in ſecuritate & otio reliquum vitæ degeret, commigrare fecit. Iam Sicilia in poteſtatem redacta ; & à ſeruitute Barbarorum liberata erat ; præter Næetum & Butheram vrbes ; quæ vi capi non poſſe videbantur. Ceterùm quum Rogerius iuſtitia & liberalitate erga omnes vſus, Siculos multis ſibi beneficijs demeruiſſet ; Buthera ſponte tam benigni iuſtique victoris clementiam ſequuta ſeſe dedidit. Næetini etiam qui nullis armis expugnari poterant, & Barbarorum præſidio tenebantur, ſupplices quoque vnà cum Saracenis Rogerio accidunt ſeſéque & ſuas fortunas eius voluntati permittunt, quos ille comiter acceptos, & Chriſto initiatos, in gratiam re-

B cepit ; ijſque Iornandum filium præfecit. Atque quum iam nihil quod in Sicilia vinci poſſet, ſupereſſet : etiam ab alijs, qui adhuc Saracenorum dominatione premebantur, ſeruitutem eſſe depellendam putauit. quare Melitam inſulam ; & mox Gaulon Melitæ vicinam, eiectis inde Barbaris ſibi ſuiſque poſteris per arma vectigales fecit. Traditur ipſum corpore firmo & procero : oris magna dignitate & egregia forma fuiſſe. adhæc in facundia, militarique peritia, conſilióque promtum & expeditum : benignum præterea, comem & erga omnes liberalem fuiſſe ; magnóque ſui deſiderio relicto, cum grata nominis ſui ad poſteritatem memoria exceſsiſſe filijs ſolum Simone & Rogerio, quos Adelanda Hieroſolymorum Regina procreauerat ſuperſtitibus. Simon patri ſucceſsit, qui quum breui admodum tempore ſuper vixiſſet : Rogerium fratrem in Siciliæ & Calabriæ Comitatu ſucceſſorem habuit. Is ad maiora aſpirans ; quum etiam patruelis ſui proles varijs caſibus extincta eſſet ; ex eorum morte etiam Apuliæ principatu auctus, regium diadema affectat : & vtriuſque

C Siciliæ Rex ; (iam enim Neapolis, Apuliæ & Calabriæ regnum ſub Siciliæ nomine cōprehenſum erit,) ſiue regnorum cis & vltra Pharum Rex ab Innocentio ſecundo, Pontifice Maximo appellatus eſt : & Panormi inſignia regia, coronámque accepit. Varia hic & maxima bella geſsit. Quum in Africam arma tranſtuliſſet, rebus contra Arabes proſpere geſtis ; Tripoli, Aphrodiſio, Siphacio, Capſióque opidis in poteſtatem redactis, Tunetanum regem ad pacis leges coëgit. Inde in Suria contra Saracenos Ludouico Francorum regi adfuit ; Græcia contra Emanuëlem Auguſtum & contra Venetos Emanuëli ſuppetias ferentes, arma tulit. in vtraque expeditione, terra marique victorem multa non ſolum præclarè, ſed & fortiter etiam geſsit. Domum inde reuerſus Cephalædum, quod Barbari proſtrauerant, inſtaurauit ; ibi & CHRISTO SERVATORI ampliſsimum templum, in victoriæ ſiue monumentum exſtruxit. Scribitur fuiſſe corpore pleno & procero, robuſtoq́ ; : vultu aſperiore, voce

D obtuſa ; publicè ſeuerum ; priuatim humanum & comem : barbaris terrori, ſuis amori, iuſtitiæque laude omnibus cōmendatus erat moritur anno ætatis LIX ; Guilielmo filio ſolum ex tribus, quos progenuerat, ſuperſtite. nam Rogerium Apuliæ ducem ; Alphonſum Capuæ Princeipem ambos adhuc florentis ætatis amiſerat. de Rogerio Apuliæ duce traditur ; eum, ingenuæ puellæ & ex Comitum familia oriundæ forma captum, vſqueadeo in amorem proiectum fuiſſe ; vt a patre rege, quo ſaluti Rogerij, iam in deſperationem prolabentis conſultum eſſet, legitimas cum eadem impetrarit nuptias : exque eo coniugio Tancredum, qui Guilielmo bono ſucceſsit ; & Conſtantiam procreatos. Conſtantiam virginum Veſtalium ordini auus Rogerius Panormi adſcripſit : eámque poſtea legibus ſolutam Celeſtinus III. Pontifex Max. Henrico Sueuo Auguſto vnà cum Siciliæ vtriuſque regno collocauit. Sed hæc loco ſuo memorabimus. A Rogerij patris vt iuſtiſsimi ita & laudatiſsimi Principis virtute

ENNA A NORTMANNIS RECEPTA.

BVTHERA A NORTMANNIS RECEPTA.

NAEETVM A NORTMANNIS RECEPTVM.

MELITA A NORTMANNIS RECEPTA.

ROGERIVS COMES MORITVR.

AN. A CHR. N. MCII.

SIMON SICILIAE COMES MORITVR.

AN. A CHR. N. MCX.

ROGERIVS I. VTRIVSQ. SICILIAE REX APPELLATVS.

MCXXIX.

ROGERIVS REX MORITVR.

MCLI.

GVILIELMVS VTRIVSQ. SICILIAE REX.

Guilielmus filius, quem pater adhuc viuus ſucceſſorem ſibi cooptauerat, in tyrãnum A
degeneraſſe traditur; Primorésque regni fide & probitate commendatos partim exſilio afflixiſſe, partim necaſſe, ſi contra Maione quodam Barenſe, qui ob morũ ſimilitudinem in eius familiaritatem obrepſerat, homine obſcuro; & in auaritiam atque libidinem profuſo, vt intimo & neceſſario vſum. qui proceribus ceteris, exitium apud credulas regis aures & ſuſpicacem animum molitus; etiam vacuo ab amicis rege, eadem perfidia regnum affectabat. Deuinctóque ſibi in conſiliorum neceſsitudinem Hugone Panormi Praſule, placuit euerſo per calumniam Lorotelli Comite Roberto, qui potentia ſua ipſorum conatus fracturus metuebatur; regiæ prolis tutelam affectare; & ſub eius prætextu ius regni inuadere. Quorum prãua conſilia Roberti ſagacitate & prudentia; etiamſi multi proceres ipſorum artibus & delationibus euerſi eſſent, impedita ſunt. Poſthæc diſsidio inter Maionem & Hugonem factionum iſtarum capita, ob ambitionem oborto; Matthæus Bonellus, qui Maionis affinitatem, de- B
ſponſata ſibi filia, varijs actibus prenſare videbatur; ob eam cauſſam familiariter admiſſus, Maionem ex inſidijs incautum opprimit & fuga elabitur. Maionis cadauer omni ludibriorum genere a populo plebeque vexatum eſt. Rex ob eiuſdem cædem ira incenſus, pacari nullis rationibus potuiſſet, niſi regia inſignia inter Maionis theſauros reperta, concepti ſceleris argumenta fuiſſent. Bonellus in gratiam regis, quia hoſtem & inſidiatorem regiæ ſecuritatis, & publici otij perturbatorem, occiderat, recipitur. Ceterùm paullo poſt quum Bonelli potentiam vt nimiam regi ad omnia formidoloſo ſuſpectam, factio Maionana reddidiſſet; ſceleriſque inuidiam detorquendo mollijſſent; Bonello Rex amicitiam & familiaritatem renunciauit. Is veritus ne noua factioſorum conſpiratione, & regis credulitate otium publicum perturbaretur; vnà cum optimatibus & proceribus pro libertate coniurat. placuit, regem in
poteſtatem procerum eſſe redigendum; factionem Maioniam opprimendam & delen- C
dam; proles regias, & regni curam in agnatorum & gentilium tutelam, quoad regiam ipſæ adminiſtrationem obire poſſent tradendos. Capto inde tempore coniurati, Gauaretto præſidij regij Tribuno muneribus corrupto, (neglectis etiam Bonelli mandatis; qui nihil ante reditum ſuum & rebus bene compoſitis tentandum monuerat) veriGVILIELMVS REX A SICVLIS CAPTVS.
ti ſi cunctarentur vlteriùs, ne res iam cum multis communicata per indicium ad regis aures penetraret, arcem occupant; regem captum in carcerem detrudunt; regias gazas, & inſtrumenta domeſtica diripiunt; in muliebrem ſexum ſtupro & libidine graſſantur. Dehinc Regis primogenitum Rogerium, equo impoſitum, & per vrbem regia pompa deductum, regẽ fauſtis acclamationibus ſalutant. ſed populo vt in Rogerij verba iuraret perſuaderi non potuit. atque quum poſt triduum vt conuenerat Bonellus non appareret, vulgus vt ſemper ad omnia mobile, ad miſerationem flectitur: Regem paucorum ſcelere oppreſſum, ad libertatem vt ipſis redderetur, commota ſeditioROGERIVS GVILIELMI F. OCCISVS.
ne & magno cum furore repoſcunt. In eo tumultu, Rogerius magnæ ſpei puer, quum D
caput e feneſtra incautiùs, vt proſpectaret exſeruiſſet, ſagitta circa oculum pecuſſus, paullò poſt exſpirauit. Vrgent inde Panormitani in regia obſeſſos coniuratos & regem ſibi tradi petunt alioquin ipſis extrema minantur. Rex ex feneſtra ſuis, ſqualore & pedore ſordidus oſtentatur. Vicit inuidiam, rei indignitas: vertitque in commiſerationem regia maieſtas eò miſeriarum proiecta. quare violatores regis ad ſupplicium depoſcuntur. Rex libertati ſuæ reſtitutus, eos qui ipſum violauerant, capitáque coniurationis fuerant, incolumes abire iuſsit: commotus inde tot ſimul aduerſis rebus,
SICVLORVM CONTRA GVILIELMVM CONIVRATIO.
& domeſticis etiam inſidijs anxius, animo mentéque concidit: regiámque veſtem, ſiue dignitatis & maieſtatis oblitus abiecit. Excitatus tamen inexſpectato admodum motu; nunciabatur namque Bonellum cum coniuratis in proximo magnas copias habere, nouáſque iterum res moliri: eò legationem miſit, percunctatum, ecquid Bonellus

ceteri-

A ceteriq́ue militem ſuis auſpicijs conſcriberent? quid pararent? reſponſum a Bonello; ipſum ſupplices ad ſe confugientes excludere non potuiſſe poſtulare, vt leges quas Rogerius Comes tulerat; Rex reipublicæ præſtaret. ad ea Rex reſpondit, nihil metu a ſe vel minis impetrari poſſe; quod ſi ab armis diſcederetur; faciliùs ea quæ poſtulabant, impetraturos. Bonellus vbi primos conatus fefeliſſe videt, ſuorum conſenſu victus Panormum verſus mouet, & caſtra tribus ab vrbe millibus metatus, conſedit. Ibiq́ue aliquamdiu neglecta rei bene gerendæ oportunitate fruſtra tẽpus triuit; quum ciues & commeatuum inopia arctati, partium quoque ſtudijs irrequieti; ad res nouas ſpectarent, incertum quo conſilio obſidionem ſponte ſoluit. Rex interea anxius, Bonellum magni ſpiritus virum, & caput factioſorum a pernicioſis conſilijs reuocandum ſtatuit. & per legatum amicitiam ipſi offert; cuius ſedulitate effectum eſt, vt Bonellus cum rege venia ipſi rebellionis data, in gratiam rediret: ceteri, qui in eodem cri-
B mine fuerant, in exſilium vt materia ſeditionum tolleretur abire iuſsi. Verùm motus iſte malè compoſitus, ob ſuperbiámne regis an auariciam incertum, mox maiore cum tumultu, diuerſis in locis, iterum recruduit. adhæc exſulum armis, qui ſocietatem cum Saracenis, paſsim adhuc inſulam ſub tributo incolentibus Siciliæ ſtatus turbatus eſt. Eius ſceleris inuidiam Bonellus nulla ſua culpa ſed per calumniam ſuſtinere apud regem coactus, tumultuantibus nequidquam pro eius libertate ciuibus; oculis orbatur; & corporis quoque robore neruis per inciſionem abruptis, ſoluto; carceris deinceps ſquallore contabuit. Rex inde in Buteram quæ deſecerat mouet; & in opidum per pactionem recipitur; Hinc quum contra Apulos rebelles expeditionem rex ſumſiſſet; Gaytus Martinus Eunuchus, cui ſe abſente regni negocia aliquot commiſerat oblatam ſibi fratris in eo (quem memorauimus) motu cæſi occaſionem vlciſcendi, amplexus; promiſcua in eos quibus infenſus erat cæde, Barbaricam crudelitatem exercuit; ita vt ſub huius dominatione Sicilia nouam tyrannidem experiretur; donec commo-
C ti hominis ſæuitia Siculi, eum in ordinem cogerent. Rex demùm pacatis in Italia rebus reuerſus, Panormum publicis ædificijs, patrem ſuum Rogerium imitatus ornauit; deinde quum in aluũ fluorem prolapſus eſſet moritur. mortem eius multorum cum lætitia exceptam ſcribitur, tum quod reipublicæ curam iniuſtis ſemper & rapacibus harpyis commiſiſſet; tum quia iuſtos per calumniam opprimi aut peruerti paſſus eſſet; tũ quod auaritia inexplebili, argento, auróque, facto, rudi, ſignatóve ciues ſuos per tyrãnidem ſpoliaſſet; & coriũ ad mercium permutationem ſignari iuſsiſſet; vſque adeo vt ob ea vitia etiam inuidioſo nomine Malus cognominatus fuerit. Regis mortem Regina tam diu diſsimulauit, quouſque paratis omnibus quæ ad filij ſucceſsionem neceſſaria erant, eadem fama & regem mortuum, & regnare Guilielmum eius filium euulgaret. Guilielmus itaque ſecundus annos vndecim natus patri iuſtis perſolutis ſuccedit; qui ob virtutem Bonus appellatus eſt: & imperij poteſtatem cum matre
D Margareta, vt pater moriens iuſſerat, communicauit. Is ſtatim & morum comitate gratiáque, adhæc formæ dignitate omnium oculos in ſe conuertit: adhæc matris quoque eius in ciues benignitas & beneficentia, omnium animos in ſpem mẽtémque meliorem erexit. Interea tamen domus regia factionibus, ambitione & auaritia purpuratorum in partium ſtudia diuellitur. Iiſque malis inteſtinis labefactata eſt reſpublica, etiamſi ab externis armis pace frueretur; ægrèque tandem & regis lenitate, & Reginæ prudentia tam graues regni motus in extremam calamitatem progreſſuri componuntur. Ceterùm vt Guilielmus diſcordia purpuratorum ſuorum & partium ſtudijs domi variis motibus impeditus fuit; ita multis calamitate aut aduerſis rebus fratres, armis, opibus, conſilio protexit. Alexandrum tertium Pontif. Rom. contra Friderici Ahenobarbi Imperatoris, potentiam armis defendit: Andronico, qui Orientis Imperium ſcelere occupauerat ſua ope deiecto, & domi cæſo, effecit vt Iſacius in eius lo-

GVILIELMVS REX MORITVR. M. CLXVI.

GVILIELMVS II. VTRIVSQ. SICILIÆ REX.

cum Imperator crearetur. mox laborantibus in Suria Christianis & subsidio per com A
meatum, et missis copiis saluti fuit. Posthæc reuocato è Græcia ab exsilio, in spem
TANCREDVS VTRIVSQ. SICILIAE REX. MCLXXXVI regni Tancredo patruele suo, orbus e viuis excesit, anno ætatis suæ XXXVII. Tancredus Panormi Siciliæ regnum varijs iterum motibus turbatum per Procerum electionem accepit. Ceterùm quia is ius regni, quod sibi Pontificio iure deberi Pontifex Clemens III. ostendebat, occupauerat; et summi quoque Pontificis auctoritate contemta, armis Apuliam infestauerat; mortuo Clemente, Cælestinus tertius ipsi æmulum, qui eius contumaciam edomaret Henricum Sueuum Friderici Ahenobarbi Augusti filium, imperatorémque opposuit; eidémque Henrico Constantiam Rogerij, vt memorauimus, filiam, Tancredi sororem, quamuis virginitatis perpetuæ voto obstricta esset, legibus solutam, (vt ius vtriusque regni veluti dotem iam suam armis sibi et posteris suis vindicaret,) in vxorem dedit, ea tamen condicione vt Romano Pon-
MCXCIII. tifici tributum certum quotannis penderet, Mors inde Tancredi ex morbo, quinto B
ROGERIVS II. VTRIVSQ. SICILIAE REX. quã regnauerat anno in ipso belli apparatu sequuta; omnia Henrico Cæsari proniora ad regnum armis occupandum fecit. Aberat is interea temporis in Germania vt sibi copias conscriberet; quũ Tancredo Rogerius filius eius nominis secundus in regnum succederet. Sed cognita Tancredi morte, coacto vndique exercitu in Italiam mouit; & Neapolin frustra tentat; veritusque ne dum ad Neapolis obsidionem tempus sedendo extraheret & spes suas cunctatione corrumperet; quia vi non poterat, Rogerium dolo euertit; eundem namque spe pacis deceptum, & incautum in potestatem redigit, regnóque exsutum & oculis orbatum; & ne qua spes regij sanguinis supereset, virilibus mutilatum in Germaniam relegasse & carceris squallore confecisse scribitur. in eius rei narratione auctores tamen variant; ij Rogerium, quum in regni consortium a patre adhuc viuo cooptatus esset, desponsata ipsi Irene, Isaacij imperatoris filia, paullòpost fato functum fuisse tradunt. Tancredum animi dolore
GVILIELMVS III. VTRIVSQ. SICILIAE REX. & regni motibus anxium curis & angore contabuisse. ipsi filiũ nomine Guilielmum C
MCXCIII. astu & artibus Sibyllæ matris suæ surrogatum, ad regnum obrepsisse. Henricum proximo inde anno armis regno Neapolitano potitum, Constantiam quoque vxorem, quæ a piratis intercepta in Tancredi potestatem venerat; recepisse. Sibyllam Tancredi viduam quæ cum Guilielmo iam rege, & tribus filiabus in arcem nulla vi expugnabilem sese condiderat; spe pacis & pactionum fœdere ab Henrico circumuentam, cum tribus filiabus in Germaniam relegasse. Guilielmum prunis ardentibus oculorum vsu orbatum. vsqueadeo vt isti hãc calamitẽ Guilielmũ; illi Rogerium subisse; & in huius an illius morte, Nortmannorum stirpem, quæ in Sicilia & Apulia principatum per centum triginta septem annos tenuerat extinctam esse scribant.

DE SVEVIS. D

HENRICVS SVEVVS, AVGVSTVS VTRIVSQ. SICILIAE REX. AN. A CHR. N. MCXCV. HENRICVM Sueuum sextum eiusdem nominis Augustum tam tristibus initijs, extremáque clade Nortmannorum gente deleta, regni vtriusque auspicia inchoasse Siculorum rerum scriptores memoriæ prodiderunt; tantæque crudelitatis vicem Henrici posteris quarta inde stirpe in Conradino, vt suo loco memorabimus, ante sæculi vnius conuersionem a Carolo Andegauensi repositam fuisse. addunt, Constantiam Augusti vxorem grauidam & partui vicinam Panormi extenso in publicum tabernaculo; (quia iccirco quod quinquagesimum iam superasset annum infecunda vulgò credebatur) vt in matronarum præsentia, & simulati partus & suppositij suspicionem adimeret, filium Fridericum enixam esse. Ceterùm Henricus in aliquot qui coniurationis in ipsius caput conuicti erant, animad-
uertit;

A uertit; & paullò poſt in crudelitatem quoque prolapſus in aliquot qui Tancredi partium fuiſſe accuſabantur, nulli parcens ordini promiſcuè proſcriptionibus, ferro, flammiſque ſæuiiſſe; & rapinis quoque fiſcum ſuum impleuiſſe ab ijſdem accuſatur. Id tamen fatentur, ab eodem quantum humana cura prouideri potuit, Siciliæ res ad tranquillitatem compoſitas eſſe. eundem vxoris dolo vt dolorem tam alta mente repoſtum, quem de nepote Rogerio an Guilielmo incertum; tot contumelijs lacerato conceperat, vlciſceretur veneno; alij morbo tradunt eſſe extinctum. moribundumque Fridericum qui tunc quinctum agebat annum, & Conſtantiam vxorem tutelæ Pontificis Romani & Philippi fratris ſui commendaſſe. Ipſum ſtatura quidem mediocri, corpore tenui & imbecillo; oris tamen magnam præ ſe tuliſſe dignitatem deſcribunt. prudentem adhæc facundum & aucupio deditum fuiſſe; & hoc genus venationis primùm ab ipſius patre Friderico Ahenobarbo in Italiam tranſlatum teſtantur.

B Ceterùm quum Philippus Friderici patruus & tutor, in Germania etiam tunc ciuilibus bellis commota, abeſſet; Conſtantia virilis animi mulier interea regnum magna cura & ſumma cum iuſtitia adminiſtrabat; & Fridericus iam ſeptennis Panormi ex more regium diadema, regiumque ornatum ſumſit, & fauſtis populi acclamationibus in regem inauguratur. eiuſque mater paullò poſt moriens filium Innocentij tertij Pontificis Maximi clientelæ commendat, Friderico decimumquinctum agẽte annum Conſtantia Alfonſi Aragonum Regis filia Panormi nubit: Philippus interea Auguſtus Friderici patruus, poſtquam in Germania frequenter Othonem Saxoniæ ducem prælio fregiſſet, imperiumque factionibus irrequietũ compoſuiſſet; nono quam Imperator inauguratus erat anno inſidijs Othonis Palatini Comitis cæſus eſt. Huic Otho quartus Saxoniæ dux in imperium ſucceſsit; qui Auguſtus ab Innocentio III. Pontif. Max ſalutatus & Romæ inauguratus; Campaniam quæ ditionis Friderici erat; Flaminiam quæ Pontifici parebat, armis inuaſit: atque quum ad Innocentij

C interceſsionem id vetantis non obediret; Pontifex vt Friderici cauſſam & ius ditionis Pontificiæ tueretur ſacroſancta poteſtate vſus; eidem diris deuoto imperatoriam dignitatem abrogat; & Septemvirorum Senatui auctor fit, vt Fridericum Siciliæ regem iam tunc viceſimum (ſi rectè putant Chronologi) agentem annum Cæſarem crearent, qui Othonem exſecratum bello proſequerentur. Fridericus eodem tempore quo ſe Cæſarem a Septemviratu deſignatum accepit, etiam filiolo recens nato cui nomen Henrico fecit, auctus animum ad tantum dignitatis faſtigium ſuſcipiendum, ſe ſuiſque maioribus dignum ſumſit. & diſſuadentibus etiam amicis Romã profectus ſummo cum honore excipitur: inde Genuam, mox Papiam vſque progreſſus, Alpibus ſuperatis, Othonem, Philippi Francorum regis ſocietate adiutũs prœlio fractum in Saxoniam fugere coẽgit. Victor inde Romam reuerſus ab Honorio III. Pontifice Maximo Auguſtus ſalutatur & inauguratur, mox quum nunciaretur non-

D nullos Principes in Apulia res nouas moliri; opida oppugnare; in Tuſcia quoque arma moueri; coactis copijs eos qui arma ſumſerant in poteſtatem redactos aut ſupplicio punit, aut in exſilium agit. Interea Saraceni qui paſsim adhuc in Sicilia, vt memorauimus, degebant, a Friderico fiducia locorum quæ incolebant, duce Mirabetto deficiunt. Eos Imperator magna vi aggreſſus ſuperatos, ne quid deinceps moliri poſſent, ex ipſorum rupibus & arcibus detractos in potentia & plana tranſtulit; viginti millia quoque in Nuceriam Campaniæ opidum ex Saracenis colonorum deduxit; quorum deinceps virtute & armis vſi Fridericus eiuſque poſteri multa præclara geſſerunt. in Mirabettum defectionis auctorem laqueo animaduerſum ſcribunt. Proficiſcitur inde in Germaniam Fridericus, & Henricum ex Conſtantia filium indicto Septemvirorum Herbipoli conuentu Cæſarem deſignari fecit, & ipſum ſibi in collegam cooptauit. Interea odium Friderici in Pontificem Honorium quod mul-

FRIDERICVS SVEVVS VTRIVSQ. SICILIAE REX. MCXCVIIII.

FRIDERICVS II. AVGVSTVS. MCCXX.

torum querelis & delationibus coaluerat, in manifeſtam ſimultatem erumpit; quod tamen Ioannis Hieroſolymorũ Regis, qui rebus in Suria a Sultano profligatis, opem ab Honorio rogaturus Romam venerat, interceſsione emollitum eſt; & odijs in gratiam Reipublicæ depoſitis, Fridericus ducta in vxorem Iolanta; regis profligati, vnica filia, prouinciam liberandæ Suriæ ſuſcepit. ſed expeditionem in proximum vſque annum diſtulit. Naſcitur interea ipſi ex Iolanta filius Conradus dictus; eáque paullò poſt animi curis ob mariti in ſe aſperitatem confecta, vt nonnulli produnt, moritur. Fridericus primo vere cõtractis vndique copijs in Cyprum vela facit, inde in Suriam nauigãs Sultanum ad eas pacis leges coëgit; vt Hieroſolymorum regnum, vnà cum Palæſtina reſtitueret; fœdereque in decennium percuſſo ſine ſanguine bellum maximum confecit, & rem Chriſtianam recreauit. Ipſe verò Hieroſolyma liberalibus ingreſſus in regem Hieroſolymæ inauguratur: vrbémque tot belli cladibus affectam inſtaurat; ædes ſacras reſtituit & nouas erigit; Nazarethum & Ioppen opida propugnaculis & præſidiario milite munit; inde Raynaldum Equitum Magiſtrum Suriæ præfecit; & rebus compoſitis in Apuliam ſua abſentia factionibus irrequietam reuertitur; & cum Gregorio IX. Pontifice (ab quo quod expeditionem ſacri belli varijs tergiuerſationibus eludere videbatur ſacris illi interdictum fuerat) in gratiam redit. Friderico Italia abſente, prauo nonnullorum conſilio Henricus quem in Cæſarem pater cooptauerat corruptus, ius imperij occupare conatus erat: quẽ Fridericus cum duobus filiis in poteſtatem redactum, in Calabriæ opido Maturano relegatum ibique inedia confectum; atque Conradum fratrem eius in locum a Septemviris ſurrogatum tradunt. Inde quũ Fridericus Pontificis Maximi auſpicijs, Romanos Viterbij quã circumſederant, obſidionẽ ſoluere coëgiſſet, nunciatur; Siciliam magnis motibus turbatam; caput ſeditionis & auctorem eſſe Martinum Balleonem, qui etiam Friderici vitam inſidijs petiturus eſſet. Fridericus eò citatum agmen rapit, & Meſſanam facilè recipit, Balleonem captum exuri, in ceteros alio ſupplicij genere animaduerti iubet. Syracuſis quoque & Nicoſiæ noxij puniti ſunt. Centuripen vrbem, quæ contumaciùs ab eo defecerat, magna vi expugnatam funditùs euertendam decernit; & Auguſtam in Orientali Cherſonnenſi fronte de ſuo nomine condi fecit. Dehinc ex Sicilia Romam cum Conrado Cæſare deſignato profectus a Gregorio IX. benignè exceptus eſt. Ceterùm Pontifex nimiam iam Friderici contumaciam expertus præſertim quum ſocias Mediolanenſium ciuitates oppugnare cœpiſſet, ad belli conſilia conuerſus, Venetos ſibi fœdere iungit. Atque quum illi Apuliæ oras claſſe infeſtarent, Fridericus magno impetu contra Pontificem inſurgens, cædibus & populationibus obuia quæque vaſtat, & ad ſtipẽdiorum anguſtiam redactus coriacea moneta vſus, eandem auro argentoq;, rebus ſuis iam proſperioribus permutauit. Inde Romam fruſtra tentat; Rauennam occupat, Beneuentum vi captum demolitur; Caſsinenſe monaſterium per legatos deprædatur; armatisque copijs ad vrbem denuo contendit. contra Gregorius comitia procerum Eccleſiaſticorum Romæ vt communibus ſuffragijs Friderico imperium abrogaret, indicit. Ijs terra marique Fridericus inſidias facit; & per Entium filium ſuum Sardiniæ regem plurimos Eccleſiæ Purpuratos intercipit, quos in carcerem Amalphiæ condidit. Scriptores tradunt Gregorium Pontificem vſqueadeo vbi eos interceptos cognouit, conſternatum fuiſſe, vt præ animi angore & mœrore febri correptus, breui interierit. Gregorio Cæleſtinus IIII. paucorum dierum Pontifex; & huic Innocentius IIII. ſuccedit. is nequidquam tentata pace cum Friderico per interceſsionem Balduini Inperatoris Conſtantinopolitani, in Gallia; aduerſo Rhodano Lugdunum vectus, Senatum Eccleſiaſticum indicit; eoque Fridericum citari per legatos primùm, & inde per præconem iubet; qui quum ad condictum diem nõ apparuiſſe renũciaretur; ex Senatuſconſulto, Pontificiæ etiam

FRIDERICVS HIEROSOLYMORVM REX.

M.CCXXIX.

M.CCXLV.

A B C D

A etiam cenſuræ obnoxius a ſacris arcetur; & ab Imperatoria dignitate mouetur. Fridericus ira accenſus Italiam bello quatere, omnia incendijs ferroque vaſtare, Pontificiorum omnia agere ferréque. Inde in Campaniam flectens Petrum Capuanum ſupremum Siciliæ Cancellarium conſpirationis accuſatum, oculorum vſu orbari & in carcerem conijci iuſsit. quem ſibi, ne tantæ contumeliæ & fortunæ ludibrio ſuperſtes eſſet, mortem conſciuiſſe ſcribitur. Tarenti interea Friderico hibernanti, nunciatur; Entium eius filium Bononiæ captum detineri. Euocatis itaque mox vndique copijs vt eum liberaret, morbo impeditus & tardatus, Idibus Decembris, anno ætatis ſuæ LVII. moritur. corporis mediocrem ſtaturam ei tribuunt; vultum lætum & apertum; linguarum Latinæ, Græcæ, Saracenicæ & Germanicæ magnam peritiam; in bonarum artium profeſſores & Academiarum prouentus augendos liberalitatem & benignitatem commendant; eumque Ptolemæi de cæli Conuerſionibus opera in B Latinum ex Barbarico ſermone tranſlatum, alióſque & ſapientia & medendi arte nobiles auctores Europæ primùm oſtendiſſe, adhæc magnis & dubijs in rebus conſilio fuiſſe præſenti & expedito ſcribunt, omnéſque ſui ſæculi Principes militari gloria viciſſe. Tres habuit vxores, Primam nomine Conſtantiam Aragonicam gentis, & ex ea Henricum Cæſarem: is ex Leopoldi Auſtri filia Henricum, Fridericum & Conradinum procreauit. Alteram Ioannis Hieroſolymorũ regis filiam Iolantam, quæ ipſi Conradũ Auguſtum; Conrado Margareta Auſtria Conradinum peperit. Tertiam Elizabetham Angliæ Regis ſororem, ex qua Iordanus in infantia extinctus, Henricus, cui pater Siciliam legauerat, in pueritia morbo conſumptus nati ſunt. Ex concubinis Manfridum, qui ab vtriuſque Siciliæ regno malis artibus parto deiectus eſt; Entium Sardiniæ; Henricum Corſicæ reges; & Fridericum Antiochiæ Ducem genuit. Mortuo non ſine veneni ſuſpicione Friderico Auguſto, Conradus Cæſar e Germania ad capeſſendum vtriuſque Siciliæ regnum in Italiam profectus; a Manfrido Tarenti C Principe, fratre ſpurio, quem pater moriens cum imperij poteſtate regnis, ne quid abſente adhuc Conrado turbaretur, præfecerat, excipitur: & Neapolin quæ ad Pontificem defecerat, & fruſtrà a Manfrido tentata fuerat, octauo demum menſe per cuniculos, aut quod alij tradunt, fame ad imperium coëgit, vrbémque multa clade deformatam, militi etiam ſuo diripiendam dedit. Atque quum vbique compoſitis exiguo quidem ſpatio, octo videlicet menſibus vltra biennium, regnaſſet, venenum ipſi dolo Manfredi per clyſtereni infuſum eſſe & periſſe Conradino filio, quem heredem ſcripſerat, ſolùm ſuperſtite tradunt. Ceterùm quum regni Neapolitani Proceres & ciuitates abſentem in Germania Conradinum negligerent; eiuſque tutores & præfectos odiſſent; etiamſi præcipua pars Conradini auſpicia ſequeretur; & inſuper Sicilia factionibus irrequieta nutaret, Manfridus capto iam tempore, conſilijs & artibus non viribus vtendum ratus, Neapolitanum & Siciliæ regnum deiecto Conra- D dino occupaturum ſe confidit. Placuit itaque primùm, præfecturam a Friderico moriente ſibi commiſſam, vt Conradini adhuc in Germania abſentis, imperium cum poteſtate adminiſtraret, exercere. moritur interea qui eius tam callidis conſilijs obſtruere poterat Innocentius IIII. Pontifex Maximus & eo mortuo Pontificatus ad interregnum per biennium redijt; Manfridus occaſione temporum vſus, Pontificias copias eximprouiſo, eductis e Nuceria Saracenis adortus, oppreſſas armis exſuit: & Manfridoniam vrbem demolita Sipunte, nouam de ſuo nomine, & ſalubriore cælo ſitam condidit. Poſthæc quum Alexandri IIII. Pontificis armis vrgeretur, ad artes ſuas conuerſus nuncios ſubornat, qui Conradinum eſſe fato functum mentirentur; ipſe vt eorum verbis fidem adſtrueret, funere regali pompa deducto, luctu quoque ſimulato, eam perſonam tam dextrè egiſſe ſcribitur; vt omnibus ea impoſturæ deceptis, regio deinceps habitu ſumto; regem ſe ſalutari & coronari fecerit. dehinc vt etiam

MCCL.

CONRADVS AVGVSTVS VTRIVSQ. SICILIAE REX. MCCLI.

MCCLIIII.

MANFREDVS VTRIVSQ. SICILIAE REX. MCCLV.

etiam neceſsitudine & affinitate opes ſuas confirmaret, quum filiam haberet nubilem nomine Conſtantiam, eam Petro, Iacobi Aragonum regis filio, qui poſt cædem Gallorum Siciliæ regno potitus eſt, collocat: mox Siciliam ad noui regis imperium tumultuantem in poteſtatem redegit: & Meſſanæ primùm receptus, & Rex a populo ſalutatus, Panormum proficiſcitur, & a regni Proceribus corona regia redimitur. Siciliæque rebus ita compoſitis, auſpicijs Vrbani IIII. Pontificis tamquam Eccleſiæ hoſtis euertitur: qui miſſo ad Ludouicum Francorum regem Legato, eiuſdem fratri Carolo Andeuagenſium Duci, vtriuſque Siciliæ regnum ex Pontificia auctoritate offert. Carolus ſuorum conſilijs impulſus & opibus adiutus, omnia ad tantam exſpectationem moliri cœpit. Interea & Manfridus magnam belli apparatum inſtruit. Carolus cum triginta triremibus e Maſsilia ſoluens; Oſtiam appulit, inde aduerſo Tiberi ſubuectus, Romæ benignè & comiter exceptus, Siciliæ vtriuſque Rex, in æde Lateranenſi a purpuratis Pontificis certis legibus inauguratur. Conuenerat enim vt Carolus eiuſdémque poſteri annuum XL. M. aureorum tributum Pontificij Rom. penderent; ne ipſe poſteriſque eius externum aliquod imperium, ſiue oblatum illud eſſet, ſiue armis acquiſitum caperent, mouit inde contra Manfridum Carolus, quem ad Beneuentum aſſequitur; & collatis vtrinque ſignis diu & ancipiti Marte acriter pugnatur; Carolum primo quidem prœlio fuſum fugatumque; altero, Manfridum ante primam aciem acerrimè pugnam cientem, a ſuis deſertum & proditum & ab equo vulnerato excuſſum, cecidiſſe; eiuſque cadauer, quia viuo ſacris interdictum erat, ad ludibrium proiectum, hoſtes in foueam prouolutum mole lapidum obruiſſe ſcribunt. Auctores habeo qui magnum ad Caroli victoriam momentum fuiſſe Ioannem Caſertæ Comitem teſtentur. qui vt violatæ a Manfrido vxoris ſuæ contumeliam vlciſceretur; ab eodē defeciſſe, & media in pugna ad Carolum trāſijſſe traditur.

CAROLVS VTRIVSQ. SICILIAE REX. MCCLXV.

MANFRIDVS REX IN PROELIO OCCISVS. MCCLXVI.

DE GALLIS.

AN. A CHR. N. MCCLXVI.

PARTA victoria Carolus Beneuentum deditione capit & Pontifici vt conuenerat reſtituit. eo quum vndiq; regni Neapolitani proceres intellecta Manfridi morte conueniſſent, Carolum regem fauſtis acclamationibus ſalutant: mox & Siculi ſeſe cum ceteris in eius poteſtatem dediderunt; Meſſanenſeſque omnium primi detractis Manfridi ſignis, Caroli ſigna propoſuiſſe ſcribuntur. Reſtabat Nuceria, quæ ad omnia Caroli imperia contumax, maximo Saracenorum præſidio protegebatur, eam per pactionem qua Saracenos liberè ſuis legibus vti permittebat, Carolus accepit. hic Manfridi vxorem, eiuſque filium capit, quem oculis orbatum carceris ſqualore conſumſit. Inde in Etruriam contra Gibellinos moturus, a quibus Conradinum Sueuiæ Ducem in Italiam vt hereditaria regna armis repeteret, magnis promiſſis impletum vocari intellexerat; Saracenorum nouo motu, qui ad Conradinum res ſuas inclinare nunciabantur, ex itinere reuocatur. Conradinus interim multa Procerum frequentia ſtipatus, anno poſt patris ſui exceſſum XIIII. in Italiam degreſſus, in Campaniam mouit: Conradum ex Friderico ſpurio fratre nepotem, & Antiochiæ Principem vt ſuis auſpicijs Siciliam in poteſtatem redigat, cum copijs præmittit. Is quum haud longe a Thermis militem expoſuiſſet, eaſdem paruo labore occupat; & inde Fulconem Caroli Proregem acie profligat; victoris imperium, Agrigentum, Auguſta, Argyra, Leontium, Heraclea, Catana aliaq; non pauca Siciliæ opida ſequuntur. Fulco Meſſanam ſeſe in tuto recepit. Et iam Sicilia iterum inteſtinis bellis per triennium omnique calamitatum & latrociniorum genere vexata, modo a Carolo; modo a Conradini partibus laceratur. Ceterùm Conradinus Ligurum & Piſanorum claſſe adiutus, deiectis Gallorum præſidijs Meſſana, ceteraque Sicilia exceptis Panormo

SICILIAE INTESTINIS BELLIS LACERATA

A Panormo & Syracuſis potitus eſt. In Neapolitano quidem regno Nuceria, & alia aliquot oppida Gallorum dominationem pertæſa ad Conradinũ oblata occaſione ſpõte deficiunt. Carolus vt imperium armis partum, armis tueretur, in Marſos mouerat; eò Conradinus contractis vndique copijs occurrit. pugnatur acerrimè, cadit ante primam Gallorum aciem Philippus Montfortius Equitum Gallorum Magiſter. Is quia regio paludamento inſignis ante ceteros eminebat, Germani qui in procinctu ſtabant falſò regem qui cecidiſſet opinati, ſolutis ordinibus in hoſtem vndique impetum faciunt. Carolus qui in omnem pugnæ caſum expeditus in ſubſidijs cum Prætoria cohorte ſubſtiterat, intellecto Germanorum errore, in laxatos eorum ordines inuectus magnam ſtragem facit, fuſoſq; profligat. Cõradinus fuga elapſus, abiecto paludamento cum Friderico Auſtrio, tribus tãtum comitatus quum Calonum habitũ ſumſiſſent, triduum per ſaltus viarum ignari oberrat: & ad Aſturam peruenit, vnde cum
B piſcatoria nauicula delati deceſsiſſet indicio annuli, quem Conradinus piſcatori vt panem ipſis emeret miſſo, dederat agniti; a Ioanne Frangipane Aſturæ domino capti, in Caroli quoque poteſtatem venerunt: & Neapoli carceris ſqualore annum vnũ macerati, violata etiam regiæ dignitatis in Conradino maieſtate, ambo publicè ſecuri percuſsi ſunt. Siciliæ præerat eo tempore cùm proregia dignitate Conradus Caputius Antiochiæ Princeps, in quem captum, per Guidonem Montfortium iuſſũ Caroli laqueo ſæuitum eſt. Carolus vtroque regno ad eum modum potitus; in Siculos quia non facilè ceſſerant, acerbiùs & crudeliùs conſuluit; tributumq; ijs inquiſimè imperauit, & exegit acerbiſsimè. Inde Gallos reipublicæ, qui omni libidinum genere & dominatione graues erant præficere: ijſque & præſidiarijs omnẽ rapiendi & ſtuprandi licentiam indulgere: exſilia, vincula, proſcriptiones, omniaque ſuppliciorum genera in omnem ſexum crudeliſsimè repræſentari. Ceterum quum ille etiam legatos, qui ad deprecandum venerant in carcerem conderet; neque Pontificis quoque
C auctoritate mollitus ciuium iniurias vlciſceretur; patientia diutius laſa in furorem cõuerſa, paullò poſt exleui occaſione in Gallorum perniciem erupit. Duplex inde fama eſt, ſunt qui caſu in Gallorum cædem concurſum, ſunt qui rem conſilio procuratã ſcribant, nos vtriuſque cauſſas & occaſionem in pauca conferemus. Vetuerat Carolus ne quis ciuium Siculorum publicè cum telo aut armis eſſet. id milites exploraturi, omnium ſinus pertentabant; tandemque eo licentiæ progreſsi ſunt, vt etiam virginũ honeſtarumque matronarum ſinus ſub eo prætextu laſciuiùs explorarent. Ex more recepto apud Panormitanos S. Spiritus ædem tertio Paſchatis feſto extra vrbem vtriuſque ſexus ciues magna frequentia adibant: hic Gallus quidam, Droettum vocant, quum in eo cœtu cuiuſdam matronæ ſinus laſciuiùs quàm pudicitia pateretur ſcrutatus eſſet, irritatus ea contumelia maritus, ſtricto quo Droettus a tergo accinctus erat pugione eundem iugulat: clamore mox & tumultu, vt fit, ad eum caſum oborto,
D impetus vndique fit in Gallos, quorum ducenti extra portam cæſi, mox intra vrbem ciues odium iam diu conceptum tanto furore expleueruut, vt promiſcua cæde Gallos; nulli ſexui, ordini, ætati parcentes trucidarent. Panormitanorum exemplum ceteræ per Siciliam vrbes ſequutæ eiſdem cædibus graſſati ſunt. Quibus conſilio factum placet; ij ab eisdem cauſsis occaſionem repetunt, & incredibilem quoque Gallorum tyrannidem accuſant; ſed veriſimiliùs in hanc ferè ſententiam ſcribere videntur. Ioannem Prochytam Salernitanum, qui Manfrido regi medicus fuerat, referunt huius coniurationis caput fuiſſe, & perſonam ſuam proſperè egiſſe. qui filiam a Gallo quodam vitiatam anxiè dolens, eam iniuriam aliquoties ad Carolum, vt legibus in ſtupratorem virginis ageretur detulerat; verùm quum ſe etiam deludi ſentiret, iam odij & iræ cauſſas in Carolum transfert: & rationes quibus ipſum magna cum clade Gallorum euerteret, ex occaſione temporum commodiſsimas non negligit, non ignora-

d bat

M CC LXVI. CONRADINVS VTRIVSQ; SICILIÆ REX CAPITALI SVPPLICIO ADFICTVS.

SICVLORVM IN GALLOS CONIVRATIO.

MCCLXXXII.

GALLORVM CÆDES.

bat auerſos a Carolo ob tyrannidem omnium Siculorum animos: Petro autem Arra- A
goniæ regi ius regni vxoris ſuæ nomine deberi; atque vt hunc opibus etiam & armis
iuuare ad ius ſuum proſequendum poſsit, Michaëlem Palæologum Orientis Imperatorem in quem Carolus magnum belli apparatum moliebatur, facilé vt Caroli impetũ
a ſe auerteret, in ſocietatem armorum cum Aragonio venturum cenſuit. Vbi hæc nõ-
nullis cum quibus conſilij ſui rationes cõmunicauit, placuerunt, Ioannes vltrò citrõ-
que cõmeando, per litterarum commercia & amicorum fidem, intra biennium vſque-
adeo profecit, vt Petus Arragoniæ rex. vxoris ſuæ precibus, quæ ſoceri ipſius Man-
fredi, nepotumque ſuorum nefandã cædẽ oblata opportunitate pijs armis vlciſcendã
hortabatur, victus & Palæologi auro adiutus; & Nicolai III. Põtificis Maximi auctoritate, qui Siculorum calamitatem miſeratus erat, euocatus, prætextu belli quod in Africam ſeſe apparare ſimulabat; claſſe in Siciliam copias ſuas expoſuerit. Interea tẽ-
poris dum Aragonenſis ſeſe ad expeditionem parat, Ioannes Prochyta rationem com
miniſcitur, qua per cædem Gallorum Aragonenſi faciliorem ad occupandam inſulã B
aditum aperiret. Siculorum oculos vltione gratiſsima paſceret, eoſque ad fidem A-
ragonenſi præſtandam ſcelere maximo obligaret. Placuit itaque tertius a Paſchatis
feſto dies, vt quum primum circa veſperam ære campano ſignum daretur; Gallos om
nes promiſcuè (nec habendum vllum ſexus, ætatis, ordinis diſcrimen) eſſe confodiendos. additur Ioannem vt id quod moliebatur arte aliqua & dolo a ſuſpicione auerteret, per Siculas vrbes oberrando furorem ſimulaſſe, ac canna auribus Gallorum vt magis falleret admota, ridicula aut inepta; contrà Siculis cædem Gallorũ futuram, diem,
MCCLXXXII. horam, ſignum, indicaſſe. Illuxit itaque vltimus Gallis in Sicilia dies & funeſtiſsimus
A. D. III. Kal. Aprileis, Caroli regis anno decimo ſeptimo, quum ad vnum omnes per
totam inſulam a ciuibus cuiuſcumque ordinis tanta crudelitate trucidati ſunt, vt etiam
grauidæ euiſcerarentur, eorumque fœtus, ne quid Gallicæ ſtirpis in Sicilia ſupereſſet,
ſaxis illiderentur, duarumque horarum ſpatio octo millia Gallorum ea clade perem- C
ta ſcribuntur. Interea dum Galli ſæuæ libidinis & diu toleratæ crudelitatis pœnas luunt; Aragonenſis circa Africæ litora oberrabat, & Hipponenſem agrum incendijs vaſtabat. deinde vt Prochytæ conſilia ſucceſsiſſe, & Siculos in ipſum oculos animumq; conuertiſſe intellexit, ad id cuius gratia cetera ficta, factaque erant, cõuerſus, vela ſuos in Siciliam faceret iubet, & ad Drepanum copias exponit. Carolus tum forte Neapoli erat, quum de cæde ſuorum, & Sicilia ad res nouas cõmota, adhuc tamen Meſſanenſes incertos quas partes potiſsimùm ſequerẽtur, nutare vno eodemque nuncio certior fit. Is copias quas in expeditionem contra Palæologum paratas habebat, in Siciliam mittendas decernit, omnemque belli apparatum toto impetu in perduellionis reos conuertendum; & nihil cunctandum dum adhuc ſpes ex Meſſanæ motibus
ſupereſſet, itaque claſſem expediri, & milites terreſtri itinere Rhegium conuenire iu-
MCCLXXXIII. bet. ceterum quum huic rei omnem curam impenderet nuncium accipit, Aragoniũ D
conuerſa ex Africa expeditione in Siciliam claſſe Drepanum appuliſſe, eumq; a Panormitanis regem ſalutatum: Meſſanenſes vt omnium tardiſsimè ita atrociſsimè, cõ
MESSANENSIVM IN GALLOS CRVDELITAS. cepta ex rebus nouis fiducia, in Gallorum cædem graſſatos eſſe. Igitur quum cladẽ, clade noua auctam; & ſe omnino Siciliæ regno exutum vidit; animo mentéque cõcidit; & vt erat irarum impotens, ſœptrum quod regio more manu tenebat mordicus in uaſit, diuq; ita immotus vt quidam litterarum monimentis prodidêre, conſedit, ſed poſtquã bilis deferbuerat claſſem XL. triremium; (etſi ſint qui nauium numerũ octuplo maiorem recenſeant) conſcendit; & iuxta Catanam XC. peditum XXIV. millia equitum exponit. Meſſanenſes interea quæ tolerandæ obſidioni, & tuendæ vrbi vſui eſſe poſſent, conuehere, vrbem inſtaurare, & omnia magna cura apparare. Carolus admotis ad vrbem copijs, Meſſanenſes terrere, vexare, laceſſere; eorum agros ferro,

flam-

A flammaque vaſtare: & Mylas occupare. Mamertini aut ſucceſsibus aliquot Caroli conſternati; aut bellorum pertæſi, dum Carolo deditionem offerunt, ſi præteritorum obliuio ſanciatur: ſuperbo reſponſo excepti, audiunt, Mamertinis, quos iam viciſſet (tumultuaria enim velitatione equites aliquot profligauerat aut ceperat) victoris arbitrium eſſe exſpectandum. acuit ea res Meſſanenſium animos. ita vt omnes Caroli impetus, virtute, ciuium conſenſu, magiſtratuum ſedulitate, armiſq; & conſtantia frangerent. At Carolus poſtquàm vim procedere non videt, Alaimum Leontinum vrbis præfectum, muneribus, ſed fruſtrà apud animum tunc quidem nullo precio venalem, corrumpere tentat. mox vt contumaces fame frangeret, mari claſſe, terra equitatu Meſſanenſes commeatu arcuit, & vt anguſtia rei frumentariæ ad maximã inopiam prolaberentur arctiſsima obſidione eoſdem clauſit. Legatos itaque Mamertini ad Aragonium mittunt, qui eundem de Mamertinorum fide, cõſtantia, & neceſ-
B ſitate doceant; & auxilium rebus in præceps ruentibus exorent.

DE ARAGONIIS.

MEſſanenſium legati Petrum Aragonium fauſtis acclamationibus Panormi Siciliæ regem ſalutatum & inauguratum conueniunt. Is legatis benigné auditis, auxilia & commeatum expediri iubet; & Rogerium Lauriam claſsis ſuæ Præfectum, militari peritia clarum cum XL. triremibus præmittit; ijs mandatis inſtructum, vt vel Caroli claſſem profligaret; aut ſi id non poſſet commercia commeatuũ ipſi impediret. Aragonius terreſtri itinere citato agmine contra Carolum mouẽs, quingentos, cum peritis & notis Centurionibus milites non intermiſſo itinere properare iubet, qui Meſſanenſium labores & vigilias ſuſtinerent; quoad ipſe cum toto exerci-
C tu pugnam cum hoſte conſerere poſſet. Ceterum vt iuſta ſe pro Siculis arma induiſſe doceret, Legatos ad Carolum mittit, qui eum è regno ſuo, quod ſibi dotis & ſoceri nomine deberi aſſerebat, decedere, & Siculos a tyrannide; Mamertinos autem obſidione liberare iuberent; & abnuenti pugnam exſpectandam denunciarent. Carolus etſi ad Legatorum poſtulata ferociùs reſpondiſſet, tamen rem ad deliberationem reuocat; placuit itaque apparatúne hoſtium territis, an rerum anguſtia coactis, incertum e Sicilia in Calabriam exercitum in hiberna tranſportare. Vaſis itaque conclamatis & ædibus aliquot ſacris direptione profanatis, obſidionẽ ſoluit. Lauria Aragoniæ claſsis Præfectus, Gallos ad Pelorum aſſequutus, eos aliquot nauibus captis aut depreſsis profligat. Petrus rex ex itinere Mylas deiecto Gallorum præſidio recipit: & a Meſſanẽſibus in eius aduentũ promiſcua multitudine effuſis VI. Nonis Octobreis fauſtis õnium acclamationibus, parens, conſeruator, & Rex Siciliæ ſalutatus, in vrbe tot belli cladibus deformata excipitur. ſuperuenit in tanta omnium lætitia & publica aggra-
D tulatione Iacobus Petri regis filius cum XXXV. triremium claſſe quã in portum Meſſanenſium ſubduxit. atque vbi nunciatum eſt Caroli triremes, ex præterita clade ab inſtrumẽto nautico claudas e Rhegio Neapolin vela facere; Rogerius quantum remigiorum celeritate potuit curſum extendens, eaſdem aſſequutus profligat, & quadraginta triremes captas Meſſanam deducit. Petrus ex Meſſana Siciliam obiturus, vt inſulam ad tranquillitatem & otium componeret claſsi ſpurium ſuum Iaimum Paridem cum imperio præfecit; eundẽq; paullò poſt quia temere & malè contra patris mandata cum hoſte pugnaſſet, in exſilium expulit; & claſsis imperium Rogerio Lauriæ dedit. mox fretum quoque traijciens in Italiam bellum transfert; & Rhegium nullo labore capit; Caroli equitatum ad Fanum Martini trucidat; Seminariam occupat. Fama tenet Carolum miſſa legatione, cum Petro de iniuria expoſtulaſſe, vt qui aliena iniuſtè & per vim inuaderet: Petro autem iuſ ſuum iuſtis armis proſequi

PETRVS ARAGONIVS SICILIAE REX SALVTATVS.

AN. A. CH. N. MCCLXXXII.

MCCLXXXIII.

reſpondente, Carolum eundē ad experiendum vtri plus iuris Mars decerneret, Bur A
degalæ, ad ſingulare certamen ijs conditionibus, vti vtrinq; centum tantum equitibus ſtipati venirent prouocaſſe. eam pugnam nonnulli Pontificio edicto vetitam; alij (vſque adeo eius ſæculi ſcriptores variant, aut odio, aut amore corrupti) Carolum; nonnulli Petrum ad condictum diem non apparuiſſe, prodiderunt. Petri interim in Hiſpania abſentis imperiū, Iacobus eius filius in Sicilia gerebat; eiuſq; auſpicijs Caroli claſsis ad Melitam inſulam profligatur; & inſula in Aragoniorum poteſtatē redigitur. Rogerius quoque Lauria deuicta Gallorum claſſe, cum quadraginta triremibus Neapolitanam oram incendijs & populationibus eo cōſilio vaſtabat, vt Carolum Claudum Caroli regis filium ad vlciſcendum ſociorum iniurias in pugnā naualem irritaret; poſtquàm adoleſcentem nec ad procerum iuſſa, neque patris monita obtemperantem, in certamen properare videt: fuga ſimulata eum vſq; ad Circeium promontorium protraxit; inde conuerſis velis toto impetu in eundem inuectus ſuperat; eiùſque Prætoria quum per Paganum vrinatorem perterebrata vitium feciſſet B
& vndis irrumpentibus, depreſsionem nauis omnes qui cum eo vehebantur, metuerent; qui in ea erant, ſeſe vnà cum Carolo ceteriſque Proceribus Rogerio dediderūt. Carolus cum ceteris in arce Mamertina cuſtodiendus traditur; Rogerius cum XLII. quas ceperat triremibus in portum Meſſanenſem, triumphantis more inuectus, claſſem ſuam ſubduxit. Carolus rex interea adiutus fratris ſui Philippi opibus e Maſſilia ſoluens, & inter nauigandum filij clade intellecta, Neapolin tunc admodum nutantem appulit; claſſēque C L. nauium expedita, & contractis vndique copijs; filij cladem vlturus Rhegium obſidet; a quo Pontij Catelaunij, qui vrbis præſidio præfectus erat, virtute repulſus eſt. Oritur interim apud Meſſanenſes ſibi Gallos ad cædem
MESSANENSIVM SEDITIO. depoſcentium ſeditio: magnóque furore populus ad arcem prouolat; & quum captiui non dederentur eos igne iniecto cōburunt. Carolus tamē regis filius, qui in vltionē Cōradini ad ſuppliciū poſcebatur, pietate Conſtantiæ reginæ conſeruatus; Cephalædum in cuſtodiam mittitur, & inde in Hiſpaniā tranſuectus eſt. Ceterum quum Carolus eius pater paullò poſt apud Fogiam Calabriæ opidum in febrim incidiſſet, moritur; & Roberto fratri ſuo Atrebatenſium Comiti pro filio regni imperium ad miniſtrandum tradidit. In hoc rerum tumultu Rogerius claſsis Aragoniæ præfectus in Calabria & Apulia ſigna victricia circumfert; & viginti duo opida ad imperium Aragonium coacta præſidijs, & propugnaculis muniuit. Dum hæc in Italia geruntur, aduerſa Europæ parte Philippus Galliarum rex, vt Petrum Aragonium ad ſua defendenda diſtineret Hiſpaniæ bellum mouet; & Gerundam obſidione claudit cui Petrus cum exercitu vt obſidionem ſolueret occurrit; prælióque victus; paucis poſt diebus ex vulnere quod in acie acceperat, anno ætatis ſuæ quinquageſimo quinto Barcinonæ III. Idus Nouēbris, filijs quatuor, Alphōſo, Iacobo, Friderico & Petro;
MCCLXXXV PETRVS REX EX VVLNERE MORITVR. duabus filiabus Iſabella & Iolāte ſuperſtitibus moritur. teſtamēto Alphonſū Aragoniæ Iacobū Siciliæ regē ſcripſerat, ea lege; vt ſi quid Alphonſo orbo humanitatis accidiſſet, Iacobus in Aragonenſi; Fridericus in Siciliæ regnum ſuccederet. Alphonſo itaque ſine liberis defuncto; Iacobus deſerta Sicilia, Aragoniam occupabit; & Fridericus Siciliam ex qua occaſione grauiſsimi motus orituri ſunt. Iacobus itaque Aragonius peractis patri inferijs Panormi regio diademate ornatus inauguratur, & proſpero optimóque in poſterum omine rex ſalutatur, inde Meſſanā profectus Calcerā
IACOBVS SICILIAE REX. MCCLXXXVI dum Catælaunium cum imperio cōtra Māfredum Claremōtium qui Caroli copias ducebat in Calabriam mittit, qui quum Caſtrum villarium, & Moranum opida recepiſſet; ab eiſdem iterum per ignauiam deiectus eſt. Claremontius quum ad Iacobū trāſire deſertis Caroli partibus pararet; fraude ad cenam à Morani domina inuitatus, circumuenitur, & nō ſine redemtione dimiſſus ad Aragonēſes defecit. Interea

claſsis

A classis Aragoniæ maritima Galliæ circa Prouinciam depopulatur; & Bernardus Sarrianus XII. triremium præfectus Capreas & Prochytam insulam capit; & Asturam expugnauit; filiumq; Frangipanis eius, qui Conradinum ex fuga retractum Carolo prodiderat, hasta traijcit: & opidum ferro flammáque prosternit. Nec multò post Iacobus rex ab Alphonso Aragoniæ rege, fratre suo, Alaimum Leontinum, quem Petrus rex in Hispaniam cum duobus nepotibus ob conspirationem contra regem, sub specie legationis ne quid in Sicilia clientium potentia freti turbarent, missum in carcerem conjiderat, ad supplicium repetit: Alphonsus Bertrando Iacobi legato cum ceteris tradi iussit. qui ex Iacobi regis imperio quum ad Hieronesum insulam Drepano ferè oppositã delati essent; Alaimus cum nepotibus Mineo & Mazarino culeis insuti, vt affectati regni pœnas luerent, in mare præcipitantur. Interea Galli capto tempore Augustam, quum ciuibus ad solenne Leontinorum forum profectis, vrbem B sine præsidio esse per exploratores didicissẽt, subito impetu capiunt mox & arcẽ nullo labore occupant. Ad primum captæ vrbis nuncium rex cum expeditis copijs profectus, Catanam vt hostes expelleret venit: eò etiam cum classe Rogerius appulit; inde Augustam nauigans milites exponit, & magna vi multoq; suorum & hostium sanguine vrbem recipit; arcem nullis armis expugnare potuit. Placuit itaque fame eandem in potestatem esse redigendam. consedit rex ad arcis obsidionem; & Rogeriũ magna cum classẽ ad reprimendos & auertendos hostium conatus, Calabriæ & Neapolitana litora, insulásque inferi maris infestare iubet. Rogerius iussa sequutus, quum omnia longè latéque vastasset hostibus etiam quiescẽtibus, eis insultare; & ad pugnã lacessere. Ij instructa classe pugnandi copiam faciunt; acerrimè concurritur; tandem Rogerius victor procerum præcipuos ad deditionem cogit XL. triremes capit ceteras deprimit, aut inutiles facit. mox classem cum tribus captiuorum milibus signisque ab hoste captis, ad Iacobum regem misit; & cum Gallis biennij inducias fecit. Iacobus C interea Gallos fame ad arcis deditionem coëgit, & armis exsutos vita donauit. Deinde à Caietanis, qui deditionem offerebant accersitus, classem XL. triremium litora Calabriæ & Campaniæ obire iubet, ipse exposito ad Rhegium exercitu, terrestri itinere ducit: opida Seminariam, Sinopolin, Babulinum quæ defecerant ad imperium suum redire cogit. ad Vibonem Valentiam substitit; vrbem quæ neque minis Rogerij neque precibus cesserat, per vim expugnat, & supplicibus veniam dat; quinque inde opida recipit; & ex itinere cum Atrebatensi aliquot velitationibus feliciter pugnauit. Is enim extremum fere agmen Iacobi aut carpebat; aut in Frumentatores cum impetu inuehebatur; & itinera quibus Iacobus duceret infestabat: atque quum ad Scyllam vt eam à commeatu & præsidio imparatam interciperet constitisset, rex immissis in vrbem aliquot cohortibus, eum in Campaniam deflectere coëgit. Iter deinde intermissum prosequutus ad Beluederium castra posuit; Rogerij Sangenesij perfidiam, qui datis etiam D filijs obsidibus ad Gallum transierat, vlturus. ter oppugnatum opidum: ter præsidiarorum virtute defensum scribitur. Ceterum quia nuncijs Caietanorum vt properaret vrgebatur; Lauria castrorum & classis præfectus, extrema omnia tentaturus; Sãgenesij filios duos caueæ illigatos vt patrem ad commiserationem moueret, eò loci quem potissimùm præsidiarij tormentis in Siculos immissis petebant, exposuit. atque quum nihil ab eo furore remitteretur, filij eius cum cauea præcipitati & afflicti sunt; primogenitus statim exspirauit; alter conualuit; & Iacobus vt vidit sibi properandum, Sangenesij Constantiam, quæ armis frãgi non poterat beneficentia; remisso ipsi vtroque filio; altero in tumulum fericis obuolutum composito; altero incolumi; gratissimo parentibus dono expugnasse scribitur. Conscensa deinde classe copijs ad Caietæ litora expositis, Caietanorum promissa exspectaturus consedit: & Auellinæ Comitem præsidij Præfectum acie profligat; fugatum vsque adeo acriter insequitur, vt ei redi-

AVGVSTA A GALLIS CAPTA.

AVGVSTA RECIPTA.

VIBO VALENTIA CAPTA.

tum ad vrbem intercluderet. Inde Fundos vſque & per Formianum agrum omnia belli cladibus vaſtat, & caſtra munito & edito in tumulo metatus, vrbē obſidet. Atrebatenſis vt Caietanis ſubſidio eſſet, cum exercitu quingentis vix paſsibus a caſtris Iacobi eo conſilio conſedit, vt ſi ille a fronte Caietam vrgeret; ipſe a tergo hoſtem laceſſendo in ſe cōuerteret, aut mutuo metu diſtineret. In hoc rerum ſtatu legati ab Aragonū rege Alphonſo, & Edoardo Angliæ rege, Pontificis quoque nomine miſsi ſuperveniunt; qui pacem, aut ſi id non poſſent, inducias inter vtroſque cōponerent. ex Legatorum ſententia indutiæ vtrinque datæ ſunt. Iacobus inde in Siciliam cum claſſe reuertitur Alphonſus, regis Franciæ & Pontificis auctoritate victus Carolum II. Andegauenſis filium quem in poteſtate habebat, acceptis Lodouico, Roberto & Philippo eius filijs obſidibus, libertate donat. Eum Nicolaus IIII. Pontifex Maximus Romæ benigniter exceptum Neapolis & Siciliæ regem creauit. Durantibus adhuc inducijs, Alphonſus Aragoniæ, Edoardus Angliæ reges, magno ſtudio pacem inter Iacobum & Carolum componere ſed nullo ſucceſſu conantur. Iacobus rex elapſo indutiarum tempore claſſe quadraginta triremium in Calabriam traijcit; Hieracium & alia aliquot opida expugnat; ſed proſperum in rebus gerendis curſum nuncius interrumpit; qui Alphonſum Aragoniæ regem, in apparatu nuptiarum, quibus Angliæ regis filiam ducturus erat, pectoris vitio correptum; intra triduum morte exunctum nunciabat: rogare regni proceres, vt ad hereditarium regnum primo quoque tempore accipiendum, properaret. Iacobus Fridericum fratrē, vt ſuis auſpicijs Siciliæ cum Proregia poteſtate & imperio præeſſet in inſula ſubſiſtere iuſsit. Ipſe VI. Kal. Auguſti è Drepano ſoluens XVII. Kal. Septembris Valentiam VI. Idus eiuſdem menſis Barcinonem venit. atque quum ſui regni prouincias obeundo legibus & inſtitutis compoſuiſſet; rex Aragoniæ ſalutatus & inauguratus eſt & filiam Caſtellæ regis ſibi deſpondit. Interea Sicilia ſub Friderico Prorege auſpicijs Iacobi otio & pace fruebatur, ceterum ne claſsiarij ſocijq; nauales otio torpeſcerent, Rogerius claſsis præfectus cum viginti triremibus in Peloponeſum nauigat; & Maluaſiam opidum, indeque Chion inſulam deprædatus, mox Methonenſibus quoque male multatis magna cum præda domum reuerſus; in Lucanos, qui Manfredi nis infeſti fuerant, mouit Carolus poſteaquàm Iacobum in tantam rerum & fortunæ amplitudinem creuiſſe videt, rebus ſuis diffiſus cum Bonifacium VIII. Pontificem Maximum fautorem haberet, eius interceſsione pacem cum Iacobo ijs condicionibus cō ponere conatur, vt Iacobus Siciliæ regno cederet; ſororémque Caroli Blancā in matrimonium duceret repudiata Hiſpaniarum regis filia cuius ante nuptias pactus erat, & Robertus Caroli filius Iolantā Iacobi ſororem in coniugem acciperet. Ad ea Iacobus reſpondit, Siculos ſuper ea re conſulendos eſſe, & miſſā vltrò citróque legatione, Pandulfus Fulco equeſtris ordinis vir, facta dicēdi copia in hāc fere ſententiā libero ore locutus ſcribitur. Carolum ſemper dubiæ fidei, fœdera nulla conſerturum; coniugij neceſsitudinem quam offerret in ipſius poteſtate non eſſe, fidē quā Iacobus rex ſibi Caſtellæ regis filiam deſponderat, ſine ſcelere diſſolui non poſſe: Siculis cum Gallis capitale odium eſſe, quod ſine alterius gentis interitu molliri aut nullis hominum cōſilijs exſtirpari poſſet. illos vt vltionis materiam ſemper quæſituros; ita iſtos nunquam arma quæ ſumſiſſent ad extremum vſque ſpiritum poſituros, ſupplicare ſe ne Siculos cliētes & ciues ſuos, pro quorum libertate pia arma per XII. annos gens Aragonia induiſſet, Gallorum libidini, crudelitati, perfidiæ violandos & lacerandos obijceret. Iacobus legatos benignè auditos, & conſolatione recreatos fide data dimiſit. Nutantem paullò poſt eius animum Bonifacius Octauus Pontifex Maximus perculit, & partium Gallicarum fecit; eumq; magnis promiſsis impletum, à fide quam dederat Caſtellæ regis filiæ abſoluit; & ci Blancā Caroli ſororē collocat;

A

B

C

D

MCCLXXXIX. III. KAL. IVN. CAROLVS II A PONTIFI. VTRIVSQ. SICILIAE REX CREATVS.

M.CC.XCI. IACOBVS ARAGONIAE, ET SICILIAE REX.

IACOBVS SICILIAE REGNO SE ABDICAT. MCCXCV.

A locat,ac Iacobo Pontificiæ auctoritati cedẽte Siciliæ regnum Carolo impetrat. Quod vt in Sicilia euulgatum & exploratum eſt,omnes ad Fridericum proregem prouolãt eiq; vt ius ſuum,quo patris teſtamento in Siciliæ regnum Iacobo fratri (vt memorauimus) ſuccedere deberet,armis tueretur, ſuadent.mox conuentu procerum Catanæ indicto omnium ſuffragijs,& publica cum lætitia Fridericum regem Siciliæ deſignãt; in eius verba & fidem iurant; ſe nunquam Gallorum imperium accepturos; Fridericum vſque ad extremum ſpiritum non deſerturos conclamant. magno inde procerum comitatu Panormum deductum, regijs cæremonijs inauguratum, magno cœtu circumfuſi regem ſalutant. Quum in hoc rerum tumultu aliquam animorum inclinationem Calamandrius Caroli legatus ſperaret;Meſſanæ concionem habuit, qua vt Carolum in regem acciperent perſuadere conabatur: ad quæ verba(tantum in Gallos odium erat)procerum concurſus fit,Calamandrius exploditur, ferociterque reſponſum eſt, Siculos delecto & creato ſibi rege Friderico,pacem per arma quæſituros.hinc parum abfuit quin legatus a populo ſaxis violaretur. Fridericus inde Siciliam obire; beneuolentiam procerum,ciuium,officio,beneficentia, comitate,& liberalitate demereri,omnia ad ſubita belli præſidijs firmare,& munitionibus inſtruere. Inde Meſſanam profectus maximo cum apparatu,& effuſa ciuium aggratulatione excipitur. Dehinc vt bellum a Sicilia diſtineret,in Calabriam traijcit, & Scyllaceum quod a Gallis tenebatur obſidet.inſidet ea vrbs præruptis in rupibus & vtrinque fluuio abluitur. Aragonij præſidijs vbique ad ripam depoſitis ciues ab aquatione arcebant,& ſiti ad deditionem cogunt. Tentatur deinde ſemel atque iterum,obſidione bellóque Catanzarium,quod Petrus Rufus comes cum præſidio tutabatur.qui cum Rogerio quem ſanguine contingebat, XL. dierum indutias ijs legibus pactus eſt, vt interea Caroli regis voluntatem cõſuleret,poſtquàm nunciatum eſt eum deſperatis Calabriæ rebus Apuliam contra hoſtes muniendam ſuſcepiſſe; Cantazarium deditione in Friderici; qui C iam ad Crotonam ſigna promouerat,poteſtatem venit, inde ad Roccam cognomento imperialem a Caroli legatis fruſtrà tentatam mouit, & eam fugatis hoſtibus ab obſidione liberat: Fanum Seuerini & Ruſſanum ceteráque Calabriæ opida, ad eius imperium certatim redeunt. Superuenit in tam lætis rerum initijs a Iacobo Aragoniæ rege nuncius,è Dominicanorum ſodalitate Petrus cognomento Corbelles, qui mãdata ſua Friderico breuibus in hanc ferè ſententiam expoſuit: Iacobum Aragoniæ regem Eccleſiaſticarum legionum imperatorem Põtificis Bonifacij VIII. auſpicijs creatum,petere ipſius ad Aenariam inſulam colloquium. vt Fridericus ſedatis bellorum motibus pacem cum Carolo & Põtifice cõponeret; ni parêret,imperiũ ſe ſuum cõtra ipſum oblitum etiã neceſsitudinis fraternæ,magna cum ſeueritate proſequuturum.Fridericum nihil ea denunciatione fuiſſe commotum produnt; & læto alacriq, vultu reſpondiſſe,ſe ſi vis ingruat,contra fratris ſui poſtulata tã iniqua ius ſuum pijs armis de- D fẽſurum. mox vt ad ſubita belli ſeſe apparatu omni inſtruerent,Velaſcum Alagonium cum imperio in Calabria,& copijs vt victoriam ſuam proſequeretur reliquiſſe: ipſum in Siciliam traieciſſe; Rogerium in aduerſa Italiæ parte cum claſſe ad Hadriatici maris oram opidum Lecciam;& mox Hidruntum cepiſſe; dehinc difficili pugna haud procul à Brunduſio Gallorum equitatum profligaſſe ſcribitur. Fridericus conuentu procerum Plotij indicto,ad Senatum de fratris ſui poſtulatis refert; certatur ſententijs; Rogerius Friderico proficiſcendum cenſet; & exiguo viæ compendio tantam belli impendentis procellam eſſe auertendam: alij manendum, & nihil temerè fratri, partium ſtudijs corrupto, aut fluctuanti credendum, eo die variantibus ſententijs nihil decerni potuit,altero Fridericus legato reſpondiſſe proditur; ſe quum adhuc in proregia dignitate fratri quidẽ iubenti parere debuiſſe. nunc quum ſuæ poteſtatis,& ex patris teſtamento, & procerum populiq; ſuffragijs rex creatus eſſet, nullã ſe fratri

FRIDE-RICVS SICILIAE REX. MCC XCVI.

iniqua

iniqua poſtulanti reuerentiam debere. ſin vis inferatur, fas eſſe vt ſe ſuóſque & ius regni armis tueretur. Rogerium Lauriam qui alieniore animo in Fridericum eſſe cœperat & cõmeatum a rege oſtenſis Iacobi litteris petebat, non niſi datis vadibus ſua negotia obire permiſit: ceterum is vadimonio liberato fuga elapſus ad Iacobum trãſfugit. Iolenta interim cum fratris ſui claſſe Romam deducta Roberto Caroli filio ex fœdere, preſente Iacobo nupſit. Ioannes Lauria Rogerij patruelis qui nouis Siciliam motibus turbabat, prœlio profligatus, ad Rogerium fuga elapſus eſt; & Rogerius qui id temporis copijs a Carolo acceptis partes Friderici oppugnabat, opidis, quæ per Siciliam tenebat exutus eſt. Ceterum quum is Cantazarium in Calabris opidum oppugnaret, Velaſcus Alagonius cum CCC. equitibus eundem DCC. equitibus ſtipatum, vulnere affictum, profligauit, & obſidionem ſoluit. Iacobus vt fratrem ſuum ad libidinem & voluptatẽ hoſtium communium vexaret, & bello infeſtaret, cum LXXX. triremium claſſe præfecto Rogerio Romam nauigat. Fridericus LXIIII. triremibus inſtructus præfecto Conrado Auria Genuenſi luſtratis Calabriæ litoribus Aenariam vt fratris ſui curſum interciperet; aut eius claſſem inuaderet petijt. ceterum a fratre præmonitus, conſultiûs ipſum ad ſua defendenda intra regnum ſe recepturum; vt eius vel iram molliret, an alia qua de cauſſa incertum in Siciliam reuerſus eſt. Iacobus Neapoli communicatis cum Carolo, & Pontificis legato conſilijs, curſum in Siciliam dirigi, Lauriæque conſilium ſequutus, ad Pactas exſcenſionẽ fieri iubet. Pactenſes tanto apparatu territi & ab omni re imparati ſeſe dedunt. nutant & ceteræ vrbes; imperiumque Iacobi ſequuntur Mylæ, Noara, Monsfortis, & alia aliquot præſidia. ſuperato inde Pelori promontorio Syracuſas verſus Iacobus nauigat, eáſque mari & terra obſidendo claudit: & vallis Næetinæ agrum, longè latéq; populationibus infeſtat. Vrbi Syracuſanæ præerat Claremontius, eámque longa & difficili obſidione fatigatam, inteſtina etiam proditione & fame vexatam, magna cũ Syracuſani populi conſtantia Friderico conſeruauit. Iacobus ne ſedendo tempus tereret Buxemium, Palatiolum, Xuthinum, Ferulam & Buccherium agri Syracuſani opida per deditionem capit: Buccherium a Friderici legatis receptum eſt; & iterum à Gallis acerrimè oppugnatum depulſo hoſte defenſum, ſed noctu quum vim difficilioris iterum oppugnationis metuerent, a ciuibus fuga delapſis deſertum eſt. Fridericus vt ex propinquo ſuis ſubſidia ferret; & hoſtium excurſiones arceret: Catanã ſibi belli ſedẽ delegit. atque eo tempore Ioannes Barreſius, qui exceptis ceterorum opidorum præfecturis, Petræpreciæ, haud longè citra Gelam ſitæ præerat vnà cum præſidijs ad Iacobum tranſiuit. Ceterum quum Galli nihil hoſtile metuentes Petram ſuis prædis receptaculum delegiſſent; & omnia eò ferrent agerentque; Velaſcus Alagonius eos ex inſidijs opprimit. & præcipui nominis Centuriones carcere cõdit; gregarium militem, denis vna catena revinctis, ad Fridericum vt de ijs ſtatueret deduci iuſſit. Pactenſes interea ad Friderici imperium redire conati; ab arcis præſidio impediti, & Ioanne Lauria cum claſſe adnauigante oppreſsi ſunt. Mamertini Ioannem Lauriam cum XXX triremibus è Mylis redeuntem, adorti, pugna naualì fundũt & capiunt; vix duæ triremes fuga elapſæ ſunt; quæ nunciũ acceptæ cladis deferrent. Iacobus aduerſa pugna fractus, & quod vltra XXM. militum variis belli cladibus cecidiſſe, & claſſem afflictam conquereretur, belli tædio captus, legati Pontificij auctoritatem & ſuorum conſilium ſequutus, qui feſsis rebus otium & quietem aliquam eſſe dandã cenſebant, ſuos claſſem conſcendere iubet. Peloroq; ſuperato claſſem ad Mylas ſubducit. Traditur hinc Iacobum Friderico legatum miſiſſe qui pacem ſe Friderici rebus ſuo nomine facturum ſponderet, ſi captas ab ipſo triremes vnà cum Ioanne Lauria ceteriſque captiuis ſine precio redderet, ea legatio quia procerum conſilia diſſuadebant accepta non eſt. & de Ioanne Lauria, & Iacobo Rocca vt

MYLAE CAPTAE.

de

A de perduellionis condemnatis ſecuri ſupplicium ſumtum. mox & Fridericus expeditam claſſem in fratrẽ mouet, is ſubductis velis procellæ & ſæuientis tempeſtatis iniurias tolerare, quàm cum fratre concurrere maluit; & claſsis partem ad AEolias inſulas afflixit: curſúque in Italiã flexit. Engium etiã quod ad Gallorum partes tranſierat per Henricum Vigintimilium Friderici legatum aliquamdiu fruſtrà obſeſſum, à rege cum copijs ſuperueniente fame ſitiq́ue ad deditionem coactum eſt; mox & Petra per Claremontium oppugnata captáque; & ſine armis ſponte ad Friderici imperium, vrbes quæ defecerant, aut ab hoſtibus captæ fuerãt venia omnibus data redierũt. Nutabant, fluctuabant adhuc incerta fide, Mylæ, Noaria, Monsfortis, itidẽ Pactarum & Samperij arces; quum nunciatur, Iacobum noua claſſe inſtructum, magnum belli apparatum facere. addebatur ipſum vt terrorem Siculis moueret, Robertum & Philippum Caroli filios claſſe ſua exceptos in Siciliæ poſſeſsionem armis deducere. vẽ-
B turum tantis copijs, vt fratrem hoſtibus reſtitutis e Sicilia deijceret; Siculos Gallis ad libidinem trucidandos obijceret. Fridericus nihil ea de nunciatione perterritus claſſem XL. triremium expedire vt fratri occurreret; ipſe prætoria vectus e Meſſana ſoluit, & ad Orlandi promontorium in hoſtilem claſſem inuectus, dum ferociùs quã conſultiùs pugnat grauiſsima clade oppreſſus, mente concidit, ſed Hugonis Emporitani opera vi remorum impulſa prætoria, hoſtibus eripitur, & cum XII. triremibus quæ fuga ſeſe ſubtraxerant, Meſſanam rex incolumis deuectus eſt. Vigintiduæ triremes ab hoſte captæ, aut depreſſæ ſunt. deſæuijt in captiuos proceres õni crudelitatis genere vt mortem patruelis ſui vlciſceretur Rogerius Lauria; in gregarium militem, & ſocios nauales Gallus omnem vltionis libidinem exercebat. Rex interea dmentem redijt, & inſpem meliorem ſuos conſolatione efficaci erexit; Meſſanæq́; rebus conſilio & præſidio confirmatis, ad Ennam, vt ex inſulæ totius vmbilico vndique ſubſidia
C laborãtibus ſubmitteret cum exercitu profectus eſt. Iacobus vtcunque victoria potitus, quum ſe tantum detrimenti accepiſſe videret, vt propius victum ſe quàm victorem teſtaretur, animo concidit; conuocatóque procerum concilio, fidem iam ſe ſuam ſatis liberaſſe Pontifici Bonifacio VIII. Carolo regi, eiuſque filijs qui aderant, obteſtatus; ſibi in Hiſpaniam vt res quoque regni ſui commotas componeret redeundum oſtendit; & quia iam fratrem aduerſo prœlio, & Siciliam maxima clade concuſsiſſet; facilẽ Siculos ipſorum armis, modo victoria vti ſcirent ceſſuros adiecit. conſilio inde dimiſſo claſſem ſuam ad profectionem in ancoris expeditam ſtare, & mandata ſua exſpectare iuſsit: procerumq́ue aliquot captiuorum permutatione cum fratre ſuo Friderico facta; reliquos, itidem opida capta, Roberto Caroli filio, & Rogerio Lauriæ,
ijſdemq́ue imperium quoque cum exercitu tradidit: ipſe e Sicilia ſoluẽs Neapolin nauigat, atque à Carolo qui ſe deſertum queritabatur alieniore animo exceptus, in Ca-
D teloniam reuertitur. Robertus itaque Calabriæ dux poſt Iacobi profectionem belli gerendi prouinciam ſuſcepit; & Randacium ad Aetnã ſitum opidum fruſtrà tentat, aliquot tamen ignobiliora præſidia ad Rogerium defecerunt; Francovillani ad res nouas commoti ab Auria præfecto præoccupantur: & iam Rogerij copiæ anguſtia frumentationis dilabebantur, niſi Adranum tam facilẽ ceſsiſſet: ibi miles Roberti omni rerum copia recreatus ad Paternionem deducitur. præſidio præerat Manfredus Maletta Friderici II. Auguſti olim clientulus; & Iacobi ac Friderici regum alumnus. is ad otium & libidinem proiectus, animo ignauo hoſtibus vrbem, ne quam vim experiri cogeretur, dedidit. Flagitioſum hoc exemplum Vizinenſes ſequuti ſunt; in Claremontium vi expugnatum omni crudelitatis genere ſæuitum eſt. hinc Ardoniũ ad deditionem coactum; à Plotio hoſtis per Calcærandum & Palmerium Friderici legatos profligatus eſt. Robertus inde Catanam proditione capit. eadẽ perfidia & Næetum occupatur: & Næetinæ vallis opida Buxemium, Palatiolum, Rhaguſa. Carolus

ROBERTVS CALABRIAE DVX.

ADRANVM A GALLIS CAPTVM.

CATANA A GALLIS CAPTA.

tanto filij ſucceſſu latus, Philippum quoque Tarenti Principem cum XL. triremibus A
PHILIPPVS TARENTI PRINCIPS. & DCC. equitibus diuerſa inſulæ parte vt Fridericum vndique bello diſtineret, in Siciliam mittit. Hic quum ad Drepani litora copias expoſuiſſet, Mazarinæ vallis agros, effuſo in varias partes equitatu populatur: cõtra Philippum Fridericus ad Falconariam aciem caſtra metatus, in aciem deſcendit eumque equeſtri prœlio fuſum capit: eiuſq; præcipui ordinum ductores Rogerius Sanſeuerinus Sergius Segmolphus alijque aliquot in poteſtatem venerunt; Petrus Saluacoxianus quum ſe dedidiſſet, quia ad hoſtem aduerſis circa Orlandum rebus tranſierat, nequidquam magna auri talenta promittens ab irato centurione Gilletto trucidatus eſt. cecidit etiã eo in prœlio Florus equitum Philippi magiſter: paullò poſt & Brennæ comes a Roberto ad intercipiendum Galliani arcem, cum valida equitum peditumque manu miſſus; calliditate & adulteratis Montanerij Sofæ litteris, in inſidias prolapſus a Velaſco ſuſus, & trucidatis eius copijs captus eſt. Rogerius Lauria Siculos interea procaciùs & temere- B
rariè exſultantes & XL. triremibus in eum inuectus prœlio naualiiuxta Neapolin ſuperat. Ceterum quum hoſtium claſsis poſt eam victoriam maris commercia intercluderet & frumentatio vndique ab hoſte interciperetur Meſſanæ fame laboratum eſt; & arctiſsimè commeatus ſubuehi potuit: placuit itaq; a plebeia & inermi turba Mamertinos exonerare. eos Fridericus deduxiſſe, comiter appellaſſe, & omni officiorum genere proſequutus eſſe ſcribitur. atque quum Nicolai Falicij virtute Mamertini ad omnia obſidionis incommoda fortiter & conſtanter obdurarent, Robertus eorum pertinacia victus per Iolantam vxorem, Friderici ſororem pactis indutijs, claſſem copiaſque deduxit. Deinde quum Carolus Philippi regis Galliarum frater Roberti patruelis magnum ad Thermas in ore Africi maris exercitum expoſuiſſet, & virtute Friderici acriter repulſus nihil armis proficeret: & Fridericum & Robertum petito colloquio ad pacis conſilia flexit. capta fœderis in hanc ſententiam percuſſa
fuiſſe obſeruo. vt Fridericus Helionoram Caroli regis filiam, Roberti ſororem, ſibi C
vxorem duceret, Carolo Calabriæ, Appuliæ & Campaniæ imperium & ius eſſet; Fridericus Siciliam quoad viueret liberè poſsideret, opida capta vtrique regi, ſuis in regnis reſtituerentur; captiui ſine precio liberarentur; transfugæ exſularẽt & bonis multarentur. Pace ijs legibus compoſita & ſeruata, Fridericus Helionoram, Meſſanæ nuptijs celebratis menſe Maio vxorem duxit, quæ ipſi filium nomine Petrum poſt biennium peperit. Sicilia inde ſub Friderico, bello & pace laudatiſsimo Principe duodecim annis lata in pace quieuit: eam bene compoſitam, & ſi mutuis Principum offenſionibus aliquando ſollicitam externi Principes perturbauerunt. Henricus Lucenburgenſis ſeptimus eius nominis Imperator, vt a Pontifice inauguraretur, Romam venerat, quem Robertus de eodem ſibi metuens, miſſo cum copijs Ioanne fratre ſuo Roma expulit. Is tot Roberti & olim & nunc quoque iniurijs contumelijſq; vexatus eum imperij hoſtem eſſe decernit & proſcribit adhæc vt aduerſarium ipſi potẽ- D
tiſsimum & acerrimum opponeret, Friderico Siciliæ regi fœderis lege ſoluto, imperium cum belli gerendi poteſtate dedit. Fridericus itaque cæſaris auſpicijs vſus, Robertum laceſsit, Rhegium primo impetu capit: mox & quinque Calabriæ opida ſeſe dedunt; ab eo victoriæ curſu litteris Henrici, vt copijs cum ipſo coniunctis Robertũ maiore vi aggrederentur Caietam auocatur: ſed quum inter nauigandum intelligeret Henricum veneno per fraudem in agro Senenſi exſpiraſſe, nuntio tam inauſpicato conſternatus, curſum, in Siciliam reflexit. At Robertus vires quas in Henricum cõparauerat in Fridericum conuertens in ora Segeſtana opidum quod caſtrum maritimum vocabatur, proditione captum munit, & Drepanum obſidet; claſſes vtrinque ad pugnam naualem inſtructas tempeſtas antequam cõcurrerent diuellit & lacerat: premitur etiam omni rerum inopia Roberti miles: atque feſsis vtrinque rebus de XIV.

MCCCII. PAX INTER ARAGONENSES ET GALLOS.

MCCC XIIII.

ROBERTVS NEAPOLIS REX AB IMPER. HENRICO VII. PROSCRIPTVS.

menſium

A mensium indutijs paciscuntur, & Roberti exercitus nulla quasi re gesta in Calabriam deportatur: & quum is vario deinde apparatu diuersis in locis, Siciliam, aliquoties agros populando tentasset, semper cum clade suorum repulsus, insidijs & artibus potiùs quàm armis hostilia gerebat Fridericus interea ætatem suam vergere, & læta cum indole Petrum filium adolescere videns, eundem in regni societatem, vt prauas aliquot factiosorum spes demoliretur annũ ferè duodevicesimum agentem ex procerum suorum consilio cooptat, & regia petestate donatum Panormi inaugurari fecit, & eidem Elizabetham Bauariæ ducis filiam collocat. Robertus vt erat irrequieto animo, ita nullum spiritum satis tranquillum ducebat. & prosperis Friderici rebus vrebatur, omni consilio pertinaciáque vt eundem euerteret grassatus Carolum filium multa procerum frequentia & centurionum, ordinumque ductoribus stipatum cum imperio & classe validissima vt Panormum peteret emittit, & arcanis quoque mandatis de vrbis

B obsidione & expugnatione eum instruit. Præerat vrbis præsidio Clarimontius isq; ciuium, qui ad omnem obsidionis necessitatem fortiter tolerandam obduruerant egregia virtute & constantia fretus, egregiè eam tuebatur equitatu interim latè per insulã vagante obuia quæque vastata & direpta sunt. Cetcrum quum Carolus multis simul locis per triduum vrbem tota vi & omni oppugnationis genere, magna cum clade suorum repulsus, frustrà oppugnasset, quia vi non poterat, fame eam capere decreuit. Panormitanis iam ad extremum inopiæ prolapsis saluti fuit, quod Carolus, patris sui litteris ab obsidione auocatus sit. Is igitur citatũ inde agmẽ per Siciliam rapiẽs agros, villasque omni latrociniorũ genere infestans, in Calabriã nauigauit. Roberto anniuersarium erat, aratores messis tempore quotannis aliqua in insulæ parte inuadere; prouentum annonamque nullo tamen cum rerum suarum successu, populationibus corrumpere; calamitatem inferre; cladem accipere; quousque per proditionem Panormitana arce intercepta ab eadem iterum magna vi electus est. Fridericus interea à Lu-

C douico Bauariæ duce (qui cæsar designatus, bellum contra Fridericum Austrium æqualibus ferè suffragijs creatum, ciuile gerebat) in auxilium vocatus, filium suum Petrũ ducis Ludouici generum, cum LXX. triremium classe in Italiam misit. qui Aenariæ insulæ & Caietanis agris igne, ferróque vastatis, Asturam quæ a priore clade vtcũque respiraueret in vltionẽ Conradini ibidem, vt memorauimus intercepti, vnà cum arce funditùs deleri iussit. & aliquot inde agris opidisq; direptis quum Ludouicum Roma profectum eumque a belli suscepti consilijs auersum esse intell geret, in Siciliam cum classe reuersus est. Aetna mons proximo inde anno pridie Kal. Iul. j grauissimo motu concussus horrendo fragore cum ingenti terræ mole subsedit: & eructatis flammarum globis & riuis igneis, Catanensium & Acitanorum agros magnis cladibus oppressit. inde inducta per cælum caligine, offuscatáque densis tenebris luce diurna, tantam cineris nigerrimiq; pulueris copiam depluit, vt non solùm vicinæ, sed & lõ-

D giùs positæ regiones cooperirẽtur, verum etiam flante vehementiùs Borea in Melitã vsque insulam ea cineris nubes deferretur. Obortæ deinceps inter duos præcipui nominis purpuratos simultatum causæ, Siciliam nequidquam contra nitentibus regibus viginti quatuor annis intestino aut externo bello, mutuóque partium exitio grauissimè afflixerunt. Partium capita duo comites Franciscus Vigintimilius Hieracij; alter Motucæ Ioannes Claremontius erant. Vigintimilius Constantiam Clarimontij sororem eius sterilitatem caussatus, repudiauerat; & pellicem suam sibi matrimonio iunxerat: eam sororis contumeliam vtcumq; vellet, vlciscitamen Clarimontius in Vigintimilium non potuit; obstabat eius apud Fridericum & gratia & auctoritas contulit, itaque se Clarimontius, ad Ludouicum tunc quidem (vt memorauimus) Italiam varijs belli cladibus infestantem; & rerum gestarum commendatione etiam apud regem gratus, domum reuersus, vltionem callidè dissimulat, quousq; cap-

PETRVS VI. SICILIAE REX. MCCCXII.

MCCCXIII.

AETNAE MONTIS INCENDIVM.

MCCCXXXIIII.

SICVLORVM BELLA CIVILIA.

to tempore Vigintimilium Panormi inuadit,& ſecurum, incautumque aliquot vulne- A
ribus occupat. Rex Clarimontium;quia vetuerat ne qua vis fieret, vt publicæ pacis
violatorem proſcribit. Clarimontius ad Ludouicum recurrit eumque Ludouicus
fruſtrà Friderico conciliare nititur: quare is animi dolore victus, ad Robertum tran-
ſit;eiuſq;claſsi præfectus agrum Thermitanum & Mazarienſem populationibus ve-
xat,& ab Alicatæ vrbis oppugnatione depulſus,ad Ludouicum neglectis Roberti au-
ſpicijs dilapſus in gratiam receptus eſt. In hoc rerum tumultu Lotophagites (quæ
FRIDERICVS II. SICILIAE REX MORITVR. MCCCXXXVI nunc Gerborum vocatur)inſula a Friderici præfectis, qui tributa acerbius impera-
uerant.& crudeliùs etiam coëgerant ad Tunetanum regem defecit : & Fridericus
podagræ morbo fractus anno ætatis ſexageſimo quincto,regni ſui quadrageſimo; cri-
nito ſidere ab occaſu Brumali prælucente in agro Catanenſi III. Idus Iulij moritur.
Succedit ei in regni adminiſtrationem filius Petrus II. qui ipſo quoque viuo vt me-
morauimus.coronatus erat. Læta huius regni auſpicia factio Vigintimilia & Cla-
rimontia perturbarunt: Clarimontij proſcripti & exſulantis partes fouebant Palicij B
fratres;qui noui in regis animum obrepſerant;Damianus ad Cancellariam dignitatẽ,
Matthæus ad quæſturam regiam admotus,in Vigintimilij exitium conſpirant,eumq;
omni ſtudio euertere machinantur. Indicitur interea procerum conuentus, eò Vi-
gintimilius per amicos de periculo admonitus ad regis edictum non apparuit: filium
miſit: quem ex Paliciorum conſilio rex vnà cum ijs qui eum comitabantur proceri-
bus,in carcerem conijci iuſsit;mox Rufo Cephalædenſi queſtioni ſubiecto, tormen-
tiſque lacerato indicium extorquent,quo ille Vigintimilium, cum Antiocheno ob eã
cauſſam latitare indicat;quod in caput regis coniuraſſent;& ordinem cauſſamq; per-
fidiæ & mutua litterarum commercia prodit. Vigintimilius & Antiochenus vbi ſe
per indicium regi proditos intelligunt ad Robertum trãſeunt; illius defectionem vi-
ginti opida;iſtius octo ſequuntur; & detractis Siciliæ regis inſignijs; Roberti repo-
nunt. Rex & fuga & indicio conuictos proſcribit;& hoſtes iudicatos armis pro- C
ſequitur: opida haud difficili labore occupat. Vigintimilius dum fuga elabi conatur,
ex præcipitio delapſus a militibus membratim diſcerpitur: Antiochenus fuga ſibi ſa-
lutem peperit & quum ſe in arcem Myſtrettenſem recepiſſet, abeundi cum fortunis
ſuis poteſtatem pactus,ad Robertum nauigat,quem magna ſpe & vanis promiſsis im-
pletum eò perculit,vt in Siciliam quinquaginta triremium claſſem inſtrueret. qui
quum claſsi præfectus ad Rocellam arcem (reflectitur ea poſt Cephalædum in Bru-
malem occaſum X. paſs. millibus) copias expoſuiſſet, Coliſsano, Gratterio, Brucato
& Mõtangelico opidis,quia Vigintimilij ditionis fuerant potitus;ſupplementa & cõ-
meatum ex Neapoli accipit & Thermas Himerenſes arcta obſidione oppreſſas ſiti ad
deditionem coëgit. Petrum namque regem ne Thermitanis ſubſidium ferret, mo-
tus ex Rogerio Paſſaneto repetundarum reo nouus auerterat : is enim vt rebus ſuis
vitæque conſuleret Leontinorum arcem occupauerat. Ceterum Paſſaneto per pa- D
ctionem in poteſtatem redacto, Velaſcum cum aliquot ſignis contra Gallos proficiſci
iuſsit: qui hoſte per metum cedente, vrbes quas occupauerat, partim armis, partim
deditione recepit. Robertus Antiocheni iterum ſequutus conſilium Mylas vt frumẽ-
tationem Meſſanenſium intercluderet,per aliquot menſes obſeſſas, fame ad deditio-
nem coëgit,ipſéque Antiochenus telo percuſſus in ea obſidione fato functus eſt.
Petrus interea etiam magnam ad Liparam temeritate Rolandi fratris ſui ſpurij cla-
dem,captis aut depreſsis XXII. triremibus accepit. Ceterum domi Paliciorum fratrũ
potentia iam omnibus nimia & inuidioſa,etiam Ioannem Randacij ducem,regis fra-
trem peruertere per inuidiam & calumniam moliebatur, niſi Ioannis innocentiã Pe-
tri fratris pietas & fides protexiſſet,quare quum Paliciani fratres ob eius ſceleris vl-
tionem Panormi a populo per ſeditionem ad ſupplicium depoſcerentur,à regina cõ-

ſeruati

A ſeruati,& Piſas in exſilium pulſi ſunt,atque in hoc rerum tumultu Petrus anno ætatis ſuæ XXXVII. regni ſui XVII. haud procul ab Enna VI. Idus Auguſti exſpirauit. Cuius mors præmatura & filij Ludouici ætas(ſextum enim tum ferè agebat annum) ad regni curas immatura, Siciliam nouis ex partium ſtudijs motibus anxiè, perturbauit. quum namque procerum conſenſus Ludouicum regia corona Panormi donaſſet,& Ioannem patruum eius ex patris teſtamento tutorem & Siciliæ proregem declaraſſent,neque is aduerſa valetudine Syracuſis oppreſſus munia ſua obire poſſet: Paliciorum exſulum factio,occaſionem,qua ipſis reditum recuperarent oblatam eſſe rati Fridericum Callarium Meſſanæ præfectum ſubito impetu trucidant; & prætorē magiſtratumque Paliciæ gentis aut factionis creant: atque vt proregis iam ad vltionē properantis impetum in ipſorum exitium vergere vident, accitis è Neapoli in ſubſidium Gallis arcem in portus oſtio,quæ a S.Seruatore nomen habet,commeatu & in-

B ſtrumento inſtructam occupant. eam prorex magna vi expugnat, & in factioſos laqueo animaduertit. Eodem tempore Robertus Neapolitanorum rex Siciliæ hoſtis fato functus eſt, cui Ioanna ex filio Carolo neptis ſucceſsit. Ea quum Andreæ Hungariæ regis filio nupſiſſet, Siciliæ regnum ,contra Meſſanenſes duce Gotofrido Scyllaceij comite,cum XL. triremium claſſe & M. equitibus miſſo affectare & armis tentare cœpit. Sed Gotofridus Ioanne Siciliæ prorege cum copijs in auxiliū Meſſanenſium ſuperueniente,quia pugnam conſerere non audebat, obſidionem ſoluere & in Calabriam fugere cogitur. Andreas inter hæc auerſæ vxoris Ioannæ ſcelere laqueo ſtrangulatur;& eadem Ludouico Tarenti principi,qui ipſam adulterio corruptam in mariti necem impuliſſe credebatur nubit. At Ludouicus Hungarus fratris Andreæ mortem vlturus, magnum cōtra Ludouicum & Ioannam exercitum ducit;qui ſceleris ſibi conſcij & hoſtis apparatu conſternati,regni curam Carolo Dyrrachij duci committentes Narbonam profugerunt. Siculi Ioannæ metu & cura libe-

C rati,& tēporum occaſione vſi Mylas,mox & Liparā deditione recipiunt;& Calabriæ oram prædationibus infeſtant: hinc quum circa Neapolin victricia ſigna circumferent,Neapolitani & bellorum & turbarum pertæſi ſeditionem mouent, & Ioannam quæ iam pace cum Ludouico Hungariæ rege facta,in regnum redierāt, ad pacis cōſilia cogunt. Ceterum quia pax nullis adhuc legibus tam celeriter componi poterat,indutiæ ſeptem menſium datæ ſunt. Poſthæc pacem his conditionibus factam obſeruo,vt Ludouicus Siciliæ regnum poſſideret, ſi qua vis vrgeret, Neopolitanis cum XV. triremium claſſe auxilio eſſet; LX talenta Eccleſiæ Romanæ penderet Ioanna Ludouico eiuſque poſteris Siciliæ regno cederet & Pontificis Clementis VI. auctoritatem in pacis ſanctione;& ab eodem Siculis veniam cenſuræ Eccleſiaſticæ impetraret. Pace ijs legibus compoſita, quum ab externo hoſte otium eſſet, Sicilia peſtilitate,factionibus,inteſtinis bellis,& agris populatione exuſtis aut ab aratoribus

D deſertis,fame;tum quod inter præcipuæ calamitatis eius genera numerandum eſt,Ioannis proregis ſubita morte, opprimitur; cuius vita, ſiquid in humanis rebus virtus aut prudentia poteſt, vnicum tantis malis remedium opponebatur. Ioanni defuncto,Velaſcus Alagonius in proregia poteſtate ſucceſsit. Ceterum Matthæus Palicius qui Piſis,vt memorauimus exſulabat,eius fratre Damiano ibidem defuncto, reginæ Elizabethæ opera & fauore,& factioſorum auxilio in Siciliam redijt. Is reſtitutus in integrum,& Meſſanenſium ſibi animis conciliatis in Velaſci, cui infenſior erat & Catalaunorum exitium cum præcipuis aliquot proceribus,præcipuè ijs qui Clarimontanæ factionis erant,coniurat,& ſeditione Panormi,per complices ſuos excitata, Catalaunos paſsim obuios trucidat;ceteros non adparentes magno cum furore ad cædem depoſcit:opida, arceſque, ijs per totam inſulam deiectis eodem impetu occupat, Velaſcus vt ſe contra coniuratos tueretur,Catanam præſidio & commeatu

PETRVS II. REX MORITVR.

LVDOVICVS SICILIAE REX. M.CCC. XLII.

MCCC XLII.

ROBERTVS NEAPOLITANORVM REX. MORITVR.

ANDREAS NEAPOLITANORVM REX.

PAX INTER LVDOVICVM REGEM ET IOANNAM NEAPOLIS REGINAM

vndique cõuecto inſtruit; vrbem propugnaculis, & contra omnem oppugnationis impetum vallo foſsiſque munit. Clarimontani contractis vndique ſuorum copijs in agro Catanenſi caſtra metãtur; eodem & regina cum Ludouico fil o ſeſe confert. Velaſcus eruptione facta acriter ad Catanæ muros cum hoſte congreſſus, eundẽ magna clade fractum profligat. cadunt etiam ex Catelaunis aliquot proceres, & inter hos præcipui nominis Gulielmus Peralta comes. Clarimontani aduerſo prœlio fracti dilabuntur, & bellum per inſulam inteſtinum ſpargunt, aluntque: mox & ciuitates partium furore contactæ, inter ſe mutuis vulneribus & latrocinijs graſſantur: agri vaſtantur; aratores eijciuntur, armenta, gregeſque abiguntur; adhæc nihil ſacri vſquam inuiolatum manſit. Hinc ſequuta agrorum ſterilitas; & in tantam omnium prouentuum penuriam Sicilia, quæ olim Pop. R. horreum vocabatur, prolapſa eſt, vt libera corpora ſeſe cibi vel minimi gratia in ſeruitutem venderent; virgines in ſtuprum proſtituerentur. Ludouicus adhuc puer interea ſub Mathæi Palicij tutela Meſſanæ adoleſcebat; ſed quum Palicius ſub tutelæ prætextu tyrannidem affectare videretur, & pecunias magna cum inuidia imperatas, acerbiſsimè cogeret, omnibus iam exoſus ab Henrico Ruſo, qui Mamertinorum opera in vrbem exceptus erat, ex latebris quibus ſe abdiderat protractus, Ludouico etiam inuito vnà cum vxore & filio primogenito per vrbem vnco iniecto raptatur, & trucidatur. Ludouicus poſthac Henrici curæ & tutelæ commiſſus ab eo Catanam deductus, à Velaſco, ceteriſque Catelaunis & Catanenſibus magna cum aggratulatione excipitur, eiuſq; acceſſu Alagoniorum opes confirmantur, & Clarimõtij rebus ſuis in deteriùs vergẽtibus, ſe fortunaſq; ſuas Ludouico & Ioannæ Neapolitanorum regibus dediderunt. Anxia tot motibus Sicilia, etiam grauiori mæſtitia duorum funerum Velaſci Alagonij ſenio conſumti, & Ludouici regis nondum pubertatis annos egreſsi percellitur. accedebat adhæc quod Fridericus eius frater nondum XIII. annos natus impeditus procerum factione, neq; regium inſigne adſumere, neque quidquam cum imperio, neque auſpicatò gerere poterat; Meſſana a Neapolitanis occupata erat; Leontinum eorum præſidijs tenebatur; Syracuſæ a factioſis ſollicitatæ nutabant. & quod etiam conſtantiſsimos percellebat, Acis opidum grauiſsima obſidione clauſum, quia nullis auxilijs defenſum erat ab hoſte expugnatum nunciabatur. Rebus vſque adeo fractis & deſperatis, lumen animi, ingenijque ſui Artalius Alagonius, Velaſci primogenitus oſtendit, qui hoſtes exigua cum manu adgreſſus, eos, expugnatis aliquot triremibus ab Acitanæ arcis obſidione detraxit, & ab inſula depulit, Siciliamque hoſtium armis oppreſſam, & domi ſeditionibus laceratam protexit, & Fridericum III. in regem inaugurari fecit. Transfugæ vbi res Ludouici & Ioannæ in Sicilia fractas vident; Friderico regi ſupplices accidũt, eiuſq; clementia, Artaliſq; conſilio in gratiam recipiuntur, & inducta præteritorum obliuione, partibus etiã inter ſe regis ſtudio reconciliatis; regnum ab inteſtinis armis liberatum, & contra hoſtium inſultus munitum eſt. Conſtantiam inde Petri Aragonum regis filiam ex Hiſpania deductam in vxorem Fridericus rex accepit, ex qua ipſi filia Maria regni hares futura nata eſt. eáque vix bimula, à matre moriente Artalis Alagonij curæ & tutelæ commendata eſt. Ceterum Ludouico defuncto adhuc ſub Ioannæ Imperio & præſidio Meſſana tenebatur, quæ eiectis per Artalum hoſtibus, Friderico reſtituta eſt; arcem verò Artalis quæ adhuc à Gallis tenebatur magna vi adortus expugnauit. & iam Sicilia iterum ab hoſtibus liberata, pax inter Fridericum, & Ioannam Neapolitanam (nam eius maritus paullò ante è viuis exceſſerat) Gregorij XI. Pontificis Maximi interceſsione in eam ſententiam componitur, vt Fridericus eiuſque poſteri Siciliæ inſularumque vicinarum regnum poſſiderent; & regno Neapolitano Eccleſiæq; Romanæ beneficiarij, cliẽtes & vectigales eſſent paci etiam neceſſitudinis vinculum adnexum, Antoniáque Hadriæ ducis filia, Ioannæ neptis, Friderico

A B C D

MCCC LV. LVDOVICVS REX NEAPOLIS.

LVDOVICVS SICILIAE REX MORITVR.

MESSANA A NEAPOLITANIS CAPTA.

ACIS OPIDVM CAPTVM.

FRIDERICVS III. SICILIAE REX.

M CCC LVII.

MCCCLXV.

A co regi deſponſa eſt, nuptiæ Meſſanæ celebratæ ſunt;& Fridericus, quum eouſque itinera ab hoſtibus & perduellibus obſeſſa liberum ipſi commeatum intercluſiſſet, Panormum profectus & regio more diademate redimitur,& Antonia eius vxor, fauſtis acclamationibus,regina ſalutatur. Fridericus inde cum regina Meſſanam , vna triremi vectus,ſcelere Henrici Rufi excluditur;nec hoc temerario eius auſui ſatisfecit; regem qui ſe Rhegium cum triremi ſubduxerat,noctu inſequitur, eumq; in poteſtatem redigere conatus,fruſtratur triremis namque remigum magno nixu impulſa, regem incolumem eripuit.ceterum regina ex pauore & conſternatione animi in febrim incidit cuius vehementia ſeptimo inde die exſpirauit. Atq;quum Fridericus tertiam ſibi vxorem, Bernabonis Mediolanenſium reguli filiam deſpondiſſet, ante nuptiarum diem Meſſanæ anno regni ſui vndecimo,ætatis XXIIII. mẽſe Iulio è viuis exceſsit. moriens Artalio Alagonio Mariam filiam (vt ante eius mater teſtamento fe-
B cerat)cum proregia Siciliæ dignitate commendauit. poſt eius mortem quæ ipſo viuo ſopita erant odia inter Alagonios & Clarimontios liberiùs recruduêre. Raimundus Moncatinus Clarimontanæ factionis,noctu Catanam profectus (aberat namque Meſſanæ ad vrbis eius ſtatum componendum Artalis) arcemque furtim ingreſſus, Mariam nihil tale ſuſpicantem rapuit,& ad arcem Auguſtæ tranſtulit. Artalis eius facinoris nuncio conſternatus,cum delectorum militum agmine Auguſtam , præſidiũ oppugnaturus,& Mariam liberaturus properat,& ſigniferos gregarioſq; ad celeritatem vrget. Sed Raimundus non auſus eius impetum exſpectare, Mariam,triremi ad id à Manfrido Clarimontio Panormo miſſa exceptam,in Alicatæ arcem,inde in Cateloniam tranſuehit,& ad Barcinonam exponit: eámque Martino, Martini ducis Albimontis filio & Ioannis Aragonum regis nepoti collocat,qui Siciliæ Rex in nuptijs fauſta acclamatione ſalutatus eſt. Obijt eo tempore Manfridus Clarimontius, cuius filius Andreas Panormi vrbis præfecturam occupauit. Inter hæc Martinus pa-
C ter,cum filio Martino & Maria nuru in Siciliam vela facientes,Drepani benignè excepti & regũ aggratulatione ſalutati;à Panormo per Andream excluſi ſunt. Enimuero Andreas paullò poſt in poteſtatem redactus,& ſecuri percuſſus,eius perfidiæ pœnas luit,atque in eo gens Clarimontia,quæ tot factionibus Siciliæ viſcera,tot cladibus rempublicam ob vnius fœminæ contumeliam (vt ſuo loco expoſuimus) lacerauerat, defecit. Vigintimilij,& Montecatini in regum gratiam recepti ſunt. Panormum inde ingreſsi Martinus pater & filius, & Maria nurus reges ſalutantur, & filius eius cum Maria nuru regni auſpicijs inaugurantur. communibuſque conſilijs & opibus inſulam inteſtinis bellis & ſeditionibus malè multatam & cõuulſam pace componũt. Artalius qui Catanam armis ſibi vendicaturus metuebatur, vrbe ceſsit & in Acin ſe ſuaſque fortunas tranſtulit. Dum hæc in Sicilia geruntur. Ioannes Aragonum rex fato functus eſt, Iolanta vnica filia ſuperſtite;Ioanni Martinus frater Albimontis dux
D ex patris teſtamento & procerum ſuffragijs in regnum Aragoniæ ſurrogatur. Auctores habeo, qui Martino filium nomine Fridericum ex Maria natum ſcribant;atque eum dum ſextum ætatis ſuæ annum ageret cum æqualibus haſtiludio concurrentem, cuſpide circa frontem confixum,ſtatim exſpiraſſe;matrem præ animi dolore deinceps contabuiſſe morboque VI.Kal.Iunij conſumtam:& Martinum defuncta Maria, vxorem Blancam Nauarræ regis filiam duxiſſe. Inde quum pater eius Aragoniæ rex, qui Ioanni fratri præmortuo in ius regni ſucceſſerat,inauguratus eſſet, & Sardinia eius imperium abnueret,Martinus eius filius,Siciliæ rex in Sardiniam cum claſſe & copijs profectus inſulam armis in poteſtatem redegit;mox laboribus cæli eius inclemẽtia,fatigatus paucis poſt eam victoriam diebus extinctus eſt. Prodidêre quidam eius mortem adhuc immaturam,annumenim agebat tertium vltra triceſimum, magnũ vbiq; luctum mouiſſe: obſeruatũ quoq; ipſum infelici omine,(ſi quid omina præſagij habent)

MCCCLXVIII

MARIA SICILIAE REGINA.

MARIA REGINA CAPTA.

MCCCLXXXVI.

MARTINVS SICILIAE REX.

MARTINVS SENIOR ARAGONIAE REX.

MCCCC.

MARIA REGINA MORITVR.

MCCCCIX.

MARTINVS SICILIAE REX MORITVR.

habent) regem ante patrem fuiſſe creatum, quaſi ante patrem vita defuncturus eſſet, A
MARTINVS PATER SICILIAE REX. cui vnicus heres, columen & poſteritas gentis erat. Pater quinquageſimum ſecundũ ingreſſus annum, ventre etiam ex intercute inflato, Margaretam ſpe propagãdæ ſobolis regiæ duxiſſe vxorem, & liberos ex ea non ſuſcepiſſe ſcribitur. Atque quum fratri in regno Aragoniæ, filio in Siciliæ regno ſucceſsiſſet, Blancam nurum ſuam, proregiæ dignitatis auctoritate in Sicilia donauit, & paullò poſt moriens, neminem
MARTINVS PATER SICILIAE, ET ARAGONIAE REX MORITVR. teſtamento ſuo ſucceſſorem deſignauit, illud tantum ſcripſit ſe procerum ſuffragijs commendare, vt eum ſibi regem ſurrogarent qui gentis neceſsitudine ipſum quàm proximè contingat, & prudentiæ nomine commendatiſsimus ſit. Poſt Martini itaque mortem varia in Arogonia & Sicilia de ſucceſsionis iure certamina ſunt ob-
MCCCCX. orta: affectabant enim regni hereditatem Iacobus comes Vrgellenſis, ex Ioanne ipſius Martini patruo natus: & Alphonſus Gandiæ dux, parte ex altera Ludouicus puer Ludouici Francorum regis filius ex Iolanta, nepte Martini & Ioanne Caſtellæ B rege eius fratre ortus. Conuenit itaque vt Iudices nouem ſeligerentur, qui ſuper ea contentione iudicarent: ij poſthabitis reliquis, & excluſo etiam Friderico Martini iunioris ex pellice filio competitore quarto, Ferdinandum Ioannis Caſtellæ regis ſecundogenitum & abſentem, nec ambientem, regem Aragoniæ declarant. erat is Martini ex Helionora ſorore nepos. Huic Ferdinando cognomen iuſto ob inſignem in nepotulum ſuum pietatem fuiſſe factum obſeruo, memorabili ad omnem poſteritatis memoriam exemplo, quum namque Henrico fratri defuncto cum omni procerum cœtu iuſta perſoluiſſet; omnium ſuffragijs & acclamationibus rex Caſtellæ declaratus, tamẽ ſublato in humerum anniculo infãte, defuncti fratris filio, ad cœtum vniuerſum dixerit, Eccum regem veſtrum: pluris pietatem iuſtitiamque quã regnum fecerit faciens, quo beneficio ſibi & omnium animos demeruit; & regni curam ſuſcepit, & plures terra marique victorias adeptus eſt. C

DE CASTELLANIS.

FERDINANDVS ARAGONVM REX AN. A CH.N. MCCCXII. FErdinandus patre Ioanne Caſtellæ rege (vt memorauimus) natus, in Aragoniæ regem electus, & Cæſareæ Auguſtæ III. Nonas Septembr. coronatus, nec dum ſe regem Siciliæ appellari voluit; obſtabant inteſtinæ adhuc eius inſulæ contentiones, vt adhuc de rege futuro dubitaretur. Affectabat regium nomen Bernardus Caprera inſulæ totius præfectus; hinc ſpem faciebat, quod Aragonia per mortem Martini regis (vti diximus) inteſtinis bellis laborabat, & quod ipſe vniuerſis Siculis imperarẽt. Blancam ob ſexus imbecillitatem, & quod viri obitu proregia dignitate exuta videbatur, contemnebat. eius tamen coniugium, vt ea occaſione ad regnum obreperet, ſperabat.
SICILIA ITERVM CIVILIBVS BELLIS IACERATA. Sed frangebat eius ſpem, quod ipſe olidus ſenex, turpiter & reginæ flo- D rentis ætatis & venuſtiſsimæ, matrimonium, nulla neque gentis neque morum neque virtutis aut ætatis commendatione vel illecebris gratioſus ambiret. Itaque quod per gratiam non potuit, per vim tentare eamque rapere ſtatuit. Id Catanæ primùm ex inſidijs fruſtrà conatus eſt, idem Syracuſis per vim occupata vrbe, quum tentaſſet repulſus eſt; tertiò ipſam Panormi nihil tale metuentem ex improuiſo & nocte rapuiſſet, niſi illa ſeſe è ſtrato proripiens, fuga ad triremem quandam per tenebras elapſa fuiſſet. Eodem tempore quum à Ferdinando rege legati appuliſſent, qui motus Siciliæ componerent; neque Caprera quidquam illorum auctoritati concederet, à Sanctio comite captus & multo ludibrio malè multatus, in Hiſpaniam iuſſu Ferdinandi
FERDINANDVS ARAGONIAE ET SICILIAE REX. deportatur, & ab eo in gratiam recipitur. Sicilia in poteſtatem redacta, tum demum
MCCCC XII. ſe Ferdinandus quoque Siciliæ regem nominari paſſus eſt: & per tres legatos, quibus proregiam in inſula, poteſtatem dederat, ſumma cum tranquillitate per annos,

quatuor

A quatuor administrata est. Bellum ipse in Bætica contra Sarracenorum regem gessit, quem vsqueadeo varijs cladibus attriuit, vt eundem ad petendam pacem plerisque eius opidis expugnatis coegerit. Dehinc Ferdinandus dum ad Aquam-latam quod opidum x. millibus a Barcinone abest, agit, grauiùs ex calculi cruciatibus decumbere cœpit. huc properè accurrit Alphonsus filius: nam Petrus aderat, duo, secundus ac tertius ille Ioannes, iste Petrus nomine, in Castella cum patruele degebant. Sanctius paucis ante diebus (sed pater ignorabat) calculo decesserat, paterno morbo, magnum Petri morienti Alphonsi præsentia solatium attulit. in huius ore, in huius colloquio, in huius pietate acquiescebat. hunc quamquam post se regnaturum, maximè tamen inter septem liberos suam mortem indoliturum affirmabat. quinque iam filios nuncupauimus, duæ filiæ supersunt; quarum Maria Castellæ regi; Eleonora regi Portugalliæ collocata erat. Ceterum duobus ferè mensibus calculi cruciatu confectus, inter suorũ

FERDINANDVS REX MORITVR. MCCCCXVI.

B colloquia & amplexus IIII. Nonas Aprileis defecit. Fuit autem Ferdinandus natura sublimi; sed a fastu remotus, animo intrepido, sed erga iustitiam reuerenti. In contumaces ac sontes seuerus: erga misericordia dignos clemens; ex rebus quidem bene gestis gloriam captabat; verum natura pacis studiosior erat. Statura fuit proceriore, aspectu graui & suaui, colore candido. satis plenis ac robustis membris. Succesit Ferdinando Alphonsus filiorum eius maximus, cui ab animi excellentia Magnanimo cognomen fuit. Is initio suscepti regni Petrum fratrem Siciliæ Proregem & Næetinorum ducem creauit. Dum Alphonsus Corsicam bello tentaret a Ioanna II, Neapolis regina quæ Ladislao fratri in regnum successerat, accitus; in eius auxilium, (Ioãna namq; a Ludouico tertio Andegauensium duce bello vexabatur) venit; & instauratis in Sicilia viribus, auctáque classe, debellatis reginæ hostibus, ab eadem ex auctoritate Ioannis XXIIII. Pontif. Max. in filium adoptatus, omnia pacata habebat; quum pauco post tempore mutato feminæ mobilis animo, Ludouico Andegauensi in suum

ALPHONSVS ARAGONIAE ET SICILIAE REX. MCCCCXVI.

IOANNA II. NEAPOLIS REGINA. MCCCCXIIII.

C locum surrogato, abdicatus, Neapolin vt ius suum armis prosequeretur, bello vexauit; sed auocatus in Hispaniam vt auxilium Henrico fratri suo, tunc quidem a Ioanne Castellæ rege capto, ferret, Petrum fratrem suum, classi copijsque vt auspicijs ipsius bellum gereret, cum imperio præfecit, & ex itinere Massiliam expugnauit & diripuit, vt Ludouicum Andegauẽsium ducem a bello Neapolitano ad sua defendenda reuocaret; direptam Massiliam incendio consumsit. Inde in Hispaniam profectus & cum Ioanne rege reconciliatus fratri libertatem restituit; regressusque in Siciliam, parata & instructa classe Africam petijt, & Lotophagiten insulam quam nunc Gerborum vocant profligatis inde Barbaris recepit, interea Ludouico Andegauensi defuncto, Renatus eius frater ab Ioanna regina in spem successionis adoptatur, nec multo post quũ & regina decessisset, Alphonsus fratrem suum Siciliæ præficit. ipse ad Caietæ obsidi-

MCCCCXI. MASSILIA AB ALPHONSO REGE CAPTA.

ALPHONSVS REX A GENVENSIBVS CAPTVS. MCCCCXXXV.

D onem nauigat; atque quum eam decimo mense obsedisset nauali prœlio cum Genuensibus congressus vincitur, & cum Ioanne Nauarrensium rege & Henrico fratre, multisque proceribus viuus in hostium potestatem venit. Capti ad Philippum Mariam Mediolanensium regulum qui cum Genuensibus contra Alphonsum bellum gerebat, deducti. & ab eodem benignè & comiter habiti, & sine redemtione liberati sunt. Alphonsus ad regnum Neapolitanum redijt: Ioannes & Henricus in Hispaniam profecti sunt vt militem conscriberent, & auxilia Alphonso submitterent. Alphonsus inde Caietam recepit, ac post Renati eiusque vxoris Elizabethæ varios conatus & Eugenij IIII. Pontif. Max. frustratam operam, Neapolin obsedit. hic dum incautius quædam extra vallum Petrus eiusdem frater explorat, bombarda percussus interijt. Ceterum Alphonsus vrbem quum diu tenuisset obsidio, immissis per aquæductum quendam militibus capit, Renatus fuga in arcem nouam elapsus est, sed desperatis rebus, acceptisque ex pacto decem aureorum milibus, arcem dedidit & in Galliam rece-

NEAPOLIS AB ALPHONSO REGE CAPTA. MCCCCXLI.

pit. Alphonſius Neapolin arce, portu, fontibus, aquæductibus, vijſque conſtratis adornauit; & terræ motibus concuſſam inſtaurauit. atque quum annum ætatis ageret LXV. Iulio menſe in arce Neapolitana exceſsit; anno poſtquam Neapolitano regno potitus erat, XVII. Ferdinandum filium ſpurium in regno Neapolis ſibi ſucceſſorem inſtituit. Is diu bellum geſsit contra Ioannem Andegauenſem prædicti Renati filium. Ferdinando ſucceſsit Alphonſus iunior filius, qui a ſuis expulſus in Sicilia Meſſanæ diem clauſit. Carolo tunc Octauo Francorum rege a partibus accito. Ceterum interea huius filius Ferdinandus Iunior, Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum & Siciliæ regis vicinum timentis aduerſarium auxilijs adiutus, poſt varios magnoſq; Caroli conatus in regna per vim reſtitutus eſt. Hunc abſque liberis mortuo, Fridericus patruus ſucceſsit; qui quum in ſuſpicionem Regis Catholici indicio Lodouici Francorum regis veniſſet, ipſorum armis regno pulſus in Gallia exſulauit. Deinde Gallis poſt varios belli motus expulſis regnum in Ferdinandi regis poteſtatem redactum eſt. atque hæc breuibus de Ferdinando eiuſq; poſteritate enumeranda hoc loco nobis fuiſſe putauimus. Quod ad Alphonſum pertinet, is virtute ſua omnibus ſui ſæculi principibus caliginem induxiſſe proditur, coluit enim non ſolum bellica virtute illuſtres, ſed & felicia ſui ſæculi ingenia, liberalitate, hoſpitio & beneficijs proſequutus eſt. commendatur prudentia, beneficentia, pietate, doctrina, clementia. huius præclare geſta, ſapienter & argutè dicta, quaſi non regis tantum, ſed etiam præſtantiſsimi Philoſophi a clariſsimis auctoribus celebrata ſunt. Statura fuit mediocri, colore ſuppallido, vultu læto, oculis fulgentibus, naſo aquilino, crinibus nigris, in dicendo terſus, breuis ac venuſtus; in reſpondendo ſalſus & argutus. Ipſi in regnis Aragoniæ & Siciliæ, Ioannes frater ſucceſsit: ad quem & propter Blancam vxorem Nauarræ ditio peruenerat. Ioannes & viuo patre Ferdinando Siciliæ Prorex & Architalaſsius fuerat, ex Blanca filium genuit Carolum & Blancam vxorem Henrici Nauarræ Principis ac Helionoram, virum fuiſſe clementia, liberalitate, ac pietate commendatum inuenio. Siculi habito apud Calatam Hieronis conuentu, legatos ad eum deſtinarunt, Simonem Bononium Panormi præſulem; Raymundum Moncatam Adranij comitem, Antonium Lunam Calatabellottæ comitem; qui in Hiſpaniam profecti in eius verba iurarent, & regiam poteſtatem ipſi deferrent. Poſt Blancæ obitum Ioannes vxorem duxit Ioannam Friderici Caſtellæ Architalaſsij filiã ex qua liberos procreauit Ferdinandum, & Ioannam Ferdinandi Neapolitanorum regis vxorem, Ioannam vxorẽ Nauarræ regno cum Proregia poteſtate præfecit; quod iniquè ferens Carolus priuignus, ad quem materno iure id regnum perueniebat, Neapolin ſe contulit & inde in Siciliam profectus biennio ibidem hæſit. verũ inde ne res nouas per occaſionem moliretur, a patre reuocatus, cuſtodiæ traditur; ſed mox procerum ſtudio patri ſuo reconciliatus & liberatus, ter in patrem ac nouercam coniurauit, Barcinonenſium opibus adiutus; ter veniam obtinuit tandem infelix Princeps ſeu febri correptus, ſeu vt ſuſpicio tenuit per nouercam intoxicatus, Barcinonæ moritur. oborta erat & eodem ferè tempore Meſſanæ ſeditio. conſpirauerant quidam ex plebe contra patricios, ſed coniuratione quorundam indicio euulgata, auctores in vincula coniecti & iuſſu Bernardi Richiſenij Proregis, nequidquam tumultuante furioſius plebe, laqueo enecati ſunt, in Colam quendam Tabutanum, quod arma coniuratorum domi celaſſet, crudeli ſupplicio laniatis candenti forcipe membris, animaduerſum eſt. Ioannes interea rex multis coniuratorum bellis fatigatus Ferdinãdum filiũ regẽ inſtituit: cui exacto deinde triennio Elizabetham Ioannis II. Caſtellæ regis filiam collocauit: quæ Henrico & Alphonſo fratribus præmortuis ſuccedens, Hiſpaniam vlteriorem viro in dotem contulit; quam Ferdinandus eius (vt memorauimus) auus, ne iuſtitiam violaret accipere etiam oblatam noluerat. At Ferdinandus, priuſquam Caſtellæ regnum

in

MCCCC LIIX. — ALPHONSVS REX NEAPOLIS EXSVL MORITVR. — IOANNES ARAGONIAE ET SICILIAE REX. — MCDLIIX. — MCDLXXIII.

A in poſſeſsionem ſibi aſſerere poterat, diu bello fatigatus eſt ab Henrico ſororio, qui aut connubium diſſoluere, aut ſororem regno ſpoliare contendebat; ſed tandem ei bello finem Henrici mors attulit. cuius obitu Ferdinandus Caſtellæ rex ſalutatus eſt. Ceterum regina ſibi potiorem in eo regno poteſtatem vindicante, poſt varias altercationes, conuenit, vt paribus auſpicijs regnarent. tamque regis quàm reginæ nomina in edictis, in ſignis militaribus; imagines in numiſmatibus ſignarentur. Viuo adhuc patre in nuptijs Elizabethæ inter fauſtas acclamationes etiam Siciliæ rex Ferdinandus ſalutatus erat, atque Ioannem Cardonam qui ſuis auſpicijs inſulam cum Proregia dignitate adminiſtraret in Siciliam miſerat. Is cum nouas tributorum & vectigalium rationes excogitaſſet; eaſque imperare vellet, obſtiterunt magna conſtantia Meſſanenſes, ceterarum vrbium legatis vel metu, aut per adulationem adſentientibus neque quidquam imperari quum ipſi etiam cõtumelijs affecti intercederẽt, po-
B tuit. Moritur interea Barcinonæ menſe Ianuario, ſenio laboribuſque confectus Ioannes, expleto iam anno ætatis octuageſimo quincto: eique in regno ſuccedit Ferdinandus filius; qui benignè auditis Meſſanenſium legatis, quos illi ad ipſum, vt eum de Cardonæ tyrannide certiorem redderent, miſerant; Cardonam magiſtratu abdicauit, & in eius locum Caſparem ſpem ſuffecit. Interhæc tentatur bello Ferdinandus ab Alfonſo Luſitanorum rege, Caſtellæ ius ſibi vendicante, quod Ioannam quã ducturus erat, Henrici filiam, & ex Blanca ſorore neptem ſuam eſſe falſò perſuaſus eſſet. Inuaſit etiam Nauarræ regni vrbem Fontem Rabiam, Ludouicus Francorum rex, quod iniquè ferret Elizabetham fuiſſe Ferdinando collocatam, neque filij ipſius Caroli vllam rationem habitam. Ceterum Ferdinandus ijs bellis confectis, Hiſpaniam varijs motibus & latrocinijs turbatam compoſuit. Mouit inde in Baticam, eamque Hiſpaniæ vlterioris partem, quæ nunc Granata vocatur, quam Sarraceni Arabeſque per octingentos ferè annos poſſederant: eiectis inde Barbaris decimo demũ
C anno in poteſtatem redegit. in ea expeditione vt multa ſunt fortiter & cum magna gloria a Ferdinando rege geſta, ita non paruam eius victoriæ partem Elizabethæ reginæ ſcriptores attribuunt, inclaruit quoque eo bello Conſaluus Cordubenſis, qui poſtea ob rerum geſtarum gloriam Magni cognomẽto donatus eſt. Malacam litoralem haud procul a freto Herculeo vrbem penultimo ferè loco expugnatam tradũt, vltimo omnium difficillimè ceſsit Granata Barbarorum regia, quæ cõſtructis etiam ne exercitus deduci deberet hibernaculis diu obſeſſa eſt. nec niſi fame expugnari vrbs potuit: qua cum admodum premerẽtur, Ferdinando ſe dediderunt: eique ob eam contra hoſtes Chriſtiani nominis partam victoriam, Catholici cognomentum datum eſt. Inde quum Barcinonæ degeret, a quodã obſcuri nominis Hiſpano magnum periculum adijt, qui ſiue inſania, ſiue malo dæmone impulſus, regem circa cer-
D uicem gladio percuſsit: eoque peremto regnum ſibi pollicebatur. At rex ab eo diſcrimine recreatus, Iudæos, qui Chriſtum, eiuſque doctrinam per baptiſmum profiteri recuſabant, vndique regnis ſuis expulit: & in eos qui in Iudaiſmum Chriſtiana religione eiurata, relapſi erant, per opinionum quæſitores ad id creatos ignominia & cruciatibus ſæuiri iuſsit. Mox quum Turcæ bellum in Apuliam mouiſſent, & Hidruntum expugnaſſent, Ferdinandus Catholicus, Ferdinando patrueli ſuo in auxiliũ ſeptuaginta triremes miſit, quibus Henricum Enriqueſium præfecerat. Interim dũ ea claſsis Neapolin & inde Panormum petit; Turcæ intellecta Mahumedis morte, opidum expactione Alphonſo Ferdinandi filio reddiderant, & ſe ſubduxerant. Proximo inde anno peſtis oborta octodecim hominum milia Meſſanæ conſumſit. Ferdinando Catholico etiam æternam & gratam poſteritatis memoriam peperit, pars incogniti anteà orbis per Chriſtophorum Columbum ipſius auſpicijs illuſtrata, & claſsis orbi terrarum circumuecta. Circa idem ferè tempus moritur Ioannes vnicus

MCDLXXIII.

FERDINANDVS CATHOLICVS CASTELLAE REX.

MCDLXXVII.

ELIZABETH REGINA.

FERDINANDVS II. SICILIAE REX.

MCDLXXX.

IOANNES REX MORITVR.

FERDINANDVS REX GRANATAM PVLSIS SARACENIS RECVPERAT.

MCDXCII.

HIDRVNTVM A TVRCIS CAPTVM.

MCDLXXX.

Ferdinandi filius Salamancæ, ob cuius mortem per omnem Ferdinandi ditionem in A
MCDXCVII. omnes formas luctus itum est. Interhæc Consaluus Magnus cum classe sexaginta triremium Cephalleniam insulam adgressus, eam deuictis Turcis expugnauit: victorque inde reuersus Gallos qui Appuliæ & Calabriæ quasdam adhuc partes occupabãt,
FERDINANDVS CATHOL. NEAPOLITANORVM REX. expulit, & Neapolitanum regnum in potestatem Castellanorum regum redegit. Parta hac victoria, Ferdinandus virili carens prole generum sibi & tot regnorum successorem delegit Philippum Austrium principem florentis ætatis, & virtute commendatum, eidemque filiam suam Ioannam collocauit. ex quibus Carolus Quintus eius nominis Imperator, & eius in imperio successor Ferdinãdus orti sunt: qui maiorum suorum gloriam rebus gestis illustrarunt; & posteritati virtute sua & dignitatum fastigio præluxerunt. nec obmittendum quatuor filias, easque omnes reginas ex eisdem parentibus prognatas. Helionorã quæ Emanueli Portugalliæ, & inde Francisco Frãciæ regi collocata est; Mariam quæ Ludouico Hungariæ regi; Elizabetham quæ Da- B
ELIZABETHA CASTELLAE REGINA MORITVR. niæ regi Christierno & Catarinam quæ Ioanni Emanuelis filio nupsit. Interea dum Philippus cum Ioanna vxore principatus sui prouincias in Germania inferiore & Belgica obiret, Elizabetha eius socrus Methymnæ e viuis excedens, testamento regnorum omnium curam Ferdinando marito suo commendauit. Ferdinandus peractis Elizabethæ iussis, conuentu procerum indicto, eos in verba Ioannæ filiæ iurare cõpulit. Post biennium inde ab Elizabethæ morte, Philippus, ex Belgica in Hispaniã appulit & consensu soceri, procerumque suffragijs vnà cum vxore in regna Legionis, Castellæ, Granatæ inauguratur, & Carolus eius filius sextum tum agens annum Castellæ princeps est designatus. Ferdinandus Hispaniæ rebus Philippo commissis, in
PHILIPPVS AVSTRIVS HISPANIARVM REX. Italiam cum altera quam duxerat vxore, ad componendas Neapolitanorũ & Siculorum res profectus est. Tam læta omnium rerum auspicia post quartum ferè men-
MDVI. sem triste sidus, cometam vocant, turbauit. præludebat illud mense Augusto orientem C
MDVII. solem, subsequebatur occidentem, & circa arcticum circulum conuertebatur. subsequuta mors Philippi regis portento tam atroci pranunciata creditur. excesit ille quum quartum regnaret mensem Burgis IV. Kal. Octobris, ætatis suæ anno XXIIX.
PHILIPPVS HISPANIARVM REX MORITVR. Ioanna regis morte consternata regni curam Francisco Ximenio Hispaniæ Cardinali commisit; patremque Ferdinandum qui in ordinandis Neapolitani regni prouincijs occupatus erat; per litteras vt in Hispaniam morte Philippi regis perturbatam, & ab imperij maiestate destitutam rediret rogauit. Is sexto demum quam ex Hispania abierat mense, nondum compositis Italiæ rebus, quum Ioãnem Nucham Siciliæ proregem magistratu mouisset, eiq; Ramundum Cardonium suffecisset; Neapoli discedẽs, Consaluum Magnum qui virtute & magnitudine sua, regibus formidini erat; se-
MDVII. cum in Hispaniam, affectati regni suspicione, aut certè Purpuratorum inuidia perculsus, deduxit. Inter nauigandum Sauonæ Ludouicum Frãciæ regem multa cum comi- D
MDIX. tate & mutuæ beneuolentiæ signis per triduum conuenit: Posthæc in Hispaniam reuersus, eam per sexennium post generi sui mortem administrauit; missoque in Africã Petro Nauarro, per eum Oranum Mauretaniæ vrbem, mox & Bugiam Numidiæ opidum expugnat; & Africæ litora infestat. Eodem ferè tempore & Messana per mensem vnum grauissimis terræ motibus (vsque adeo vt maxima pars ciuium in tabernaculis extra vrbem, ruinam veriti degerent) concussa est: & Cardonio Proregi
MDX. successor cum proregia potestate Hugo Montecatinus datus. Interea Nauarrus Catholici regis imperator Tripolin deiectis inde Mauris primo impetu capit, vrbéque diripit. tam prosperum victoriæ cursum, clades imperatorum ambitione in Lo-
AN. CHR. MDXI. TRIPOLIS MAVRITANIAE VRBS CAPTA. tophagitæ (nunc Gerborum vocant) insula a nostris accepta interrupit. AEquali potestate imperatores a rege Catholico vt Gerborum insulam deiectis inde Mauris liberarent, Garzia Toletanus Albani ducis frater; & Petrus Nauarrus creati erant, hic

quum

A quum ob rerum geſtarum gloriam, nihil Garziæ nobilitati aut generi cedere vellet; alter imperare, alter obedire nollet; diſcordibus conſilijs ſemet impediebant, mox etiam Garzias cum hoſte irruente congreſſus, & ab Nauarro deſertus, trucidatur, & copiæ, quæ ſiti & æſtu ſolis torrebantur, Maurorum vndique inſultantium impetu deletæ ſunt. Nauarrus ob rem ſuo vitio malè geſtam omni imperio a rege exſutus, ad Gallorum regem defecit. Ceterum quum milites qui cum Nauarro Maurorum manus euaſerant apud Panormum expoſiti eſſent, ijque, fame, egeſtate, & ſtipendiorum inopia fracti ad rapinas dilaberentur, ciuium in ſe arma concitarunt: & ex ijs primo impetu ad ducenti cæſi ſunt, latiuſque ſæuitum fuiſſet, niſi Hugonis Proregis auctoritas plebis impetū ſedaſſet. Sicilia inde varijs in locis tū ob adulteratæ monetæ fraudem, tum ob vectigalia in cibum imperata, tum ob partium ſtudia ad res nouas ſpectabat; ceterum Proregis diligentia & procerum fauore is mo- MDXVI.

B tus antequàm vlterius ſerperet ſopitus potius quàm oppreſſus eſt. Cum namque nunciatum eſſet Carolum Auſtrium Ferdinandi Catholici morte in Siciliæ regnum hereditate ſucceſsiſſe, Siculorum nouæ ſeditiones eruperunt; initiumque turbarū inde ortum eſt; quod rege nouo, Hugo Montecatinus eius auſpicijs pro regia poteſtatē, niſi noua auctoritate regis Prorex declaratus, adminiſtare aut gerere non poſſet. Exceſſerat e viuis Ferdinādus Catholicus Madrigaleij in agro Guadalupiano, vitæ LXV. regnorū XLII. anno, VIII. Kal. Februarij. quod poſtea quā Panormi (vt memorauimus) nunciatum eſt, Panormitani grauiſsimam aduerſus Hugonem vt ſeſe de eius libidine, auaritia, atque crudelitate vlciſcerentur, eum poteſtate deijcerent, ſeditionem mouerunt. Hugo autem etiamſi ipſi ex S. C. Panormi proregia poteſtas prorogata erat, tamen ſibi ſuiſque rebus metuens, vt plebem molliret vectigalia remittit; nexos ob fiſcum ſoluit. ſed ea metu expreſſa beneficentia plebem non ſolū nō mi- CAROLVS AVSTRIVS VTRIVSQ. SICILIAE REX.

C tigauit, verumetiam infenſiorem illi reddidit: eōque furoris prolapſa eſt, vt Hugonē veluti reipublicæ grauem per vim Panormo expellerent; quem Mamertini benignè exceperunt, & proregia poteſtate ipſi per ſenatus decretum prorogata omni honore & officiorum genere proſequuti ſunt. Reliquæ verò Siciliæ vrbes, Panormitanorum facinus ſequutæ, ab eodem defecerunt. Interea & apud Meſſanenſes tumultuatum eſt, & plebeij a Patricijs honorum communicationem extorſerūt, ita vt quatuor Patricijs magiſtratibus duo pari poteſtate e plebeis adlegerētur. Carolus dum in Sicilia eius regni auſpicia ad eum quem diximus modum turbabātur, in Belgica erat, atque vt a Prorege de earum rerum ſtatu certior factus eſt; Didacum Aquilam vt de ſeditione inquireret, in Siciliam legatum miſit. qui Procerum cōſilium ſequutus, Hugonem ceteróſque qui tumultuum auctores habebantur ad regem ſuum proficiſci, & ad eius tribunal de ipſorum cōtrouerſia & turbarum cauſſa referre iuſsit. Carolus FERDINANDI REGIS CATHOLICI MORS. MDXVI.

D quum de Hugonis & legatorum cōtentione cognouiſſet, Hectorē Pignatellum in Siciliam miſit, vt motus inſulæ ex ſuo decreto componeret. Is Panormi benignè exceptus, procerum nonnullos Neapolin ſpecie honoris (hoc enim in arcanis aulæ mādatis habebat) ablegat: ſuſpicionem ea res vulgò mouit, quaſi illi ad ſupplicium Raimundo Cardonio proregi, nō autem ad iudicium trāſmiſsi eſſent, qua occaſione ſeditioſi nouas iterum res moliri cœperunt; vſqueadeò vt ne eos quidem a furore reuocaret, quod venia & obliuio præteritorum per præconem promitteretur; mouebat enim quod in ea lege XX, diſsimulato nomine exciperentur, in quos à Senatu iudicatos animaduerteretur. quum itaque ſinguli, qui factionum principes fuerant, ſuo capiti metuerent, Luca Squarcialupio duce magiſtratum Senatúmque Panormitanum ad cædem depoſcunt, & Curia effracta e latebris extractum trucidant, curiámque & obuia quæque diripiunt. tam funeſtum per alias inſulæ vrbes exemplum eodem ferè tempore perpetratum eſt. Pignatellus ad Mamertinos eo ſcelere non cōtactos fuga

elapſus eſt. Guilielmus Vigintimilius Panormi præfectus, quum ſimulato pauore & fauore coniuratis ſecuritatem præbuiſſet, eos incautos cum Squarcialupo cade præoccupat, & per compita viarum præſidia, vt plebis conciliabula conuentuſque diſtineret, oppoſuit: tormenta bellica quibus populi audacia creſcebat, in arcem conuehi iuſſit; atque eo facinore ſeditionem, quæ per triennium & menſes ſex Siciliam varijs cladibus & inteſtinis malis turbauerat oppreſſit. Ceterum quum Carolus maiores ex Pignatelli litteris in Sicilia motus metueret, V. M. peditum, mille equites eidem in ſubſidium miſit, quibus ſtipatus, proſcriptione, æditi demolitione, laqueo, gladio, noxios, aut profugos ſeueriſsimè puniuit: Carolus compoſitis Siciliæ rebus, eos qui capita cõiurationis oppreſſerant premijs affecit, Pignatellum proregia poteſtate donauit. Hugonem claſsis ſuæ præfectum conſtituit, qui quum Algerium Mauritaniæ Cæſarienſis opidum obſideret, fœdiſsima ex Septemtrione tempeſtas ſub finem MDXIX. Auguſti oborta, claſſem eius afflixit, & viginti naues aut lacerauit aut depreſsit, quinque militum millia varijs caſibus perierunt. Hinc quum ille curſum in Ebuſum Hiſpaniæ inſulam flexiſſet, atque ibidem per aliquot dies ſupplemento copiarum & inſtrumento nautico claſſem inſtauraſſet, Drepanum petiturus, a nouem Piratarum (Saraceni erant) triremibus inuaditur, atque e piratarum manibus, difficili admodũ pugna, ſagitta in ore percuſſus ſclopeto in humero cõfixus, elapſus eſt. Saraceni piratæ in Calabriam traiecerunt Rhegiumque magno cum impetu occuparũt, & turbam puerorum femininique promiſcui ſexus ab arcis præſidio, ne ſimul admitteretur hoſtis excluſam, ad ſeruitutem rapuerunt. At Hugo claſsis regiæ præfectus Lilybæo ſolueus Lotophagiten inſulam perijt, eámque magna vi expugnatam regi Hiſpaniarum vectigalem fecit. Ab ea victoria reuerſus, proregia poteſtate in regno Neapolitano donatus eſt. Interea Carolus Hiſpaniarum rex Maximiliano Imperatori Septemvirorum ſuffragijs nõ ijs quidem obnoxijs, ſed liberis, & a principe Senatus Saxoniæ Duce in ſuum locum ſurrogatus, ſucceſsit. cenſuerat ille e republica futurum, ſi Carolum principem magnæ indolis, florẽtis ætatis, & potentia maximum, Auſtriæq; genti, ex qua tot iam reipublicæ ſalutares Auguſtos creauerant connexum, Cæſarem renunciarent. Septemviri, ſequuti eius auctoritatem Carolum in Hiſpania abſentẽ CAROLVS V. IMPERATOR CAESAR AVGVSTVS. Cæſarem Auguſtum decernunt. Referebatur inter proſpera eius diei omina, quod pridie Natalis ſui Carolus, & eodem ætatis ſuæ anno, quo Auguſtus Conſulatum acceperat, Cæſar ſalutatus eſſet; nec auſpicijs id improſperis præſenſerunt, vterque enim pridie quàm viceſimum expleret annum, ſummos in republica honores ſuſcepit, & res maximas, pace bellóque geſsit. MDXIX. Ceterum Caroli Quincti vitam & res geſtas victoriarumque tropæa per habitati orbis partes erecta tantique principis virtutes tam arcto compendio nõ adſtringemus, ſed ea tantum quæ ad Siciliam & Neapolin, vt locus poſtulat, pertinẽt, ſummaria enumeratione complexuri ſumus, cui nõ numquã vt obuia erunt veluti per Chronologiam præcipua quæque a Carolo Cæſare, aut auſpicijs ipſius fortiter & feliciter geſta, interſeremus. Siciliæ rebus per Pignatellum Proregem (vt memorauimus) compoſitis, Fridericus, Vincẽtius & Caſar fratres, cognometo Imperatorij (Imperatoria familia inter nobiliſsimas Panormitanorum recenſebatur) Romæ tum exſulãtes, Siciliam in Franciſci Gallorum regis poteſtatem redigere conati ſunt; adiuti in eo opera Antonij Columnæ, qui Franciſci auſpicijs bellum in Inſubria gerebat. pertraxerunt quoque in partes ſuas, Fridericum Patellium Cameratæ comitem, ob ademtam ſibi Motucã Cæſari infenſum. Ceterum cõiuratione quorundam indicio detecta. Imperatorij fratres, Cameratæque comes Fridericus & aliquot alij eodem ſcelere cõtacti, varijs ſupplicijs temeritatis & perfidiæ ſuæ pœnas luerũt. Sub id tempus reſpublica Chriſtiana grauiſsimum à Solymãno Turcarum principe detrimentum accepit, quum ſuperiore anno Albam Regalem Hungariæ

A Hungariæ vrbem cepiſſet, eamque prouinciam longè latéque vaſtaſſet; nunc autem Rhodum, poſtquam terra mariq́ue eam ſextum menſem oppugnauerat, in poteſtatē redegiſſet. Magnus Rhodiorum Equitum magiſter, qui belli diuturnitatem & omnes obſidionis difficultates magna conſtantia pertulerat, deſperatis ad extremum rebus, ſalutem ſibi ſuiſque pactus vrbem Turcis dediderat; ecquid enim aliud ſpei ſupererat quum ſe ob Principum Chriſtianorum diſcordiam, factiones, & inteſtina bella deſertum videret? Is Meſſanā pridie Kal. Maias publicā mæſtitiā pullatis & velis & ſignis teſſatus, cum triremibus quatuor appulit, comitérque a ciuibus, & benignè habitus eſt. Laborabant ea ferè tempeſtate Meſſanenſes graui & exitioſo peſtilitatis morbo, cuius ſæuitia multa hominum millia Meſſanæ alijſque in vrbibus conſumta ſunt. Eodem ferè tempore Franciſcus Galliarum rex, cum ingentibus Gallorum Heluetiorúmque copijs, Pœninis, Cottijſque Alpibus ſuperatis, in Taurinos B deſcendit & deinde Mediolano Inſubrum metropoli capta, Papiam, (in quam ſe Antonius Leua dux Cæſarianus cum pedite Germanico receperat) nequidquam diſſuadentibus multis belli peritis ducibus vallo foſſāque cinctam circumſedit. Interhæc Borbonius alijque Cæſariani duces, qui iam ad octo millia Germanorum peditum cō traxerant, in regem copias duxerunt; inque eius etiam muro munita caſtra irruperūt; & Gallorum aciem, quæ intra vallum inſtructa ſtabat, in fugam auerterunt; rex ipſe prolabente equo proſtratus, ſe in Caroli Lanoij Proregis Neapolitani poteſtatem de didit. octo millia Gallorum militum & octo proceres cecidiſſe; prætérque regem Franciæ etiam regem Nauarræ in Cæſarianorum poteſtatem veniſſe; Momerancíūque & omnem ferè Gallicam, quæ prœlio interfuerat nobilitatem, captam proditur. Cæſarianorum e gregarijs ſeptingenti; nullus qui cum imperio eſſet, deſiderati ſunt. tantulo impendio Cæſari ingens victoria ſtetit, qua Papiæ obſidionem ſoluit, Medi- C olanum e Gallorum poteſtate eripuit; Italiæ ſeruitutis formidinem incuſsit. commendatur in eo prœlio Marchionis Guaſtij virtus & animi præſentia; Marchionis Piſcariæ in re militari ſumma peritia; ducis Borbonij conſtans etiam in extremo diſcrimine fides, Lanoij Proregis erga milites & benignitas & beneficentia. nec fraudandus laude ſua Antonius Leua, qui ſumma virtute Gallorum inſultus, intra Papiæ mœnia obſeſſus repreſsit; Papiámque & præſidiarium militem incolumem vſque in Cæſarianorum aduentum præſtitit. Parta victoria, Cæſariani duces Franciæ regem, cum ſexdecim triremium claſſe miſerunt. ei Cæſar omnem honorem a ſuis deferri paſſus eſt; ceterum in colloquium nō admiſit. ob quā rē commotus rex in grauem ægritudinem incidit, & ſiniturus morte miſerias ſuas credebatur: ni Cæſar perhumaniter eum cōſolatus, ſpem ei maturæ libertatis feciſſet. Nec multò poſt Cæſaris ſorore Elionora, Emanuelis Portugalliæ regis vidua, in cōiugem ducta, obſidibuſque quoad pacta D præſtarentur datis filijs in libertatem reſtitutus eſt. Cæſar poſteaquam regem liberum dimiſerat, vxorem duxit Iſabellam Ioannis Luſitaniæ regis ſororem, nuptiæ magno cum apparatu Hiſpali menſe Martio celebratæ ſunt. Poſthæc quum Pontifex cum Cæſaris hoſtibus permotus (vt quidam ſcriptis ſuis prodiderunt) Cæſarianorum ducum, qui Franciſcum Sfortiam Mediolani regulum, iniuſto bello petebant, licentia fœdus inijſſet: in hunc Cæſariani duces vt eum ab reliquorum fœdere diuellerent, arma verterunt: Imparatumque Pontificem adgreſsi, vrbem Romam ex improuiſo occupant, palatium diripiunt. Pontifex in eo rerum tumultu in arcem effugit, nec dubium erat, quin ſi perſtitiſſent in arcis obſidione Cæſariani, Pontifex in eorum poteſtatem ob commeatus inopia deuenturus fuerit: ni Hugo Cæſariani exercitus Imperator, verecundia eius maieſtatis motus, pace cum eo inita, exercitum abduxiſſet. Ceterum quum Pontifex pacem, vtpote quàm metu impulſus inierat, abrupiſſet; cōfœderati eius auſpicijs in Campaniā & Neapolitanum regnum cum exercitu profecti, aliquot

MDXXII.

FRANCISCVS GALLORVM REX CAPTVS MDXXV.

MDXXVI.

aliquot vrbes per deditionem, Salernum per vim capiunt. Verum tam læta rerum A
initia turbauit quod ſocij ex pacto neque ſupplementa claſsi, neque ſtipendium, aut
commeatum ex formula ſocietatis militi ſubmitterent. & quòd Pontifex quem & bel-
li tædium, & ſociorum infida & inconſtans deliberatio frangebat; cum Cæſarianis
neglecta aliorum ſocietate octo menſium indutias perſolutis in ſtipendiarios Cæſaris
LX. M. Ducatorum ea conditione pacẽ fecerit, vt vtrinque bello capta deductis præ-
ſidijs reſtituerentur. Vrgebat Pontificem ad pacem faciendam, præter ſumtuũ qui-
bus ſe oppreſſum queritabatur magnitudinem, imminens a Borbonio duce metus,
quem citatum agmen in Etruriam rapere, & nulla rerum difficultate deterritum, vr-
bem verſus mouere nunciabatur. Euocato itaque Prorege, eóque audito & in vr-
bem recepto, iam a pauore ſecurus, ſtipendiarios ſuos inconſultiſsimè exauctoratos,
miſsione donat. Borbonius ea occaſione vſurus, nihil intermiſſo itinere vt & vr-
bem & Pontificem ab omni re inparatum & præſidijs nudatũ præoccuparet, quin- B
cto Nonas Maij caſtra in agro Romano ponit, proxima inde aurora certus aut mori
aut vincere eò enim furoris extrema neceſsitas temerarium impulerat nebula tectus
exercitũ ad Leoninam vrbem (pars ea vrbis eſt) duobus ex locis ſubire iubet; ipſe
vt ſuis alacritatem acueret, ante principia emicat, murumque conſcenſurus glande
plumbea inguen traiectus, occumbit. Eius morte nihil oppugnatio intermiſſa eſſet
MDXXVII. (inſtabat enim & vrgebat Philibertus Orengiæ princeps caſtrorum præfectus) vrbs
magna vi militũ expugnata, & omni rapinarum & calamitatis genere deformata eſt
Pontifex vt captam vrbẽ vidit, cum tredecim purpuratis in arcem Angelicam ſeſe re-
cepit, & ab omni ſpe & auxilio deſtitutus pacem iniquiſsimis cõditionibus accipere
coactus eſt. Dehinc quum Lotrechus Gallici exercitus Imperator, multas in In-
ſubrum agro vrbes (inter quas præcipuæ Papia & Alexandria erant) de Cæſarianis ce-
piſſet; Pontifex nullis promiſsis permoueri potuit, vt ad ſocietatem Gallicam rediret. C
Ceterum Lotrechus fortunam ſuam proſequutus, in Campaniam Neapolin petitu-
rus mouit (peditum ad octoginta, equitum vigintimilia habebat) hoc exercitu quum
MDXXIIX. oẽs in itinere vrbes vel vi aut deditione pridie cepiſſet, Kal. Maij caſtra in agro Neapo
litano ponit, vrbemque obſidet. tenebatur Neapolis decem milliũ veteranorum par-
tim e Germanis, partim ex Hiſpanis ſelectiſsimorum præſidio, præfecti erant Hugo
Moncatinus qui in proregiam poteſtatem, mortuo Caietæ paucis ante diebus Lano-
io ſucceſſerat: Princeps Orangiæ exercitus Cæſarei Imperator; Marchio Guaſti Al-
phonſus Danalus; alijque nobiliſsimi ordinum ductores. Poſitis caſtris Lotrechus
ſuos ad concilium cõuocat; certatur ſententijs, an Neapolis vi & oppugnatione, an ob
ſidione capienda eſſet? placuit eam ſedendo in poteſtatem redigendam. deterrebat
Lotrechum ab oppugnatione veteranorum Cæſaris, quam toties experti eſſent vir-
tus; & imperatorum in re militari peritia; adhæc verebatur, ſi quam vim intentaret, ne D
ancipiti malo circumueniretur; imminebat namque Gallorum ceruicibus, ſi a fronte
obſeſſos vrgerent, Cæſarianorum à tergo præſidium, quod montem S. Martini inſide-
bat. ſin obſidione vrbem premeret, facilè ceſſuram ob rerum inopiam, intercluſo per
Philippum Doriam maris commercio, iebatur. Sed iſtud cõſilium quod cõſtantiſ-
ſimè Lotrechus complectebatur, exitio Gallis fuit. Ceterum quum Doria cum a-
liquot triremibus ad Salernitanum ſinum in anchoris ſtare nunciaretur; Prorex eius
opprimẽdi impetum capit; triremes ſex, mille ſclopetarijs ex Hiſpanorum legione ſe-
lectiſsimis inſtruit, ipſe cum præcipuis ordinum ductoribus Prætoriam conſcendit.
Doria per exploratorem de hoſtium apparatu certior factus, & ipſe in eorũ occur-
ſum properat magnoque impetu in aduerſarios inuectus, eorum triremes expugnat;
Prætoriam ipſo in pugna cæſo Proregis capit; triremis qua Marchio Vaſti cum Aſca-
nio Columna vehebatur, deterſis remis, & ab inſtrumento nautico mutila, quum &

ignem

A ignem concepiſſet, & ſocij nauales aut cæſi aut vulneribus confecti eſſent, ſeſe Doriæ dedidit. magna clades eo die ex temeritate Proregis accepta eſt; & res Neapolitana in magnum diſcrimen præcipitata; quum claſſe exſuti a maris commercio interclu-ſi eſſent, quare vt annonæ conſulerent, vrbem ab inutili turba exonerarunt. & iam ſpes Lotrechio creuerat, quia & litteræ interceptæ erant quæ Cæſaris auxilium in extrema rerum inopia petebant; & peſtilitatem in vrbe obſeſſa graſſari nunciabant. nec mino-re omnium rerum difficultate in caſtris Gallorum laborabatur, & euulgato per exer-citum morbo militum numerus & morte & fame diminuebatur. Sed his tam aduer-ſis rebus, Lotrechij pertinacia expugnari non potuit, qui neque nouos in ſupplemen-tum milites conſcribebat, neque eorum conſilijs qui meliora ſuadebant acquieſcebat: quare operæprecium eſt ex hoc euentu obſeruare, quanta cum pernicie multorum pec cent ij qui ſuo conſilio contenti, arrogantia quadam vt primas tenent, ita & conſi-B liorum ſuorum prærogatiuas vrgeant. Lotrechius enim & ſi imperator longa rerum experientia confirmatus, maximáque apud ſuos in auctoritate eſſet; animo tamen e-latiore & imperioſo quàm ducem deceret erat; quæ res & ipſi & cunctis exitio fuit. Dũ hæc apud Neapolim geruntur, Veneti diuerſa parte Apuliã, ſecundum Hadriatici maris litora; captis aliquot vrbibus infeſtabant. Andreas Doria claſſẽ Genuæ ſubdux-erat ibidémque duces a Philippo (vt memorauimus) captos benigné exceperat; ipſéq; aut Marchionis Vaſti conſilio perſuaſus, aut animi dolore, quia ſe a Galliarum rege negligentiùs haberi angebatur, ad partes Cæſaris tranſijt. Neapoli omnium rerum inopia creſcebat, vſqueadeò vt toto menſe Iulio nihil frumenti ſubuectum, nullus pa-nis vſus eſſet, ſed in Gallorum caſtris peſtilitas iam latiſsimé ſæuiebat, & Lotrechius morbo oppreſſus, nulla imperatoris munia obire poterat, adhæc miles præ ſtipendio-rum inopia dilabebatur, obſeſsi cum equitatu erumpentes hoſtium commeatum in-C tercipiebant, & eò inopiæ Gallos redegerant, vt non minores ipſi difficultates, quàm obſeſsi experirentur. Interea Lotrechius ex morbo hominem exuit; atque quum nemo iam in Gallorum caſtris cum imperio eſſet, quin morbo oppreſſus decumbe-ret, placuit obſidionem noctu ſoluere & auerſam petere. Sed Cæſariani de hoſtium fuga per exploratores edocti erant, itaque itinere præoccupato Gallos fundunt pro-fligántque; Petrum Nauarrum & aliquot militum Tribunos capiunt. Marchio Sa-lutiarum diuerſo itinere cum magna copiarum parte Auerſam interea incolumis per-uenerat, quem Cæſariani eodem impetu ſequuti ad deditionem cogunt, militéſque exutos armis, dimittunt. Ita Neapolitano regno a Gallorum armis liberato; Genua quoque paullò poſt Andreæ Doriæ, ciuis ſui virtute, Gallorum imperio erepta, in li-bertatem vendicat, & in Cæſaris cliẽtelam ſeſe tradit. Interhæc ipſe Cæſar in Italiã MDXXIX.
venit, pacéque cum Pontifice, Galliarum rege & Venetis facta, & Franciſco Sfortia
D in Mediolanenſem principatum reſtituto, Bononiæ a Pontifice Clemente VII. coro-natur. inde Florentiam in Pontificis poteſtatem redigit, & rebus Italiæ compoſitis in Germaniam profectus, Auguſtæ Septem-virorum comitijs Ferdinandum fratrem ſuum, in regem Romanum cooptat. Mox Turcarum imperatorem qui ſuperiori anno à Vienna quam expugnare tentauerat depulſus, Pannoniam vaſtauerat, cũ mag-nis copijs in Auſtriam reuerſum, contractis in vnum totius Germaniæ viribus, milité-que veterano ex Italia & Hiſpania accito deterritum eo apparatu, redire ad ſuos in-glorium coëgit. Inde in Italiam profectus, Bononiæ iterum cum Pontifice colloqui-um habuit, deductis militaribus præſidijs, Italiæ vrbes multis belli incommodis adfli-ctas recreauit. Interim Andreas Doria Coronen & Patras Peloponeſiacas vrbes expugnatione capit, Turcarum claſsis prafecto Himerale, quia viribus impar erat, naualis prœlij aleam ſubterfugiẽte. Inter prodigia relatum eſt, quòd per triẽnium ci-tra Tropicum Cãcri ter crinita ſidera apparuerint, quorum primum menſe Iunio, al-

FERDINAN-DVS ROMA-NORVM REX. MDXXX.

terum Iulio, tertium deinde Auguſto mane Soli exorienti prælucebat, occidentẽ ſe- A
quebatur. Ariadenus Ahenobarbus claſsis Turcicæ præfectus, qui in Himeralis lo-
cum ſuffectus erat, per fretum Mamertinum vectus Italiæ maritimas oras infeſtauit,
CAROLI V. CAESARIS IN AFRICAM EXPEDITIO. Tempſã Bruttiorum (quod nunc Sancti Lucidij opidum vocatur) Fundos, Formias
& alia aliquot opida diripuit, agriſque ferro, igneque vaſtatis; flexo in Africam curſu
MDXXXV. Gulettam arcem & Tunetum Muleaſſe rege, qui ob crudelitatem & ſuperbiam ciuiũ
ſuorum odio laborabat, eiecto, per deditionem cepit. Motus tam proſperis Ariade-
GVLETA CAPTA. ni rebus Cæſar, vt potentiſsimum hoſtem antequam inualeſceret, a Siciliæ & Italiæ
TVNETVM CAPTVM. ceruicibus depelleret, magno apparatu claſſem quingentarum nauium inſtruit, & in
Africam nauigat, expugnataque magna vi Guletta, hoſtibus acie profligatis, & Ahe-
nobarbo fugato Tunetum XII. Kal. Auguſti capit. Muleaſſe deinde datis ipſi legi-
bus in regnum reſtituto, Gulettam, vt Chriſtianorum propugnaculum eſſet, præſidio
muniuit. Capta ſunt & Cæſaris auſpicijs Vtica, Hippo, Siphax, & alia aliquot A- B
fricæ opida. Cæſar poſt deuictum hoſtem, conſcenſa claſſe in Siciliam nauigat, &
Drepani deſcẽſione facta, terreſtri itinere Panormum profectus magno apparatu ex-
cipitur, triceſimo inde die per Siciliæ mediterranea digreſſus, Meſſanam VIII. Kal.
Nouembris venit, ibique quum Ferdinandum Gonzagam Siciliæ Proregem creaſſet,
freto traiecto per Bruttios Neapolin petijt, & triumphali põpa in vrbem inuectus, in-
MDXXXVII. de Romam profectus eſt. Proximus inde annus AEtnæ montis incendio Siciliæ ca-
lamitoſus fuit. Meſſanæ quoque pomerium eodem anno auctum & vrbs mœnibus
nouis & propugnaculis munita. Panormitani imperato in vinum & panem tribu-
to mœnia vrbis inſtaurarunt, & munimentis inſtruxerunt. Andreas Doria cum cen-
tum quadraginta triremium claſſe contra Ahenobarbum nauigans ad Ambracium ſi-
num hoſtẽ aſſequutus, infeliciter pugnans grauem cladem pertulit, fugaque in Cor-
NEAPOLIS MOTVS. cyram delatus eſt. In litore Neapolitani ſinus, inter Baias & Puteolos magno cum C
impetu ac fragore ſulphureus ignis erumpens, ſaxa, pumices, ac puluerem eructauit;
agroſque incendio populatus, teras in ſiluis & in mari piſces flammis conſumſit, &
iuxta Baias montem ex eructatis molibus congeſsit. Puteolani cinere torridi vrbe
ob metum incendij deſerta Neapolin confluxerunt. Balnea olim celebrata & lan-
MDXXXIX. guentibus ſalubria, tum cineribns obruta euanuerunt. Sequenti deinde anno cũm
ſub Leone ſidere cometes menſe Maio appareret, & menſe Aprili Sol totus in Sicilia
defeciſſe videretur, creditũ eſt ea prodigia Imperatricis mortẽ quæ paullò poſt ſequuta
eſt præſignificaſſe. Dehinc quũ Cæſar alieniſsimo anni tẽpore mẽſe Octobri, quo ma-
ria ob tempeſtuoſa Vergiliarum ſidera clauduntur, claſſe Algerium petiſſet, expoſitoq;
in terram milite vrbem obſideret, fœdiſsima tempeſtas ex Septemtrione ea nocte ob-
orta, Cæſaris claſſem grauiſsima clade centum ferè & triginta triremibus depreſsis,
ceteris concuſsis afflixit. Claſsiarij, militeſque qui in Africæ litora vi tempeſtatis D
impulſi erant, ab Afris, Turciſque trucidati ſunt. acerbiſsimũ fuit quod onerarijs quæ
commeatum vehebant, corruptis aut eliſis famem & inediam metuebant. noctem tam
fœdè exactam non mitior dies excepit, qui nimbo & denſiſsima pluuia ſæuiens, neque
manendi ſub dio locum, neque quietis ſpacium dabat: & iam ad extremum inopiæ vẽ-
tum erat, ita vt miles equorum & iumentorum carne paſceretur. Cæſar in tam ad-
uerſis rebus animo obfirmato, vultuque ſereno ſuos conſolatione & ſubſidijs quibus
poterat erigebat & confirmabat. Auctores habeo qui decem militum millia ea cla-
de conſumta ſcribant. Cæſar recollecto milite, qui ex clade ſuperfuerat, in Belgicam,
quam Guilielmus Gelriæ, Cliuiæque regulus, auſpicijs Franciſci regis inquietam ha-
buerat, profectus eſt; Guilielmumq; aliquot eius ditionis vrbibus captis, cedere Gel-
riæ principatu, & pacem petere coëgit. Sub idem ferè tempus maxima Siciliæ pars
grauiſsimo terræ motu concuſſa eſt, & Ariadenus Ahenobarbus Turcicæ claſsis præ-
fectus,

A fectus, Ariadenus Ahenobarbus cũ claſſe cẽtũ quinquaginta triremiũ, ad ferẽdas Frãciæ regi ſuppetias (nam fœdus tum inter Turcã & Francorũ regẽ initum erat) venit: ſuperatóq; Meſſanæ freto, Rhegium ciuium metu deſertum diripit & incendit. & deinde arce quoq; per deditionem potitus, verſus Maſiliã curſum flectit, & in itinere Nicaã Maſsilienſium olim coloniam. excepta arce, occupat & depopulatur. Inde de regis Frãciæ iniqua ſocietate cõqueſtus, verſus ortum vela faciens Neapolitanã oram Iſchiã q; inſulam direptionibus vexat: Liparam vrbem fortiter à ciuibus propugnatam, decimo die cum Liparẽſium grauiſsima clade expugnat. Capta ſunt decem hominum millia. Lipara direpta eſt & flammis conſumta. Culpam tantæ cladis Petrus Toletanus Prorex Neapolitanus ſuſtinet, quòd nõ ſatis maturè Liparenſibus præſidium miſiſſet. Cæſar Liparam paullò poſt inſtaurare iuſsit nouóſque eòdem ex Hiſpanis colonos deduci. Ahenobarbus direpta Lipara, in Siciliam vela facit, Mylaſque &
B Pactas varijs cladibus afflixit. Poſthæc Meſſanæ ex Turcicæ claſsis, quæ circa fretum in ancoris ſtabat, metu tumultuatum eſt, & vrbs præſidio, propugnaculis & cõmeatu firmata. ceterum quũ Senes Turcicæ claſsis præfectus obſeruaſſet tantũ ad obſidionẽ ferendam apparatum, & præſidij ad propugnationem ferendam promtitudinem, ſubductis velis per fretum Mamertinum ſuperato Leucopetra promontorio curſum in Cephalleniam flexit. Meſſanæ adhuc patrum plebiſque diſcordia vigebat; ſed publicus metus eam contentionem remiſit, conuenitque ea condicione inter eos vt publica decreta & acta nullam vim legis haberẽt, niſi a Seuiratu Iuratorum ſignarentur. Succeſsit deinde Gonzagæ in proregia dignitate, Ioannes Vega, qui Cæſaris nomine apud Pontificem Maximum legatione fungebatur. Neapolitani contra Petri Toletani Proregis imperium grauiſsimos motus excitarunt, quod opinionum Quæſitoris magiſtratum (inquiſitionis vulgò vocant) inducere in regnum inuitis proceribus
C tentaſſet: eáque ſeditio non ſine grauiſsima vrbis Neapolitanæ calamitate, tandem finem habuit. Sub idem ferè tempus Cæſar Maximilianũ Ferdinandi fratris primogenitum, data ei in matrimonium Maria filia generum delegit, eundémque Hiſpaniæ regnis proregia dignitate præfecit, vt abſente Philippo (eum enim ad ſe in Belgium euocabat) nihil ibi nouaretur. euocauerat autem eo conſilio filium Cæſar vt ſe viuo MD XLVIII.
& præſente Belgicæ prouincijs inauguraretur: Principiáque ſuo ciues, procereſque fidem ipſius auſpicijs darent & acciperent. eum namque prudentiſsimus imperator earum prouinciarum, in quibus editus & educatus erat genium eſſe facilè obſeruabat: vt principis ſui præſentis maieſtatem colerent & reuererentur. abſentis tædio marceſcerent. Meſſanenſes ne & ipſi in publica omnium aggratulatione inofficioſi haberentur, principi felicem & auſpicatum in Italia aduentum Mediolani XIII. M. Ducatorum munere boni proſperique ominis gratia congratulati ſunt. Latè interea lon- ADVENTVS PHILIPPI PRINCIPIS IN ITALIAM.
D géque circum omnia Italiæ litora, quæ in mediterraneum ſiue Tyrrhenum mare imminent, Dragutus prædatoriam claſſem raptabat: ipſámque adeò Genuenſium oram multis cladibus vexarat: inde in Africam vela faciens Monaſterium (ita enim nonnulli vrbem quam Sarracenico vocabulo Mahdian vocant antiquitùs nominatam prodiderunt) Solymanni auſpicijs eo conſilio occupat, vt inde frequenti excurſione Siciliam vicináſque & circompoſitas Italiæ inſulas infeſtaret. Ceterum Carolus imperator tot vnius piratæ iniurijs vexatus, Vegæ Siciliæ Proregi; & Auriæ claſsis præfecto imperium dedit, vt Dragutum qua poſſent vi & apparatu de maris commercio exturbarent. Prorex itaque & Auria in Africam Cæſaris auſpicijs traijciunt; Monaſterium primo impetu capiunt & diripiunt: Aphrodiſium opidum (quod nunc Africa vocatur) magno cum militum labore expugnant, Barbariſq; eiectis noſtrorũ præſidio muniunt. In ea expeditione in qua multi fortiſsimique viri deſiderati ſunt; obijt quoque Muleaſſes Tuneti rex, quem Carolus Auguſtus (vt meminimus) ante

annos quatuordecim in regnum Ahenobarbo armis deiecto reſtituerat: idemq; paul- A
lò poſt Amethi filij ſui fraude regno exutus; Hiſpanorum auxilio recuperare amiſſa
conatus erat; ſed victus acie, in filij poteſtatem vius deuenerat, cuius iuſſu oculis or-
batus, fuga tandem Panormum elapſus eſt, ibidemque aliquot annis exſulauit, quouſ-
que quincto demum anno in hac expeditione, quæ partim vt in regnũ denuò reſtitue-
retur, ſuſcepta erat, excederet. Dragutum fuga elapſum Auria ad Meningem inſu-
lam quæ veteribus Lotophagites nunc Gerborum vocatur, claſſe obſedit: ſed is ex
incremento maris elabendi occaſionem capit; anguſtumque & vadoſum æſtuarium
tumeſcentibus vndis ſuperans eluſis obſeſſoribus euaſit. Eodem tempore octo ex
claſſe noſtra triremes, iuxta Lopaduſã inſulã tempeſtatibus afflictæ perierunt. Claſ-
ſis interea a Turcarum principe, vt res repetitum veniret, miſſa Sene Baſſa præfecto
haud procul a Meſſana appulit: is cum Vega ob Aphrodiſium captum de violatis a
Cæſare indutiarum, quas in triennium pactus erat legibus conqueſtus, Aphrodiſium B
ſibi per iniuriam ereptum reddi poſtulauit: ceterum quum a Vega nihil benignè reſ-
ponderetur, Senes, quum fruſtrà Catanam ſeſe tẽtaturum videret, in Auguſtam ſe cõ-
uertit, vrbemque a ciuibus metu deſertam incendit, arcémq; imbecilli admodum præ-
ſidio munitam capit & diripit. Hinc Melitenſium agris ferro, flammáque depopu-
latis, vrbem ipſam ſtrenuè propugnantibus Rhodijs equitibus per octiduum fruſtrà
oppugnauit. indéque repulſus Gaulon ſiue Gaudon inſulam (vtriuſque enim ſcrip-
turam probatiſsimi auctores adprobant) noſtro ſæculo Gozum dictam aggreditur.
ceterum vim, alacritatémque propugnantium ſeſe metuere ſimulans, inde digreſſus,
in altum prouehitur: & ob eius diſceſſum ſecuros, noctu reuerſus, ex improuiſo op-
primit, oppidumque diripit. Inde in Africam flectens Tripolin Rhodiorum octin-
gentorum præſidio firmatam, quæq; iam quadrageſimum annum Chriſtianorum au-
ſpicijs tenebatur, Galli cuiuſdam proditione occupat. Sequenti deinde anno Soly- C
mannus Ruſtanum Baſſam cum centum viginti triremium claſſe Henrico Francorũ
regi ex fœdere in ſubſidium mittit, vt Neapolin opera & artibus Salernitani principis
(is a Cæſare cum aliquot cõiuratis ad Gallum defecerat) regis Henrici auſpicijs inter
ciperet. Sed proditionis & coniurationis cõſilijs per indicium Mormini cuiuſdam
patefactis, ea Turcarum expeditio, quamuis Andreas Auria amiſsis ſeptem trirem-
bus profligatus eſſet, vanum exitum habuit, domumque ingloria redijt. Enimuero
Salernitanus etſi prima nõ ex voto ceſsiſſent, tamẽ Turcarum principẽ adijt, vt eiuſ-
dem claſsis reditum in Italiam ſollicitaret. benignis auribus excepta ſunt transfugæ
vt libera cõſilia, placuitque Dragutum præfectum circa proximi anni ſolſtitium mit-
tere. claſsis itaque octuaginta triremium omni apparatu bellico & inſtrumẽto naua-
li inſtructa, Draguto vt imperatori; Salernitano vt legato creditur; qui Ionio mari
ſuperato impetum in Locrẽſium oras faciunt, eáſq; depopulati in Siciliam deflectunt, D
Leocatam ad Gelam fluuium ſitam, ex improuiſo occupant & diripiunt, ab Sacca (ea
olim Himera fuit) Amodei præfecti ſtratagemate repulſi ſunt. is enim vt fiduciã ſui
cõtra hoſtium vim & apparatum ſimularet, patere vrbis portas iuſsit, omniaque com-
pita tympanis clãgoréque tubarum perſtrepere: ipſe cum exiguo quem habebat equi-
tatu vrbem egreſſus, per oliueta quæ denſiſsima eodem loco, quo hoſtes imminebant
colebãtur; frequenti curſu flexuque viarum vndique ſeſe cum ſuis oſtẽtabat. Turcæ,
magnas Amodeo adeſſe copias ſuſpicati, omiſſo oppugnandæ vrbis cõſilio, e Sicilia
ſoluerunt, & Italiam repetẽtes deprædata Illua inſula in Corſicam deſcenſionem faci-
unt, Bonifacium arcem loco munitiſsimo & firmiſsimo ſitam, expugnãt, & Gallorum
ditioni ſubijciunt. Dum hæc circa Italiæ oras, inſulaſque Tyrrheni maris a Draguto
geruntur. Auria Cæſaris præfectus, ſexaginta triremium claſſe cõtra ipſum prou-
uectus eius impetum fregit. Proximo inde anno quum Dragutus Herculis portum

inua-

Ainuasisset,opera& virtute Cosmi Medices Florētinorum principis qui Sēnogalliam (nunc Senas aut vocabulo detruncato,aut alia ratione nuncupāt) eo tēpore obsidebat magna cū Turcarū clade ab Italiæ maritimis oris depulsus est.Reiectus ab Italia Dragutus quum in Corsica aliquot vrbes,& duas præcipui nominis frustrà tentasset,in Sardiniam classēm suam hostili animo appellere conatus,a præsidiarijs vicinorum calamitate præmonitis,magnis viribus repulsus est. Hactenus quis Neapolis & Siciliæ status sub Caroli Quincti Augusti auspicijs fuerit,compēdio nos esse cōplexos arbitramur,nunc qua occasione viuo patre in vtriusq; regni potestatem,Philippus filius raro & memorabili tamē ad omnem posteritatem exemplo successerit, paucis perstringemus. Eduardus fraudēne suorum an domestica seditione, aut arcanis aulæ suæ perierit,ijs quibus hæc curæ sunt examinandum propono: Eduardo mortuo in Angliæ reginam Maria,inuitis regni æmulis,procerum suffragijs surrogata est. Hanc
B Cæsar Philippo filio,qui post Germaniæ inferioris prouinciarum inaugurationes in Hispaniam redierat,tum amissa priore coniuge cælibi,in vxorem collocauit. Ceterum vt ad dotale regnum,regiam quoque auctoritatem & publicam regni potestatē filio adiungeret, eundem nuptiarum die per legatum suo nomine, Neapolis regem salutari iussit. erat is annus a Christo nato vltra millesimum quinquagesimus quartus atque ab eo tempore(quod hic quoque memorandum ob posteritatis memoriam est) initium regni Neapolitani acceptum in acta publica referri cœpit. Proximo inde anno ex Anglia Philippus Neapolitanorum rex(paullòante etiam a patre Cæsare Mediolanensis Ducatus prouentubus auctus) in Flandriam traijcit,& Bruxellis a patre Cæsare,Hispaniæ,Siciliæ & Indiæ regnis,cum omnium ordinum aggratulatione inauguratur. Ceterum vt Siciliæ historiam vsque in hoc seculum vti instituimus prosequamur,missus est in Siciliam Fridericus Enriquezius Philippi designati a patre nomine legatus,vt fidem noui regis nomine daret & acciperet. Tam auspicata
C & læta rerum in regno Neapolitano & Siculo initia Paullus Quartus Pontifex Max. turbauit,qui ad vendicandum Ecclesiæ Romanæ ius regni Neapolitani, Philippo regi difficile & impeditum mouit bellum,accessit ad ea incommoda quod Hēricus Galliarum rex Belgicas Philippi prouincias vt eum bello diuersis Europæ partibus distineret,inuasisset,& Duacum Artesiæ validam vrbem per insidias, sed frustrà tentasset. mox idem quoque rex vt Pontificis partes foueret, Ducem Guisianum cum copijs (XII. peditum duo equitum milia fuisse scribuntur) in Italiam misit: deditque ei in mandatis vt Mediolanum ex itinere tentaret, & Neapolin inuaderet. Philippus vt Pōtificis conatum reprimeret Albanum ducem ipsi cum imperio & exercitu opposuit. Is vt Pontificios ad sua defendenda distineret, Ostiam occupat. Neapolitani vt Gallorum motus frāgerent,in belli sumtus regi Philippo vicies centena millia aureo-
D rum contribuerunt. Interea Philippus vt Gallos ad sua tuenda conuerteret, Sabaudiæ ducem Belgicarum prouinciarum & Germaniæ inferioris Proregem cum validissimis copijs in Veromanduos immittit. Is nec opinantibus Gallis Fanum Quintini arcta obsidione circumsedit: cuius obsessæ fama,regem Henricum ad ferendam suis opem excitauit, missusque est ad soluendam obsidionem cum valida Germanorum,Gallorumque manu, Anna Mommerancius equitum magister (quē domestica lingua Conestablium vocant.) Sed istæ Gallorum copiæ ab Sabaudiæ duce fusæ,fugatæque,ipseque Conneſtablius viuus in nostrorum potestatem vnà cum filio redactus est, itidē Reyngrauius Germanorum peditum ductor,alijque aliquot Galliæ proceres capti sunt.sub finem verò Augusti Fanum Quintini aliquamdiu bellicis tormētis verberatum magna vi expugnatur: classis regiæ præfectus(Ammiralium vocant) viuus in potestatem venit: eodem victoriæ cursu Haymim opidum & arx Casteletū nomine ad imperium coacta sunt. Galliarum rex Henricus tot simul cladibus fractus

PHILIPPVS MARIAM ANGLIAE REGINAM DVCIT. MDLIIII.

PHLIPPVS NEAPOLIS REX SALVTATVS. MDLV.

PHILIPPVS HISPANIAE, SICILIAE ET INDIAE REX.

exercitum ſuum quem Guiſius ducebat ex Italia reuocare coactus eſt : ipſéque Pontifex quum ab Albano premeretur ſeſéque à Gallis decedente Guiſio deſertum quereretur , pacem cum Philippo per legatos fecit . Interea quum Ioannes Vega Siciliæ Prorex malè a multis ob ſeueritatem & dominandi impotentiam audiret, multiſque Siculorum querelis apud regem Philippum vrgeretur, coactus eſt ex Philippi imperio ſeſe poteſtate abdicare : ſucceſſorémque habuit Ioannem a Cerda Metymneſiũ ducem principem modeſtiſsimum & clementiſsimum & regis domum ex ſtirpe materna contingentem. Carolus Cæſar poſteaquam ſeſe regnorum omnium & prouinciarum ſuarum poteſtate; filio ſibi ſuffecto (vt iam memorauimus) abdicaſſet: claſſe vna cum duabus ſororibus, Eleonora Franciæ; Maria Hungariæ reginis in Hiſpaniam traiecit . atque vt ſeſe priuatum etiam ad otium & tranquillitatem componeret; miſſa ad VII viros Electores legatione fratrẽ ſuum Ferdinandum ſibi in imperio ſuffici petijt & ipſorum ſuffragijs impetrauit. obſeruatum eſt a nonnullis eam legationem in VI. Kal. Martias hoc eſt Caroli Cæſaris natalem incidiſſe. eum diem vt ipſi auſpicatiſsimum nõnulli ex rebus geſtis colligunt. argumẽto eſſe quod Franciſcũ Gallorum regem ſuis auſpicijs per legatos ad Papiam in poteſtatem acceperit : quod anno ætatis ſuæ XXX. Bononiæ eodem die coronatus ſit a Clemente Septimo, & imperij inſignia acceperit. Ceterum hic annus Caroli Cæſaris & trium reginarũ morte funeſtus fuit. Septimo enim quàm ſeſe imperio abdicauerat menſe IX. Kal. Octobris anno ætatis ſuæ LIX. extremum diem in Bæticis clauſiſſe traditur. aliquot ante menſibus Elionora Franciæ regina, paullòpoſt Cæſaris mortem, eiuſdẽ ſoror Maria Hungariæ regina ; vt & Maria Angliæ regina Cæſaris nurus e viuis exceſſerunt. Potitus eſt interea in Flandria non longè a Grauelinga inſigni victoria Philippus, fuſis fugatiſque Gallis, magnóque prœlio per Egmondanum comitem debellatis. Sequuta inde lætiſsima vtriuſque partibus & auſpicatiſsima pax per connubia; filiam namq; ſuam Henricus Francorum rex Philippo; ſororem verò Emanueli Philoberto collocauit; ipſéque adeò rex Henricus morte ſua tantam omnium aggratulationem funeſtauit. quæ deinde ſequuta ſunt, & qui motus ob opinionum & factionum diſsidia Galliam & ditiones Philippi perturbauerint, vt ad huius hiſtoriæ ſeriem regnorumque Neapolis & Siciliæ neceſsitudinẽ nõ pertinentia, nunc latiùs proſequuti non ſumus.

FERDINANDVS ROMANORVM IMPERATOR.

CAROLVS V. IMP. MORITVR. MDLVIII.

PHILIPPVS REX ISABELLAM FRANCOR. REGIS FILIAM DVCIT. MDLIX.

HVBERTI

A

HVBERTI GOLTZII GOTHORVM, SARACENORVM, NORTMANNORVM, SVEVORVM HISPANIARVMQ. REGVM QVI VTRIVSQ. SICILIAE REGNVM TENVERVNT, ELENCHVS.

GOTHORVM IN ITALIA ET SICILIA REGES.

B

ODOVACER Herulorum rex, Oreſte Auguſtuli Imperatoris patre interfecto & tota Italia occupata, ab Romanis rex Italiæ atq; vrbis Romæ ſalutatus eſt: x. Kal. Septembris, an. ab vrbe condita MCCXXVIII. Auguſtulo qui vix annum imperium in Occidente tenuerat, eius metu ſe abdicante. Is demum ab Theoderico Gothorum rege aliquot prœlijs victus, & intra Rauennam per triennium obſeſſus; cùm rerũ inopia victus ſe dedidiſſet, poſtquam per annos XVI. menſes VI. & dies XIII. in Italia regnaſſet; iuſſu Theoderici occiſus eſt: III. Nonas Martij, anno a Chriſto nato CCCCXCIIII. AN. A. CHR. N. CCCCLXXVI.

THEODERICVS AMALVS, Theodemiri filius, Valamiri nepos, primus Gothorum in Italia rex, victo & occiſo Odouacre, & tota Italia in poteſtatẽ redacta; C ab Romanis rex ſalutatur. Is ſucceſſu fortunæ vſus, mox Siciliam, quam quaſi præmium belli in medio poſitam videbat, inuaſit, neminéque repugnante ſubegit. Inde contra Francorum regem, pro VVeſtrogothis cognatis ſuis arma ſumſit, cæſiſque triginta Francorum millibus, Vaſconiam ijs ereptam, Almarico VVeſtrogothorum regi reſtituit. Regnauit poſt Odouacris cædẽ annos XXXIII. mẽſes V. & dies XXVIII. obijt IIII. Nonas Septembris anno a Chriſto nato DXXVI. CCCCXCIV.

ATHALARICVS AMALVS, Eucharici filius, Theoderici regis ex Amalſuentha filia nepos, auo mortuo, ſub tutela matris Amalſuẽthæ in regnis Siciliæ & Italiæ ſucceſsit. Huius ingenium cùm ab educatoribus corrumperetur, multi eorum iuſſu Amalſuẽthæ reginæ interfecti ſunt. Regnauit cum matre annos VII. mẽD ſes X. dies XXVII. obijt III. Kal. Iulij, anno a Chriſto nato DXXXIIII. DXXVI.

AMALSVENTHA Regina, Theoderici regis filia, Eucharici vidua, primũ cum filio Athalarico octennium ferè regnauit. ſed eo fatis ſublato, cum imparem ſe tot regnis adminiſtrandis videret: Theodahatum cõſobrinum ſuum regni ſocium fecit. Multa de huius feminæ virtutibus ab auctoribus produntur: ſummam eminuiſſe tum in vultu tum in verbis eius maieſtatem: virtute præditis comem & humanã, delinquentibus ſeueram & rigidam fuiſſe; præterea calluiſſe eam omnium ferè gentium linguas, & Latinis, Græciſq; litteris etiam ad miraculum eruditam fuiſſe. Theodahati ſcelere occiſa eſt dum eius rapacitati & auaritiæ ſe opponit. DXXXIIII.

THEODAHATVS AMALVS, tertius Gothorum in Italia & Sicilia rex, primò cum Amalſuentha regina, eáq; demum occiſa ſolus regnauit. Nihil ab hoc memoria EODEM AN.

memoria dignum geſtum, niſi quod primis regni ſui initijs, Francos Italiam inuaden- A
tes, prœlio victos eiecit: & Græcos per præfectos ſuos Dalmatia expulit. Sed cùm
ob rapacitatem & auaritiam, ſceluſque in Amalſuentham reginam commiſſum, inui-
ſus ſuis eſſet, & ab hoſtibus ob ſocordiam & negligentiam contemneretur: Belliſarius
iuſſu Imperatoris Iuſtiniani arma Gothis intulit, Siciliæque regnum & Bruttios, vr-
bémque Neapolim de Gothis cepit. Inter tot rerum turbas cum Theodahatus ſo-
lita ignauia obtorpeſceret, indignati Gothorum proceres Witigem virum manu
promtum in regē elegerunt: eiuſque imperio Theodahatus, poſtquam biennium &
menſes ferè IX. regnauerat, occiſus eſt, menſe Martio.

DXXXVII. VVITIGES vir bellica virtute inſignis, ceterum genere obſcurus; quartus
Gothorum in Italia rex (nam Sicilia tum amiſſa erat) fuit. Hic vt regnum ſibi con-
firmaret, poſt occiſum Theodahatum, Mateſuentham Theoderici regis ex Amalſu-
entha filia neptem, inuitam & repugnantem in vxorem duxit. Cum Belliſario B
Iuſtiniani imperatoris præfecto, varia fortuna bellum geſsit, eumque intra Romanæ
vrbis mœnia compulſum, integro anno & diebus nouem circumſedit. aduentu inde
nouarum ex Græcia copiarum obſidionē ſoluere coactus: Mediolanum quod Græci
occupauerant recepit. Inde ab Belliſario Rauennæ obſeſſus, quum fame victus ſe
dediſſet, Conſtantinopolim captiuus, cum Gothorum principibus abductus eſt: ānō
regni ſui IIII. quincto autem anno poſtquam Græci, primum arma Gothis intulerāt.

DXL. HILDOVALDVS VVitige in captiuitatem abducto, ab Gothis rex ſalutatur. Tranſpadanam tantum regionem tenebāt. In tanta ſuorum neceſsitate Hildo-
ualdus non demiſit animum: ſed contractis in vnum Gothorum copijs, cum Vitali
Iuſtiniani præfecto ſigna cōtulit: eumq; prœlio ſuperatum interfecit & præbuerat de
ſe ſpē, quòd Gothorum regnū in integrum reſtituturus eſſet, ni inſidijs eorum, quos C
Varaiæ inſignis viri cæde offenderat, cùm vnum tantum regnaſſet annū, occubuiſſet.

DXLI. ARARICVS ROGVS, Hildoualdo, non melioribus quàm ille regna-
uerat auſpicijs, in regnum Italiæ ſucceſsit. ſiquidem vix menſes quinque tenuerat re-
gnum, quum eorum inſidijs qui Totilam regem creauerant, occubuit.

EODEM AN. TOTILAS BADVILLA ab Gothis rex ob virtutē creatus fuit. Cuius
ſtatim inſigne ſpecimen dedit, Græcorum ducibus duobus prœlijs profligatis, & Apu-
lia, Calabria, Lucaniaque in poteſtatem ſuam redacta. Vrbem Romam proditione
quorundam admiſſus, cœpit: incenſóque Capitolio, præcipuiſque ædificijs & mœni-
um parte euerſa, fœdum in modum deformatam, reliquit. Reſtitutam inde ab Græ-
corum ducibus, cum iterum cepiſſet, in omnem ſexum & ætatem ferro ſæuijt. Siciliæ
quoque arma intulit, pérque totam inſulam ferro, incendijſque graſſatus, multis vr-
bibus partim vi, partim deditione potitus, cùm ſuos in Italia premi intellexiſſet, parte D
copiarum ibi præſidio relicta, Italiam repetijt. Hinc cùm diu Græcorum arma exer-
cuiſſet: dum Longobardis, qui in auxilium Narſetis Iuſtiniani præfecti veniebant, ad
Brixellum occurrit, in prœlio fortiſsimè pugnaciens, interfectus eſt, ānō regni ſui XI.

DLII. THEIAS octauus & vltimus in Italia Gothorum rex, quamquam attritæ ad-
modum aſsiduis cladibus Gothorum vires eſſent; Narſeti tamen aliquamdiu fortiter
reſtitit. Ceterum quum eum Narſes apud Nuceriam vrbem caſtrametantem ad pug-
nam prouocaſſet, in prœlium de ſumma rerum deſcenſum eſt, dimicatum tanto ardo-
re animorum a Gothis, vt ne cæſo quidē Theia rege ſuo, ante pugnandi finē fecerint:
quàm Narſes per preconem, veniam ijs qui arma ponerent, daret. Hic finis Gotho-
rum regni in Italia & adiacentibus Italiæ inſulis, fuit: Gothique in Italorum nomen
conceſſerunt. Theias non vltra annum Gothorum regno potitus eſt.

INTER-

A INTERREGNVM IN SICILIA FVIT, nunc Saracenis, nunc Græcis, regnum insulæ occupantibus. Saraceni ad extremum Siciliam, victis Græcis, obtinuerunt.

BVLCHAR Saracenorum primus in Sicilia rex fuit: quum prius Saracenorum in Africa reges, per præfectos Siciliæ regnum administrare soliti essent. Is multa bella contra Constantinopolitanos Imperatores gessit: Calabriámque & Apuliæ partem eisdem ademit. DCCCXLII.

APOLLOPHARVS secundus rex Saracenorum in Sicilia fuit. Huic cum MXXXVI.
B primo dissensio & inde bellum cum fratre minore Aphocapse ortum esset; Græci ea occasione vsi, Siciliá inuaserunt, quibus dum obsistere Apollopharus pace cum fratre facta, conatur, & Messanam, quam Græci occupauerant circumsidet, occiditur. Post mortem eius, cum Saraceni nouo ex Africa supplemento aucti, Siciliam recuperassent: iterum insulæ possessione, Nortmannorum principum virtute exuti sunt; & Sicilia Nortmannorum facta.

NORTMANNORVM IN ITALIA ET SICILIA COMITES, DVCES, ET REGES.

TANCREDVM Altæ Villæ in Nortmannia Comitem, quidam Guilielmi,
C alij Roberti filium scribunt. Huic ex duabus vxoribus duodecim filij fuêre; nempe ex Moriella Sarnus, Gothifridus, Drogo, Tancredus, Malogerius, Alberedus, Gothifridus secundus & Frumentinus: ex Fresenda autẽ secunda vxore, Guilielmus Ferrobrachius, Robertus Guiscardus, Hunnifridus, & Rogerius Bossus. Igitur Tancredus cùm ad tam numerosam sobolem alendam, non sufficere Comitatus sui opes nõ ignoraret; in Italiam cum liberis suis Sergio IIII. Pontifice Maximo, anno autem à MIIII.
Christo nato MIIII. migrauit. Ibi aliquot annis diuersis sub principibus stipendia quũ meruisset, Guilielmumque Ferrobrachium testamento reliquis filijs præfecisset, obijt.

GVILIELMVS FERROBRACHIVS cum Nortmanni nullis adhuc certis sedibus per Italiam vagarentur, Georgij Maniacis Constantinopolitani Imperatoris præfecti, signa, cum alijs Italiæ principibus viris, cõtra Saracenos sequutus
D est. Conuenerat inter eos, vt Sicilia capta, in eam namque expeditionem moliebantur præda, & agri, vrbésque de hostibus captæ æqualiter diuiderentur. Sed cum Maniaces (Malochum Blondus vocat) pacta non seruasset: Guilielmus indignitate rei MXXXVII.
accensus, Apuliam tum Græcis parentem inuasit, Maniacéque qui auxilio suis accurrerat acie superato, tota Apulia & Calabriæ parte potitus; primus Nortmannorum Apuliam sub comitis titulo tenuit. Obijt anno a nato Christo MXXXIX.

DROGO Tancredi ex Moriella vxore filius, Guilielmo fratri in Comitatu MXXXIX.
Apuliæ successit: quamuis sint, qui excluso Guilielmo, ab Drogone initium Nortmannorum comitum sumant; eumque pulsis Apulis Græcis primum Nortmannorum in ea fixisse sedes prodant. Drogo in principatus sui initio, ab Græcis prœlio victus, & magnæ Apuliæ parte spoliatus est: sed mox reparatis copijs Græcos victoria exultantes, adortus, superatos acie finibus suis eiecit. Inde cum iam per annos vndecim comitatum Apuliæ tenuisset: Visonis Apuli coniuratione, interijt,

ML. HVNNIFRIDVS fratre Apulorum perfidia cæso, tertius Apuliæ Comes fuit. A Huic ſtatim ab initio nihil antiquiùs fuit, quàm fratris ſui percuſſores bello perſequi, quos tandem in poteſtatem redactos capitali ſupplicio adfecit : & poſtquam per annos ſeptem rerum potitus eſſet, obijt.

MLVII. GOTHIFRIDVS Hunnifridi frater, quartus Nortmannorum, Comitatum Apuliæ, tenuit. Is cum Beneuentum Pontificiæ ditionis vrbem inuaſiſſet Leonis IX. Pontificis Maximi, arma in ſe prouocauit. Ab quo bello petitus, eundē, Giſulphi Salernitani Principis auxilijs adiutus, apud Ciuitam Apuliæ opidum prœlio victum, cepit. quem mox ob Pontificiæ dignitatis reuerentiam in honore habitum, datis qui proſequerentur dimiſit. Nec multo inde poſt tempore obijt, quum Apuliæ Comitatui per triennium præfuiſſet.

MLX. BAGELARDVS, Gothifrido in Apuliæ Comitatum ex teſtamento ſucceſ- B ſit. Eum nonnulli Hunnifridi, alij autem Gothifridi (quod vero ſimile magis eſt) ſcripſere. non diu hic Apuliæ dominatum tenuit; nam vix menſibus ſeptē præfuerat, quum Roberti Guiſcardi patrui ſui armis eiectus eſt.

EODEM AN. ROBERTVS GVISCARDVS ſextus Apuliæ Comes, Comitatum pulſo nepote Bagelardo occubuit. Hic Calabriam & Lucaniam de Græcis cepit: Venetos aliquot naualibus prœlijs vicit, Dyrrachiū expugnauit; Romanos Gregorio VII. Pōtifici Max. rebelles, multis cladibus caſtigatos ad officium coëgit, quibus geſtis ab Gregorio Pontifice Dux Calabriæ & Apuliæ Comes creatus eſt, eiq́ue iuramentum vt Eccleſiæ Beneficiarius præſtitit. Viginti inde & quatuor annis Calabriæ & Apuliæ quum præfuiſſet, obijt, Rogerio filiorum natu maximo herede ſcripto.

MLXXXIIII. ROGERIVS BOSSVS Tancredi filiorum natu minimus, primò ab Roberto Guiſcardo fratre, aliquot Apuliæ opidis præfectus fuit. Inde Roberti fratris auxilio Siciliæ parte potitus: poſt eius demum mortē tota inſula pulſis Saracenis, in poteſtatē ſuā redacta, ſe Siciliæ Comitē & Calabriæ ſcripſit. obijt menſe Februar, an. decimoſexto, poſtquā primū Siciliæ comitatu, poſt Roberti fratris mortē potitus fuerat. C

MCI. SIMON Rogerij filius primogenitus ſecundus Siciliæ Comes fuit. Is multis Apulorum ſeditionibus (nam & Apuliæ pars ipſi parebat) vexatus cùm vix annum rerum potitus fuiſſet, abſque liberis vita exceſsit: Rogeriumq́; fratrem ſucceſſorem habuit.

MCII. ROGERIVS II. Rogerij filius, tertius Siciliæ Comes, poſt Simonis fratris primogeniti mortem fuit. Apuliæ inde & Calabriæ Ducatu, ex morte Guilielmi nepotis ſui qui ſine liberis obierat, auctus; quum inſuper Neapolim, aliáſque de Græcis cepiſſet vrbes; ab Innocentio II. Pontifice Maximo, quem in prœlio ab Guilielmo fi- D lio ſuo captum libertati reſtituerat: viceſimoſeptimo Comitatus ſui anno, rex vtriuſq; Siciliæ cis & vltra Pharum, creatus eſt. Poſthæc Saracenis in Africa bellum intulit, Emanuelem ſecundum, Orientis Imperatorem qui Chriſtianos Hieroſolymam petētes multis incommodis adfecerat, vaſtatis Conſtantinopolitanæ vrbis ſuburbijs, cōpeſcuit. Inde in Siciliam regreſſus, viceſimoſecundo anno poſtquam primùm rex creatus fuerat obijt, XVI. Kal. Maij, anno a Chriſto nato M C L.

MCL. GVILIELMVS qui ob auaritiam & crudelitatem Malus vocatus eſt, cum Rogerio patre biennium & menſes decem, & poſt eius mortem annos XVI. in vtraq; Sicilia regnauit. Viuo patre magnam de ſe ſpem ob diſciplinæ militaris peritiam præbuerat; quam nec in principatus ſui initio fefellit: quum Apulos rebelles perdomuiſſet, & Saracenos multis cladibus afflixiſſet. ſed mox apparuit ſimulatione virtutis, eum

A eum vitia ſua texiſſe; nam domi reſes factus, ob ignauiam hoſtibus contemtui, & ob ſæuitiam ſuis inuiſus fuit. Vnde multis ſuorum rebellionibus vexatus, multis coniurationibus petitus, Guilielmo filio herede relicto, diem extremum clauſit. Obijt pridie Kal. Maij, anno a Chriſto nato M CLXVI.

GVILIELMVS II. tertius vtriuſque Siciliæ rex, patri in regno, non in moribus ſucceſsit, ſiquidem quantum ille crudelitate & auaritia, tantum hic clementia & liberalitate excelluit; vnde Bonus diuerſo a patre cognomine, cognominatus eſt. Nec huic tamen humanitas ſua profuit, quominus ſeditionibus Siculorum & bellis inteſtinis inquietaretur. Cum Andronico Oriētis Imperatore, qui Imperium per ſummam perfidiam cæſo nepote legitimo herede, inuaſerat: bellum geſsit; Conſtantinopolitaniſque auctor fuit, vt trucidato Andronico, Imperatorem Iſacium Commenum
B crearēt. Chriſtianis quoq; qui in Paleſtina Saracenorum armis premebantur, opem tulit. Obijt ſine liberis, quum vtriuſq; Siciliæ regnum annis viginti adminiſtraſſet. MCLXVI.

TANCREDVS Rogerij primi regis, ex filio Rogerio (is ante patrem obierat) ex Pellice filius: quum Guilielmus abſque liberis diſceſsiſſet, rex vtriuſque Siciliæ creatus eſt. Sed Clemens III. Pontifex Maximus, quia regnum Eccleſiæ beneficiarium Tancredus abſque eius permiſſu occupauerat, bellum ei mouit. Cetetum Clemente mortuo, Celeſtinus III. qui Clementi in Pontificatu ſucceſſerat: bellum excepit, iſque quia per ſe impar Tancredo erat, Henricum VI. Imperatorem, data ei in matrimonium Conſtantia Rogerij primi regis filia, in Tancredum armauit. Huic ſe fortiter Tancredus obiecit, regnumque quamdiu vixit contra eiuſdem inſultus defendit. Obijt anno regni ſui nono, & poſt Chriſtum natum M C X CIIII. M CLXXXVII.

C

ROGERIVS III. Tancredi filius, vtriuſque Siciliæ rex, hunc nonnulli ab patre in regni ſocietatem aſſumtum, & paullò ante eius mortem fato ceſsiſſe, affirmant: ſunt qui ſcribant eum patri in regnum ſucceſsiſſe, & poſt octauum regni ſui menſem, ab Henrico VI. imperatore captum, oculiſque & virilibus priuatum, in carcere interijſſe. M CLXXXVI.

GVILIELMVS III. Sextus & vltimus ex Nortmannorum familia, vtriuſq; Siciliæ rex. qui Rogerium III. ante patrem obijſſe tradunt; hunc dicunt poſt Tancredum patrem regem fuiſſe, & in eo Nortmannicā ſtirpem in Sicilia extinctam, quum ab Henrico VI. imperatore captus, & oculis virilibuſque priuatus, in carcere obijſſet. Annis a primo Guilielmo Ferrobrachio CLVII. & menſibus aliquot elapſis. M C XCIIII.

D

SVEVORVM IN VTRAQVE SICILIA REGES.

HENRICVS VI. Romanorum Imperator, Friderici imperatoris filius, victo & capto Guilielmo III. rege, regna vtriuſque Siciliæ vt dotalia, nam Rogerij olim regis filiam in coniugio habebat, occupauit. Hunc Siculis ob crudelitatem quam in Nortmannicam ſtirpem, & eius fautores exercuerat, odio fuiſſe ſcribunt, abſque Conſtantia vxore veneno petitum, Friderico quinquenni puero herede relicto, interijſſe; anno poſtquam Siciliæ regno potitus fuerat, quarto. Obijt Meſſanæ pridie Kal. Septembr. anno a Chriſto nato M CXCIX. M CXCVI.

MCXCVIII. FRIDERICVS Henrici VI. filius, quinquennis puer patri ſub tutela matris A Cõſtantiæ ſuccedit & iam ſeptennis Panormi regio diademate inſignitus eſt. Annum agens ætatis viceſimum, Innocentij III. Pontificis Maximi interceſsione, ab Germanorum Septem-viris imperator, contra Othonem IIII. quem Pontifex, Pontificiæ ditionis agrum euaſtantem, imperiali dignitate priuauerat; creatus eſt: eóque armis imperio pulſo, Romæ, ab Honorio III. Pontifice Maximo, Auguſtus ſalutatus & inaugu ratus eſt. Hic multis contra Pontifices, multis contra Siculos rebelles, & Saracenos bellis geſtis, Hieroſolymæq; regno Saracenis ademto; anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſeptimo, Ferentini moritur, Idibus Decembris, anno a Chriſto nato MCCL.

MCCL. CONRADVS Imperator, Friderici II. imperatoris filius, patri in regno vtriuſque Siciliæ ſucceſsit. In Germania Conradus erat, quum Fridericus, e viuis excederet: itaque in regnum veniens id varijs motibus turbatum offendit; Neapolinque ad B Pontificem defeciſſe, quam vrbem cùm vi non poſſet, arte cepit, diripiendámque militi conceſsit. Veneno inde perijt, Manfridi ſpurij fratris inſidijs, cùm annos III. menſes V. & dies X. regnaſſet; Conradino filio, qui adhuc puer in Sueuia educabatur, herede relicto. Obijt Neapoli XI. Kal. Iunij, anno a Chriſto nato MCC LIIII.

MCCLV. MANFRIDVS Friderici II. imperatoris ex pellice filius, Conrado fratre veneno ſublato, poſt biennium ferè ab eius morte elapſum, regnum vtriuſque Siciliæ Conradino nepote ſuo legitimo herede excluſo, inuaſit. Sed Vrbanus IIII. & poſt eũ Clemens IIII. Pontifices Maximi; indignati ab Manfrido qui nothus erat, Siciliæ regna occupari, Carolum Andium ducem aduerſarium ei excitârunt. Ab quo ad Beneuentum, Manfridus prœlio victus, & occiſus eſt, quum annos XI. regnaſſet.

C

CONRADINVS Conradi imperatoris filius, quum occupatum ab Carolo Andegauenſi vtriuſque Siciliæ regnum, & Manfridum occiſum intelligeret: cum exercitu in Italiam ad repetenda auita regna, decimoquarto poſt patris obitum anno venit. Ceterum victus a Carolo & ex fuga retractus; Neapoli in publico, cùm aliquot alijs Principibus viris, ſecuri percuſſus eſt, anno a nato Chriſto MCC LXIX.

GALLORVM IN VTRAQVE SICILIA REGES.

D

MCC LXV. CAROLVS Andegauẽſis Ludouici IX. Gallorum regis filius, ab Clemẽte IIII. Pontifice Maximo, rex vtriuſque Siciliæ, contra Manfridum Pontificij nominis hoſtem creatus eſt: Manfridóque acie victo & occiſo, vtrumque regnum rege orbatũ, occupauit. Cum Conradino inde Sueuorum duce, qui ad repetenda regna hereditario iure ſibi debita veniebat; prœlio congreſſus victor fuit, & in Conradinum captum capitali ſupplicio, VII. Kal. Nouembris, anno a Chriſto nato MCC LXIX. animaduertit. Poſthæc coniuratione Siculorum, & Petri Aragoniæ regis armis Sicilia pulſus, Neapolis tantum regnum tenuit. Regnauit annos XIX. menſes VI. dies XI. Obijt VII. Idus Ianuarij, anno a Chriſto nato MCC LXXXV.

REGES

REGES SICILIAE VLTRA PHARVM.

MCC XXCII. PETRVS Iacobi Aragoniæ regis filius Aragonum rex, Siciliæ regnum vt dotale (nam Manfredi olim regis filiam in coniugio habebat) ab Carolo Andegauensi, qui id Manfredo, & Conradino regibus occisis, inuaserat, armis repetijt: Siculorumque fauore adiutus occupauit. Ob quæ a Martino IIII. Pontifice Maximo, diris deuotus, & ex Pontificia auctoritate, Aragoniæ & Siciliæ regnis priuatus est. Igitur Petrus cùm tueri regnum suum cõtra Philippi Gallorum regis insultus conatur. cõmisso ad Gerundam vrbem prælio victus, paucis post diebus, ex vulnere quod in pugna acceperat interijt: annis quatuor elapsis ab quo primum Panormi in Siciliæ regem coronatus fuerat. Obijt III. Idus Nouembris, anno a Christo nato M CC LXXXVI.

MCC XXCVI. IACOBVS Petri Aragonum & Siciliæ regis secundogenitus, post patris sui mortem rex a Siculis salutatus est. Hic cũ Gallorum res aliquot cladibus afflixisset: Calabriam quæ illis parentem euastasset: Alphonso Aragoniæ rege fratre primogenito absque liberis mortuo, ad id regnum accipiendum accersitus est. Posthæc cùm Siciliæ regno annos vndecim potitus esset, Bonifacij octaui Pontificis Maximi promissis persuasus, id Carolo II. Neapolitanorum regi restituere voluit. quod vbi Siculi cognouêre, eius fratrem Fridericum, regem communibus suffragijs crearunt.

MCC XCVI. FRIDERICVS Petri Aragoniæ regis tertiogenitus, quum frater ipsius Iacobus Aragoniæ rex, Siciliæ regnum Carolo II. se redditurum pactus esset; Siculorum omnium propenso fauore, regium diadema Panormi accepit. Multa hic bella primum cum fratre suo Iacobo Aragonum rege, qui Siciliæ regno, vt Gallis insulam vti promiserat, traderet; spoliare ipsum conabatur: & inde cum Carolo II. & Roberto eius filio Neapolitanis regibus, gessit. Petrum quoque filium, vt res nouare volentibus materiam præriperet, regijs

REGES NEAPOLITANI SIVE SICILIAE CIS PHARVM.

A CAROLVS II. Caroli filius, ab Alphonso Aragoniæ rege, apud quẽ diu in vinculis fuerat, datis obsidũ loco tribus filijs, quarto post patris mortem anno liberatus; ab Nicolao IIII. Pontifice Maximo, Romæ vtriusq; Siciliæ regno inauguratus est. III. Kal. Iunij, anno a nato Christo M CC LXXXIX. Hic cum Iacobo & Friderico Siciliæ regibus, multa bella varia B fortuna gessit. Regnauit annos XX. menses tres, dies XXVIII. obijt Neapoli IIII. Nonas Maij: qui an. a nato Christo M CC CIX. erat. MCCC IX.

ROBERTVS Caroli II. Neapolitanorum regis filius; qui viuo patre Calabriæ dux fuerat, post eius mortem regio diademate ab Clemente V. Pontifice Max. apud Auenionem insignitus est. Ecclesiæ Vexillifer creatus, Ferrariam Pontificis imperium aspernantem, armis ad officium coëgit. Ab Henrico inde Lucemburgensi Romanorum Imperatore, quia Florentinos Imperatoriam Maiestatem contemnẽtes, subsidio iuuisset, imperij hostis C declaratus; & Friderico Siciliæ regi bellum aduersum eum gerendum, commissum est. Sed Robertus Henrico Imperatore paullò post ex veneno moriente, Friderici conatus facilè represit: & mox Friderico quoque mortuo cum Petro II. Siciliæ rege Friderici filio, multa bella gessit. Florentinis, qui ab Ioanne Boëmiæ rege, bello premebantur, opem tulit: ijsdemque petentibus Carolum filium dominũ dedit, vt Castrucij tyranni Lucensis, arma reprimeret. Is D deinde Carolus cùm patri subsidio venisset ab Ludouico Bauaro Germanorũ Imperatore timenti bellum, in itinere morbo correptus interijt. Non euasit Robertus Ioannis XXII. Pontificis Maximi, anathematis notam. nam quum fœdus inijsset, cum alijs Italiæ Principibus, contra Boëmiæ regẽ cui fauebat Pontifex, ipse cũ alijs diris deuotus est. Paullò antequam è viuis excederet, Ioannam ex Carolo filio neptẽ, Andreæ Ludouici Hungariæ regis fratri, vxorem dedit, eosque testamento succes-

gijs insignibus decoratum, regni socium fecit. Obijt Catanæ III. Idus Iulij, anno ætatis suæ quincto & sexagesimo, regni autem sui quadragesimo.

MCCC XXXVI. PETRVS II. cum patre Friderico annos quindecim. & post eius mortem solus sexennium regnauit. Friderici patris auspicijs multa fortiter contra Robertū Neapolitanorum regem gessit. Rex iam solus factus, aliquot Siciliæ proceres abse desicientes, partim interfecit, partim Sicilia eiecit. Interhæc Benedictus XII. Pontifex Maximus, Petro regi Siculisque sacris interdixit: résque eius regni in deterius vrgere cœperunt. nam Sicula classis à Roberto rege victa profligatáque est & multæ Siculorum vrbes ad eum defecerunt. atque in hoc rerum tumultu Petrus rex, anno ætatis suæ tricesimo septimo, VI. Idus Augusti haud procul ab Enna, Lodouico filio infante herede relicto, fato cessit.

MCCC XLII. LVDOVICVS Petri II. filius patre defuncto, quinque annos & mēses septem natus, Panormi regium diadema procerum consensu accepit, eique ob ætatem immaturam, tutor Ioannes Randacij Dux patruus eius datus. Verum multi Siculorū primores, regis sui pueritia ad res nouādas abusi: Siciliā grauissimis motibus cōuulserūt: quibus dum obsistere Ioēs tutor regis conatur, peste correptus moritur. Huius morte seditiosis animi creuerunt, iamq; plane contemto rege, per totum regnum cædibus & incendijs grassati sunt. Accessit insuper ad Siciliæ calamitatem sæuissima pestilentia, & valida fames, vsqueadeo vt multi inopia pressi liberos & vxores venum dederint. Interhæc & Ludouicus rex, anno ætatis duodeuicesimo regni vndecimo, nullis ex se relictis liberis moritur.

MCCC LV. FRIDERICVS III. Petri II. filius, cui quod nō satis constare mente credebatur simplex cognomentum fuit; post Ludouicum fratrem regnum Siciliæ varijs turbatum motibus accepit. Messana enim Panormus & Leontinum, aliáq; regni Siculi opida, Ioānæ II. Neapolitanorum reginæ, aut Claromontanorum qui Ioannæ auspicia sequebantur, præsidijs tenebātur.

Ceterum

A sores designauit. Obijt Neapoli XIIII. Kal. Februarij, anno regni tricesimo tertio anato Christo MCCCXLIII.

MCCC XLIII. IOANNA Caroli Calabriæ ducis filia, Roberti regis neptis, cum marito Andrea auo in Neapolis regnum successit. Virumque Andream per complices suos in arce Auersana strangulauit: & Ludouico Principi Tarentino, Philippi Roberti fratris filio, iterum nupsit, intellectoq; Ludouici Hungariæ regis Andreæ fratris aduentu, Ioanna & Ludouicus eius vim exspectare non ausi, in Narbonensem Galliā B profugerunt, regni cura Carolo patrueli suo Dyrrachij duci commissa quem Ludouicus captum capitali supplicio adfecit, regnumque Neapolis in potestatem redactum præsidijs quum firmasset, in Hungariam redijt. Nec multò post adnitēte Clemente VI. Pontifice Maximo, pax Ioannæ ijs conditionibus ab Ludouico data est, vt Ioanna regina appellaretur, Ludouicus eius maritus principatus Tarentini titulo contentus esset. Verùm Clemens accepta a Ioanna vrbe Auenione, Ludouicum C Tarentinum regijs ornauit insignibus. Vrbanus inde VI. Pontifex Maximus Ioannæ reginæ iniurijs lacessitus, Ludouicum Hūgariæ regem aditerato bellum Ioannæ inferendum sollicitauit. Inductus Pontificis auctoritate rex Ludouicus Carolum Dyrrachij ducem eius Caroli, quem ipse supplicio adfecerat filium (bellum tum eius auspicijs contra Venetos gerentē) in Ioannam mouere iussit. Itaque ingressus regnum Neapolitanum Carolus, Ioannæ exD ercitu varijs prœlijs dissipato, Neapoli dedentibus se ciuibus potitus, ipsam in arce Oui aliquamdiu circumsessam, fame ad deditionem coēgit: coniectámque in carcerem carnifici strangulandam tradidit, III. Idus Iunij, quum annos triginta octo & menses septem apud Neapolitanos rerum potita esset.

MCCC LXXXI. CAROLVS III. Caroli Dyrrachij ducis filius, Ioanna regina in carcere strāgulata, Neapolis regnum occupauit & ab Vrbano VI. Pontifice Maximo cōfirmatus, est. Nec multò post ab eodem Pontifice

quia

Ceterum Artalis Alagona Friderici regis auſpicijs Claromõtanos agreſſus, eoſdem Leontino capto,& Meſſanæ Ioannæ reginæ præſidiarijs pulſis, ad pacem petendam adegit. Ita Siciliæ rebus vtcumq; ad tranquillitatem compoſitis. Fridericus rex anno ætatis viceſimo quarto, regni autem vndecimo, Maria vnica filia herede ſcripta, Meſſanæ menſe Iulio hominem exuit.

M ccc lxxiix. MARIA Friderici III. filia, patri ſub Artali Alagonij tutela ſucceſsit. rurſumq; factiones & bella inter Claromontios & Alagonios, quæ viuo Friderico quieuerãt, recruduerunt. Raimundus Montecatinus, qui Claromontanæ factionis erat, reginã Mariam abſente Artali (qui eam Ioãni Galeacio Virtutum Comiti) deſponderat ex arce Catanenſi raptam in Hiſpaniam trãſuexit: ibiq; eam Martino, Martini ducis Albimontis filio, & Ioannis Aragonum regis nepoti, collocauit.

M ccc xxcvi. MARTINVS Martini Albimontis ducis filius, regnum Siciliæ ex Mariæ reginæ coniugio adeptus: regnumque Claromontanis deletis, alijſq; factioſis ſublatis, pacauit. Mortua inde regina Maria coniuge VI. Kal. Iunij, anno a nato Chriſto milleſimo & quadringenteſimo; ipſe, quia ſine liberis obierat in regnum ſucceſsit. Ceterum quum in Sardiniam inſulã, patri ſuo, qui tum Aragoniæ rex creatus erat rebellẽ, cum claſſe mouiſſet; inſula iam perdomita, anno ætatis tertio & triceſimo, regni autem viceſimo tertio, abſque heredibus moritur.

M cccc xx. MARTINVS Aragonum rex, filio ſine herede exſtincto, quum regnum Siciliæ hereditario iure ad ipſum peruenisſet: Siculorum ſuffragijs, rex Siciliæ ſalutatus eſt. Hic cùm poſt decimum regni ſui mẽſem, hominem exuiſſet: Siciliæ tandem regnum quum biennium ob inteſtinos motus, ſine rege fuiſſet, ad Ferdinandum cognomento Iuſtum, qui Aragonum rex electus erat, peruenit.

M cccc xii. FERDINANDVS Ioannis Caſtellæ regis filius, cognomento Iuſtus, qui Aragonum rex poſt mortẽ Martini, multis cõpetitoribus ſuperatis appellatus fuerat

A quia eius nepotem Capuæ principatu donare abnuerat, ipſumq; intra Nuceriæ mœnia circumſederat, Eccleſiæ hoſtis declaratus, & regno Neapolitano abdicatus eſt. Interea Ludouicus Hungariæ rex abſque virili ſobole diſceſsit, ipſéque Carolus per legatos euocatus ad regnum accipiendum, apud Albam regalem regium diadema accepit. Interijt inde inſidijs Elizabethæ reginæ Ludouici regis viduæ, quæ Mariam filiam ab eo regno ſpoliatam indignabatur. Obijt III. Kal. Martij quum ãnos quatuor, menſes octo, & dies viginti ſex regnaſſet, Ladiſlao, Ioannáque liberis ſuperſtitibus, quos Neapoli apud Margaretã matrem reliquerat.

LADISLAVS Caroli III. filius, adnitente. Bonifacio IX. Pontifice Max. Caietæ regium diadema impubes adhuc accepit. Eiuſdem quoque Pontificis auxilijs adiutus, Ludouicum Andegauenſem, qui maximam regni partem, poſt Caroli III. regis mortem occupauerat, expulit, regnumq; recepit. Iámque regno Neapolis potitus, ab Hungariæ principibus, populiſque euocatus: Iaderam vrbem cepit, allatóque nuncio Neapolitanos res nouas moliri, Iadera Venetis vendita in regnum redijt, inque defectionis auctores præcipuè autem Sanſeuerinates regulos ſeueriter animaduertit. Vrbem Romam ter, ſemel ab ipſis Romanis contra Innocentium VII. Pontificẽ Maximum accitus, bis proprijs auſpicijs occupauit, & magiſtratus pro ſuo arbitrio dedit & ademit. Ex Marſis agróque Piceno & Latio multa occupauit: ob quæ ab Alexandro V. Pontifice Max. vt Eccleſiæ hoſtis regno priuatus, & Ludouicus Andium dux rex in eius locum creatus eſt. obijt Neapoli VIII. Idus Auguſti, anno regni ſui XXVIII. mẽſe V. & diebus XI.

M ccc xxcvi.

IOANNA II. Ladiſlai regis ſoror, vidua Guilielmi ducis Auſtriæ, fratri abſq; liberis mortuo in regnũ ſucceſsit. Cumq; cuidã Pandulfello elegantis formæ viro, vſq; ad infamiã nimis indulgeret, hortatu principum, Iacobo Marchiæ comiti ea cõdicione nupſit, vt principatu Tarẽtino cõtentus, regni titulo abſtineret. Is tamen

M cccc xiiii.

Ioannæ

rat: ſedatis tãdem Siculorum ſeditionibus, ab legatis Siculis rex Siciliæ ſalutatus eſt. Bernardum Capreram, qui ſeditionum & bellorum ciuilium auctor fuerat, regnúmque affectauerat, in vinculis ad ſe adductũ, venia donauit. Obijt IIII. Nonas Aprileis, anno a Chriſto nato MCCCCXVI. quarto anno poſtquam a Siculis Rex ſalutatus fuerat.

A Ioãnæ matrimonio potitus, promiſſa nõ ſeruauit, ſed arce Noua per præfecti proditionẽ capta in Pandulfellũ capitali ſupplicio animaduertit. Sfortiam qui reginæ copijs præerat in carcerẽ cõiecit. Ceterum Iacobus mox reginæ inſidijs oppreſſus, conjectuſque in carcerẽ, quum euaſiſſet, in Galliam redijt. Ioanna autem quum liberis careret Alphonſum Aragonum & Siciliæ regem & eo mox muliebri leuitate repudiato, Ludouicum Andegauẽſem eóque ſine liberis mortuo, Renatum eius fratrem adoptauit. Regnauit annos xx. Obijt Neapoli an. a Chriſto nato MCCCCXXXIIII.

B

ALPHONSVS VTRIVSQ. SICILIAE REX.

MCCCC XVI.

ALPHONSVS Ferdinandi filius, eidem in regnis Aragonum & Siciliæ ſucceſsit. Huic ab rerum geſtarum gloria, & intrepida conſtantia Magnanimi cognomentum fuit. A Ioanna regina vt eidem contra Ludouicum Andegauenſem auxilium ferret, in filium adoptatus, cum ingenti claſſe Neapolim venit. ſed haud multo poſt ab regina prauis quorundam conſilijs ſeducta, repudiatus, Neapolim & aliquot regni Neapolitani opida occupauit. ob quæ regina Ioanna abdicato Alphonſo, Ludouicum Andegauenſem adoptauit in filium. Cum hoc Ludouico, & eo mortuo, cum eius fratre Renato, Alphonſus diuturnum bellum geſsit: tandémque pulſo Renato Neapolim, & inde totum regnum in poteſtatem ſuam redegit. Anno a Chriſto nato milleſimo & quadrageſimo ſecundo. Alphonſus cùm legitimis filijs careret. Ferdinandum filium ex pellice natum Calabriæ ducem in ſpem ſucceſsionis declarauit. Dehinc multis bellis cum Venetis, Gallis, alijſque hoſtibus geſtis, anno ætatis ſexageſimo, regni Siciliæ & Aragoniæ quadrageſimo ſecundo, Neapolitani autem decimo ſexto, hominem exuit. Aragoniæ & Siciliæ regnis Ioannem fratrem, Neapolitano autem Ferdinandum filium teſtamento præfecit.

REGES SICILIAE VLTRA PHARVM.

MCCCC LIIX.

IOANNES Ferdinandi filius, Nauarræ rex; quum Alphonſus frater nullos legitimos heredes ex ſe reliquiſſet, eidem in regno Aragonum & Siciliæ ſucceſsit. Is viuo patre Siciliæ Prorex fuerat. Viceſimum agẽs annum, Blancã Caroli Nauarræ regis filiam, ex cuius dote Nauarræ regnum adeptus eſt, duxit. Bellum geſsit cum Barcinonenſibus qui auctore Carolo eius filio (quem ex Blanca Nauarræ regis filia ſuſtulerat) ab eo defecerant, Carolumque inuito patre regem Nauarræ facere conabantur

REGES NEAPOLITANI SIVE SICILIAE CIS PHARVM.

C FERDINANDVS Alphonſi filius illegitimus, poſt patris mortem ab Neapolitanis cõmuni cõſenſu rex ſalutatus eſt. Interea Tarenti, Roxanique principes Ioannem Andegauenſem Renati filium, ad Ferdinandum regno ſpoliandum euocarunt. qui cum in Italiã veniſſet, multorum acceſsione opibus confirmatis; Ferdinandum apud Sarnum profligauit. Sed Ferdinandus reparato exercitu, iterum cum hoſtibus apud Troiam Apuliæ vrbem cõgreſſus, ſuperior fuit: & cuncta quæ Ioannes

MCCCC LIIX.

bantur. tandem procerum interuentu pater filio reconciliatus est. Ludouici Gallorum regis exercitum qui Perpenianum vrbem circumsidebat, ingenti cum cæde profligauit, vrbemque obsidione liberauit. Siculorum seditiones auctoribus supplicio adfectis oppressit. Obijt Barcinonæ Kal. Februarij, anno ætatis octuagesimo, regni vicesimo.

M C D LXXIIX FERDINANDVS II. Cognomine Catholicus, Ioannis regis filius, ex testamento patris, Aragonum, Sardiniæ & Siciliæ rex: ducta in vxorem Elizabetha Henrici IIII. Castellæ regis sorore, Castellæ quoque regnum adeptus est. Nam Henricus IIII. vnicam tantum filiam & ipsam Elizabeth nomine, reliquerat: quam Portugalliæ regis filio in vxorem dederat: sed post Henrici, mortē quum constaret Elizabetham, quæ pro filia regis habebatur, ab matre suppositam fuisse, quia Henricus genitalibus debilis, nec idoneus, ad procreationem fuerat: excluso Portugalliæ regis filio, regnum Ferdinandus occupauit. Sed quum regina potiorem sibi partem in Castellæ regno vindicaret, post diutinam disceptationem, conuenit, vt paribus auspicijs regnarent. Bellum inde Ferdinandus suscepit, & ad pietatem simul, & ad gloriā maximā. Nam Beticæ partem, quam vocant Granatam, adortus, eam Mauris; qui per annos octingentos id regnum tenuerant, post sextum annum, quam cœptum bellum fuerat, pulsis, abolitáq; Mahumetana superstitione, Christianæ religioni restituit: Vnde Catholici cognomentum meruit. Ferdinandum Neapolitanum regem, qui Gallorum armis regno exutus fuerat: auxilijs ad recuperandum regnum adiuuit. Inito inde fœdere cum Ludouico XII. Francorum rege, Alexandro VI. Pontifice Maximo adsentiente, paciscitur, vt paribus auspicijs, opibusque regnum Neapolis, eiecto Friderico qui in Ferdinādi II. locum successerat, occuparent. Huic itaq; bello impar Fridericus, vir alioquin nihil minus quàm ad arma natus, ad Ludouicū regem in Franciam se contulit.

A nes occupauerat recepit. contra Florentinos quoque & contra Xistum IIII. Pontificem Maximum, ductu Alphonsi filij, vt Herculem Estensem Ferrariæ ducem, quē Pōtifex lacessēbat, tueretur, bellum gesit. Hydruntum inde quod Turci occupauerant, recepit. Ceterum Ferdinandus cum suos nouis vectigalibus vexaret: grauissimo procerū suorū bello petitus est; quos tamen mox victos, & in potestatē suā redactos securi percussit. Obijt VIII. Kal. Februarij, anno Christi MCCCCIIIIC.

B Regnauit ānos XXXV. mēses VI. dies XXV.

ALPHONSVS II. Ferdinādi filius, qui viuo patre Calabriæ dux fuerat, multáque bella eius auspicijs fortiter gesserat, post mortem patris regni habenas accepit. Sed quum Carolum VIII. Gallorum regē cum ingentibus copijs ad occupandū Neapolitanum regnum venire intellexisset, suis diffisus, quibus se inuisum esse non ignorabat, regno se abdicauit, regiáque potestate in Ferdinandum filium translata, in Siciliā abijt, quum regno vix tredecim

C menses potitus esset. M C D XCIIII.

FERDINANDVS II. Alphonsi filius, patre in Siciliam profecto, rex Neapolis communi omnium suffragio appellatus est: sed nec ipse Gallorum aduentum exspectare ausus, in Aenariam insulam secessit: regnumque Carolus VIII. Galliarum rex nemine obsistēte occupauit. Carolo inde in regnum suum redeunte, Ferdinandus auxilijs Ferdinandi Hispaniarum regis adiutus, regnum Neapolitanum recepit: pacatisque iam vndique rebis, duo-

D deuicesimo regni sui mense, nullis relictis liberis, excessit. M C D XCV.

FRIDERICVS Ferdinandi primi filius, Ferdinandi II. patruus, nepote absq; heredibus mortuo, Neapolitanum regnum accepit. Is Ludouici XII. Francorum & Ferdinandi Catholici Hispaniarum & Siciliæ regis (qui Neapolitanum regnum inter se diuiserant) bello petitus: cùm imparem se tantæ moli cerneret, relicto regno cui quinquennium præfuerat, in Galliā ad Ludouicū regem hostē suum profectus est: ibiq; in exsilio diem extremum clausit. M C D XCVI.

A

VTRIVSQVE SICILIAE REGES.

MDI. FERDINANDVS itaque (vti iam diximus) vnà cum Ludouico XII. Gallorum rege, Neapolitano regno potitus, id aliquamdiu æquo iure cum eo tenuit, donec eorum culpa qui limites inter agros, qui cuique cederent, in confinio posuerunt; diceptatio primò inter vtriusque regis præfectos, & postremò bellum ortum est: primo prœlio Hispani a Gallis intra Baroli mœnia compulsi sunt. Exinde Gallorum negligẽtia qui veluti pacato iam regno per otium fruebantur, Hispani instauratis opibus, Duce Consaluo belli fortunam tentant apud Cidoniolam, victisque Gallis Neapolim, totumque regnum Ferdinandi auspicijs, in potestatem suam redegerunt. Igitur Ferdinandus quum regnum Neapolitanum armis edomuisset: etiam Africæ arma per B Petrum Nauarrum intulit, & Tripolin, Oranum, aliásque vrbes de Mauris cepit, obijt anno ætatis sexagesimo quinto, regni quadragesimo secundo, Carolo ex Ioanna filia nepote, quia Philippus Austrius Ioannæ maritus, ante obierat, herede scripto.

MDXVI. CAROLVS Philippi Austriæ ducis filius, Ferdinandi ex Ioanna filia nepos, Ferdinando auo in regnis Hispaniarum & vtriusque Siciliæ, & Philippo patri in Germaniæ inferioris Prouincijs successit. Siculos & Hispanos initio regni sui tumultuantes, punitis seditionis auctoribus compescuit. Decimonono ætatis suæ anno ab Germanorum Septem-viris absens imperator creatus est, & Bononiæ postmodum imperatorium diadema de Clementis VII. Pontificis Maximi manu accepit. Multis inde de diuersis hostibus partis trophæis, anno ætatis quinquagesimo sexto, se sponte imperio, & omnibus regnis abdicauit. septimo inde quam se abdicauerat mẽse IX. Kal. C Octobris, anno aChristo nato MDLVIII. obijt.

MDLVIII. PHILIPPVS Caroli V. imperatoris filius, tum per Mariæ vxoris dotem Anglorum rex, postquam pater se sponte abdicauerat, Hispaniarum, Indiarumque & vtriusque Siciliæ regna, Germaniæque Inferioris possessionem accepit.

HVBERTI

A

HVBERTI GOLTZII SICVLORVM QVI SAPIENTIA, CARMINE, ELOQVENTIA, ALIISQVE ARTIBVS EXCELLVERVNT, ELENCHVS.

QVVM Siciliæ ſitum, res geſtas, & quæ ob vtilitatem lectoris cum voluptate coniunctam nobis enumeratione digna videbantur, vel ex priſcorum auctoritate, vel ex poſteritatis teſtimonio colligeremus; obſeruauimus quoque Siculos ingenio vt acuto, ita etiam arguto fuiſſe, & hinc facundiæ artificioſæ, ſiue Oratoriæ artis Ariſtoteli, Bucolici carminis inuentores Diodoro cenſentur, & inſuper exornatores eos Lyrici, Comici, Tragici poematis fuiſſe teſtatiſsimum eſt. adhæc Mechanicum ex Geometria vſum, Horologij deſcriptionem; machinarum bellicarum & Catapultæ inuentionem, illuſtrandæ picturæ cauſſam, quæ Mathematum ſunt beneficia mortalibus primùm oſtendiſſe, quare quum & Ciceronis teſtimonio conſtet & antiquitatis auctoritate cõfirmatum ſit, clariſsimis eam ſapientia, artibus, carmine, viris quondam fuiſſe ornatiſsimam, noſtri candoris eſſe opinati ſumus, hîc Siculorum qui lumen animi, ingenij q; ſui & ſuis æqualibus, & poſteritati quoque oſtenderunt, nomina, patriam, ſtudium, lucubrationes veluti per ſyllabum & Alphabeti ſeriem complecti.

B

PHILOSOPHI ET GEOMETRAE.

C ARCHIMEDES Syracuſanus, qui Hieronem II. ſi quid Plutarcho credimus, ſanguine contingebat & Philoſophus & Geometra omnium ſæculorum nobiliſſimus fuit, iſque primus magna cum reipublicæ vtilitate, Geometriam ad vſum mechanicum adiunxit. Hunc vnicum cæli ac ſiderum ſpectatorẽ Liuius, Cicero diuini ingenij hominẽ vocat. Ceterum Archimedis ingenium hiſtorici, philoſophi, oratores, & poetæ magna laude extulerunt. Eius vitam apud antiquos Proclus Lycius, æqualibus noſtris, Petrus Ramus deſcripſit Commentaria in eiuſdem ingenij, quæ quidẽ exſtant monumenta, Eutocius Aſcalonita conſcripſit, nos eius interitum in Syracuſarum deſcriptione retulimus, Archimedis ſepulchrum Syracuſanis Cicero Quæſtor ex Sphæra & Cylindro, quæ in eius monumẽto poſita erant, oſtendiſſe extra portas Segregianas, & ex eadem vrbe, humilem homunculum ſe a puluere & radio excitaſſe gloriatur. Eiuſdem quæ nunc exſtant monumenta, paucis recenſebimus. Opuſculũ
D de Circuli dimenſione: alterum de Sphæra & Cylindro, tertium de Iſoperimetris, planis & ſolidis; quartum de Quadratura Parabolæ; quinctum de monumentis æqualibus ſiue Aequiponderantibus. Sextum de Speculis comburentibus. Septimum de numero arenæ plurima eáque acutiſsimi ingenij ſui inuenta & reipublicæ vtilia ad poſteritatis memoriam litteris conſecrauerat, quæ vel iniuria temporum aut incuria hominũ conſumta dolemus. ab eo quoque Lunæ & Solis, & quinque errantium ſtellarum motus in ſphæra alligatos & viti eam ſphæram, in qua mira conuerſione, & diſsimili motus circulorum, ſiderumque lapſus ſua ſponte euntes redeunteſque cernebantur, excogitatam; Cicero teſtatur & Claudianus carmine deſcribit.

ARISTOCLES Meſſanenſis philoſophus ſectæ Peripateticæ, is eam ſapientiæ partem, quæ naturam rerum inquirit, decem libris; & totidem libris eam partem quæ de moribus agit cõplexus eſt. artem quoq; dicendi ſcriptis ſuis ornauit: traditur

eundem ad lectoris iudicium propoſuiſſe,idque facta ex priſcorum auctoritate com- A
paratione,Homerúſne an Plato doctior fuerit?

CHARONDAS Catanæus Pythagoricus, & legum ſcriptor laudatiſsimus, hic Catanenſibus; & ceteris qui Italiam aut Siciliam incolunt Chalcidenſibus leges (vt latiùs in Catanæ deſcriptione proſequuti ſumus) ſcripſit.

DIO Syracuſanus Platonis auditor fuit, frater Ariſtomachæ Dionyſij primi vxoris. expulit hic Dionyſium II. Eius vitam & res præclarè geſtas,tum ex Syracuſarũ deſcriptione,tum ex Dionyſij II. vita deſumere licebit.

EMPEDOCLES Agrigentinus Pythagoricus, patre Methone; aut quod alijs placet Archionio natus: & pace & bello clariſsmum ſui ſæculi decus fuiſſe ab antiquitate memoriæ proditum eſt. ad hæc tanta animi magnitudine vt oblatum a ci- B
uibus ſuis regnũ recuſauerit;ijſq; pro regia poteſtate,magiſtratũ triẽnalẽ mille virorũ inſtituerit,ita vt in eũ cuiuſlibet ordinis viri adlegerẽtur,ſapiẽtiáne an eloquẽtia? medicina an poetica maior fuerit incertũ eſt. de ſapiẽtia heroico verſu ſcripſit,cuius fragmẽtum nonnulli Florentiæ, apud Medicæos bonarũ litterarum mæcenates ſupereſſe, adfirmant. Ariſtoteles quoq; facta Homeri & Empedoclis comparatione; Homerum poetam, Empedoclem philoſophum naturalem iudicauit. Eundem quoque Oratoriæ artis ſiue eloquentiæ inuentorem, quam Gorgias iſtius diſcipulus ſcriptis tradiderit idem auctor adfirmat. Medendi arte clariſsimum fuiſſe argumẽto eſt,quod peſtilentiam multis in locis ignium ſuffitu ſedauerit,quod Selinuntios(vt ſuo loco memorauimus) a graui aëre per aquarum dulcium deriuationem liberauerit. quod quum futuras & agris calamitoſas præſenſiſſet ex iniuria cœli tempeſtates, eaſdẽ arte & induſtria vt eſt apud Laertium auerterit. indéque nomen ab arcendis ventorum pro- C
cellis Colyſanemos habuerit: Empedoclem xliij. opera ſcripſiſſe quæ Hieronymus philoſophus ſe legiſſe teſtetur, Laertium auctorem nuncupare poſſum. in Olympijs quoque celete fuiſſe victorem obſeruo: floruiſſe eo tempore quo Xerxes Græciam bello vexabat; & Fabij cladem ad Cremeram acciperent. pertinaciſsimè eum & inimicitias & ſimultates ſuſcepiſſe & exercuiſſe Suidas, & aliquot alij accuſant. in eius mortis genere variant auctores. quidam ipſum in AEtnam ardentem ſeſe præcipitaſſe, vt Deus a poſteritate credula haberetur,prodiderunt, alij Methone naturali morbo exſtinctum,ſunt qui Megaræ in Sicilia ex dolore rupti cruris anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo mortuum ſcribant.

EVCLIDES Gelenſis Platonicus & Geometria præſtantiſsimus; alius fuit ab illo Megarenſi,cuius elementa exſtant. vixit(vt Heron Machanicus teſtatur) tẽpore D
Ptolemæi primi; iunior Platone, ſed Eratoſthene & Archimede antiquior. multáque ab Eudoxo & Thæeto aſſumta, demonſtrauit. ſcripſit & Dialogos aliquot, quidam etiam auctores ſunt,hunc a Ptolemæo num regia via ad Geometriam aliqua pateret percunctatum; reſpondiſſe nullam eſſe niſi eam, quam xiij. libris; quæ nunc Elementa Euclidis vocantur demonſtrata eſſet.

ICETAS Syracuſanus, quem nonnulli Hicetam vocant,affirmabat omnia ex harmonia & neceſsitate fieri: terrámque ſuo & primo circulo conuerti.

MONYMVS Syracuſanus, Cynicus, ac Diogenis Cynici filius, vir ſane elegantiſsimus & copioſiſsimus;qui multa in Philoſophia ſcripſit: & contemta gloria, veritatis ſtudioſiſsimus fuit.

PHILO-

A PHILOLAVS Syracuſanus (vt nonnulli contendunt) Crotoniata fuit, & Pythagoricus. Is Platonis tempore floruiſſe traditur. Dio namque ab eodem pecuniæ cupidiſsimo Pythagoræ III. libros petente Platone & Dionyſio II. redimente XL. minis (vt nunc eſt pecuniæ precium CCCLX. coronatis) redemit, ex quibus Plato opus illud in quo Timæum Doricè loquentẽ inducit, compoſuiſſe & de natura mundi deſeruiſſe ſcribitur.

PROBVS Lilybætanus, vt doctiſsimus ita eloquentiſsimus fuit atque eius videndi cauſſa Porphyrius Lilybæum venit.

SYMMIAS Syracuſanus, & Stilponis auditor; eius filiam famæ parum honeſtæ in vxorem duxit.

B THEODORVS Syracuſanus philoſophus de re militari libros edidit.

TIMAGORAS Gelous philoſophus ac Theophraſti primùm, inde Stilponis auditor fuit.

ORATORES.

ATHENAGORAS Syracuſanus & ſapientiæ & eloquentiæ nomine commendatur, & in patriam pietate.

BION Syracuſanus & Oratoriã facultatẽ locupletaſſe & ſcriptis ornaſſe traditur.

CAECILIVS Calatianus, qui & Archagathus cognominabatur natione & lingua Græcus, lege Iudæus fuit, in dicendi arte celeberrimus. Romæ Auguſto imperante publicè Oratoriam profeſſus eſt. multa conſcripſiſſe fertur inter quæ nominantur contra Phrygas libri duo: Elegantiæ Atticæ ſecundum Alphabeti ſeriẽ, quæ apud Suidam etiam nunc leguntur. comparatio Demoſthenis & AEſchynis. comparatio Demoſthenis & Ciceronis. item de genere elocutionis decem Græciæ oratorum.

C

CORAX Syracuſius, ſophiſta & orator celebris fuit. hunc Ariſtoteles vnum ex primis eloquentiæ inuentoribus facit. hic ciuibus exacta dominatione ſuis legibus viuere incipientibus perſuadere cœpit, vt libertatem vrbis tuerentur, eiuſque ingenio cognito Syracuſani filios, vt ipſorum pueritiam formaret eius eruditioni permiſerunt. Oratoriã artẽ poſt Hieronis primi mortem publicè profiteri exorſus, primam orationis partem exordium; mediam narrationem; tertiam Epilogum vocauit.

D CTESIAS Syracuſanus, qui & TISIAS, Coracis diſcipulus, argutus & acutus ſophiſta & orator fuit; primuſque oratoriam artem, ſi quid Ariſtoteli credimus, edidit: artẽ & præcepta eloquentiæ addidit, vt ad Herennium Cicero teſtatur. CTESIAS quem fortunæ tenuitas emergere non ſinebat quum cum Corace pactus eſſet vt duplum mercedis, ſi ipſi Oratoriam perdoceret, perſolueret, atque vbi eam perdidiciſſet, promiſſa liberare nollet; eum Corax in ius vocauit, comparuit ille atque rogare inſtitit ecquid eſſet ars oratoria? reſpondente Corace artẽ perſuadendi eſſe. Captioſè ſubintulit, ſi perſuaſero tibi Corax; tamquam perſuadens; nihil ſoluam quia vici. Sin non perſuaſero; non ſoluam. nam non perſuadens artem me non docuiſti. retorſit altero dilemmate Corax; immo ſi tibi perſuaſero CTeſia, promiſſum capiam, vt victor: ſi autem non perſuaſero etiam ſolues mercedem, quia tanta te eruditione præſtantem fecerim, vt perſuadere non potuerim. Iudices vtriuſque captioſis admodum argutijs oblectati, cenſuerunt Mali corui (alluſione nominis ad κοραξ) malum

ouum esse. Captiosum doctorem, sophisticum etiam habere discipulum. Gellius ea- A
dem lib. VI. ad Protagoram & Euathlum refert.

GORGIAS Leontinus philosophus & orator nobilissimus Philolai filius vt AElianus; Charamantidæ vt Pausanias & Philostratus auctores sunt. Empedoclis primùm, inde Ctesiæ discipulus fuit. hunc tanta dicendi peritia eáque extemporali præditum fuisse scribitur, vt de quacunque re in disceptationem, quæstionémque vocatus copiosissimè se dicturum profiteretur, ausúsque fuerit in maxima circumstãtium corona ex singulis poscere qua de re quilibet audientium facere vellet. In Oratoria atque sophistica arte vsqueadeò commendatum testantur, vt quotannis, non minoris quàm centum minis (siue vt nunc est pecuniæ precium nongentis coronatis) doceret. quidquid ornamenti habent poëtæ Tragici, vestem nimirum, pulpitum, personas, heroum nuntios, quibus scena & proscenium commendatur a Gorgia mutuati B
sunt. Huius vitam Philostratus latissimè prosequitur; & nos quoque quum de Leontinis ageremus quæ huc repeti possunt complexi sumus. Illud addam hunc omniũ mortaliũ primum & auream statuam & solidam, quæ ipsius effigiem ad viuum exprimebat circiter LXX. Olympiadem in templo Apollinis sibi posuisse, quum ceteris non aurea sed deaurata poneretur. Athenis tandem senio confectus anno ætatis octauo supra centesimum moritur. ad extremam vsque senectutem corporis salubritate, animi mentisque vigore, nullo memoriæ detrimento vsus: interrogatus ecquid tam diu viuere voluerit? respondit, nihil se habere quod senectutem incusaret: percunctatus ecquid valetudinis constantiam ipsi tam diuturnam seruasset? respondisse fertur id sibi euenisse, quia aliorum conuiuia sectatus non esset, morti vicinus, quum a somno vrgeretur, lusisse dicitur, iam me somnus incipit fratri (morti) tradere. Mortem namque somni fratrem Homerus effingit. Funus eius tanto Athenienses honore prosequuti sunt, vt quum Areopagitas funebribus iustis ænea statua donarent, sanxe- C
rint, vt ipsi aurea poneretur. Huius aliquot orationes in Bibliotheca D. Marci Florẽtiæ exstare & Fazelus & Lascaris testantur.

LYSIAS Syracusanus Cephali filius, domi nobilis, CTesiæ & Gorgiæ discipulus, vnus ex decem Græciæ magnis oratoribus fuit. Plures conscripsit epistolas: artem quoque eloquẽtiæ orationes vltra trecentas, ex quibus paucæ admodum supersũt.

POLVS Agrigentinus Gorgiæ quoque discipulus, magnus orator nec minor sophista, qui Græcorum & Barbarorum, qui ad Troianum bellum profecti fuerant genus & maiores descripsisse proditur. huius calliditatem Lucianus illudit, qui eum quum laudem ex dicendi facultate affectaret, semper in magna hominum frequentia, quæ ad ludos publicos varijs ex regionibus confluebat, orationes habuisse testatur, sed eiusdem vt clarissimi philosohi bonus imprimis auctor Aristoteles meminit. D

THALES Calatianus orator, successum philosophorum & sectas sapientium descripsit.

POETAE ET MVSICI.

ACHAEVS Syracusanus, quem alij ACHIVVM nominant, decem Comædias conscripsit.

ANDRONVS Catanæus Musicus fuit; is (si quidquam Athenæo credimus) morem

A morem & modum ſaltandi ad tibiam;adhæc geſticulandi, ac rhythmos canendi induſtriam inuenit.

APOLLODORVS Gelenſis inter comicos antiquiſsimos citatur.

ARCHIVVS Agrigentinus ſexaginta Tragœdijs conſcriptis,gratam ſui memoriam ad poſteritatem tranſmiſit.

CALLIMACHVS Syracuſanus,Euphratis Syracuſani ex filia nepos, de inſulis carmine ſcripſit. & omnis generis verſus compoſuit eiuſdē libri pluſquam octingenti tempore Ptolemæi Philadelphi exſtitiſſe feruntur.

B CHARMVS Syracuſanus poëta, ad quodlibet quod in conuiuijs apponebatur ferculum ex tempore aliquod carmen edere ſolebat.

CARCINVS Agrigentinus Tragœdias XVI. compoſuit.

DINOLOCHVS Syracuſanus, Epicharmi diſcipulus,creditur Dorica lingua XIV. cōmædias conſcripſiſſe.

EMPEDOCLES Agrigentinus, Empedoclis oratoris auus, aut vt nonnullis placere video oratoris nepos. Eum viginti quatuor Tragœdias compoſuiſſe; eloquentia & philoſophia clariſsimum;militari peritia celebratum fuiſſe; adhæc olympiadæ LXXI. viciſſe ab quibuſdam memoriæ proditum eſt.

C EPICHARMVS Megarenſis Siculus; aut vt alijs placet Syracuſanus, Pythagoræ diſcipulus & Comædiæ inuentor celebratur. is multo ante Chionidem & Magnetem antiquiſsimos Comicos floruit & Græciæ trium duplicium Ζ Ξ Ψ oſtēdit,multáſque comædias edidit. Auctores habeo qui prodant, Epicharmum ab Hierone primò multatum,quòd laſciuiores quàm aulæ regiæ pudorem decebat, verſiculos,reginæ recitaſſet. Eum Plautus ſi Horatio credimus eſt imitatus. & hanc ipſi Cicero ſententiam tribuit: Mori nollem,ſed mortem nihil æſtimo.

EVDOXVS Syracuſanus ſecundus ex tribus Agathoclis filius, multas comædias ſcripſit, ex quibus victoriam octies adeptus eſt ter in vrbano certamine, quinquies Lenaica.

D IBYCVS Mamertinus(vel vt alijs placet Rheginenſis) è nouem Græciæ Lyricis vatibus vnus.huius poema vt laſciuum Cicero notat. plurima Dorica lingua & Lyrico metro ceciniſſe, & Sambucum muſicum inſtrumētum Calabris oſtendiſſe traditur. Quo mortis genere interierit in Rheginorum deſcriptione retulimus.

METELLVS Agrigentinus muſicæ artis peritiſsimus. hic Platonem muſices peritiam docuiſſe ſcribitur.

MOSCHVS Syracuſanus, quem nonnulli MOSCHIONEM vocant, poëta & Grammaticus citatur; atque is multa in aliorum ſcripta cōmentatus; multa quoque & ipſe verſibus conſcripſit.

ORPHEVS Camarinæus poëta Epicus fuit, & inter cetera deſcenſum ad inferos carmine celebraſſe proditur.

PHILE-

PHILEMONES tres fuiſſe obſeruo. eóſque omnes Syracuſanos & comicos poëtas, Vnum Alexandri Magni ætate floruiſſe, comædiarumque numerum vitæ ſuis annis exæquaſſe: nonaginta ſiquidem annos vixiſſe, totidemque comædias compoſuiſſe; & ex vehementi riſu obijſſe teſtatum eſt. alter PHILEMON ſi Suidæ auctoritatem ſequi placebit, ætatem, ſenſuum benè compos, vltra centeſimum annum produxit, huius ſomnium tale celebratur quum nouem puellas e domo ſua, non reuerſuras exire inter dormiendum vidiſſet, præſenſiſſe ſibi a Muſis fatalem diem prænunciatum. Tertius PHILEMON huius filius, quatuor comædias in lucem edidit. A

PHOCYLIDES Mylenſis (niſi Mileſium quod nonnulli contendunt, fuiſſe malis) æqualis Theognidi Philoſophus & poëta prudentiſsimus: carmina & Elegos quibus lectore ad virtutis ſtudiũ, magna ſententiarũ auctoritate exhortatur, cõſcripſit.

PHILOXENVS Syracuſanus vates Lyricus quum Tragædiam a Dionyſio conſcriptam, cenſoria grauitate totam litura induxiſſet, ab eodem in Latomias coniectus, fugáque paullò poſt elapſus Tarentum peruenit. Cùm verò a Dionyſio per litteras magnis promiſsis plenas reuocaretur, Laconicως nihil aliud quam οὐκ, reſcripſit. B

PHOTINVS, ſiue quod nomen ab alijs proditum eſt. PHORMVS Syracuſanus poëta comicus fuit, & Epicharmi in Comædiarum inuentione ſocius, hic Gelonis cui familiaris erat filios erudiendos ſuſcepit; primuſque talari veſte in publico vſus eſt, quam alij & veteres in ſcena tantum geſtabant & ſcenam puniceis pellibus ornauit.

SOPHANES aut vt quidam malunt SOSIPHANES Syracuſanus fuit & Tragicus poëta, Euripidi æqualis, vnus e ſeptem Græciæ Tragicis celebratur. Mimos viriles & muliebres, itidem Tragædias lxxiij. compoſuit; in quibus palmam ſepties eſt adeptus. Itidem & alia tam ſtricta quàm ſoluta oratione compoſuit. Platonẽ ſub quietem huius lectione ſõnum ſibi impetraſſe nõnulli teſtantur, quod alij ad SOPHRONEM accommodant, & pro SOPHANE Sophronem ſcribunt. C

STESICHORI Himeræi poëtæ Lyrici vitam quum de Himera & Catana vrbibus ageremus, aliqua ex parte memorauimus, nunc ſtud addam, habuiſſe ipſum fratrem Marinum Geometram, alterum verò Halianartem legum latorem; & filias doctiſsimas; eundem quum contra Helenam ſcripſiſſet viſu orbatum, atq; quum ea quæ odioſa erant, recantaſſet oculorum aciem recuperaſſe.

THEOCRITVS Syracuſanus Bucolicorum illuſtris vates, patre Praxagora, matre Philina natus, regnante apud Aegyptios Ptolemæo Lagi ſcripſit. Poëmata quæ in Eidyllia diſtribuit. Dorica lingua compoſuit, quorum proprietas moribus & verbis paſtoralibus potiſsimùm congruit. Bucolicorum genus apud Tyndaridem vrbẽ quo tempore Oreſtes cum Iphigenia, Dianæ Faſcelidis (vt ſuo loco memorauimus) ſimulachrũ, ex Tauris reportauit: alij quod veriſimilius eſt, Syracuſis inuentũ prodũt. nam quum Syracuſani poſt varias ſeditionum procellas ad concordiam & tranquillitatem Dianæ opera redijſſent, Dorici paſtores hoc carminis genus concinentes Dianam celebrabant. D

THEOGNIS Megarenſis poëta, & ſapientiſsimus & ſententiarum copia grauis. vitæ namque præcepta elegijs breuibus, acutis & argutis complexus eſt. Elegiam quoque de ijs qui in Syracuſarum expugnatione non cecidiſſent; compoſuiſſe & ad Cyrum quem vnicè colebat poema vt eruditiſsimum ita prudentiſsimum ſcripſiſſe Suidas auctor eſt, eumque floruiſſe Olympiade quinquageſima nona.

HISTO-

HISTORICI.

ANTIOCHVS Syracuſanus Xenophanis filius Hiſtoriam a Cocalo Sicanorum rege exorſus,eam ad Xerxis vſque mortem, voluminibus nouem ſeptingentorũ annorum res geſtas complexus, continuauit. eundem Sicularum & Romanarum rerum hiſtoricum Pauſanias nuncupat.

ARCHETYMVS Syracuſanus Hiſtoricus fuit & philoſophus,quem ſeptẽ ſapientũ cum Cypſelo Corinthiorũ Tyranno colloquiũ deſcripſiſſe, Laertius tradidit.

CALLIAS Syracuſanus de rebus ab Agathocle geſtis commentaria conſcripſit, quorum fides ſuſpecta eſt.

DEMETRIVS Calatianus,hiſtoriæ ſcriptor vt celebris , ita & prudens nuncupatur;& idem de rebus ſua ætate in Sicilia & Italia geſtis, libros viginti ſcripſiſſe memoratur.

DIODORVS Agyrinæus qui cognomento celebriori SICVLVS vocatur hiſtoricus vt & clariſsimus,ita & diligentiſsimus, quadraginta libris res in toto ferè orbe geſtas deſcripſit ex quibus aliquot adhuc ſuperſunt.

EVHEMERVS Meſſanenſis fuit,Iouis & ceterorum qui Dij putabãtur, res geſtas collegit,hiſtoriámque contexuit ex titulis & inſcriptionibus ſacris,quæ in antiquiſsimis templis habebantur: maximéque in Fano Iouis Triphilij in quo auream columnam a Ioue poſitam fuiſſe ſcribit,cui vt rerum a ſe geſtarum monumenta eſſẽt, res a ſe geſtas inſcribi iuſſerat. eam Euhemeri hiſtoriam Ennium eſſe interpretatum & ſequutum Lactantius teſtatur.

LYCVS ſiue LVPVS Meſſanius, Buteras etiam cognomento vocatus, plurima volumina de Sicilia & Africa edidit.

PHILISTOS fuiſſe duos vtrunque Syracuſanum obſeruo: alterum cognomento Naucratiatam qui plurima a Siculis geſta ſcripſerit, & Dionyſij affinis,in bello quod iſte cum Pœnis gerebat,ceciderit. Alterius qui & idem hiſtoricus fuit, vitam & interitum in Syracuſarum deſcriptione,& Dionyſij ſecundi vita proſequuti ſumus,

THEMISTOGENES Syracuſanus multa de rebus Syracuſanorum geſtis, itidem Cyri regis expeditionem deſcripſit.

TIMAEVS Tauromenitanus Andromachi filius quem Epitimeum a reprehẽdendi ſtudio cognominarunt,de rebus in Sicilia & Italia geſtis libros octo compoſuit, itidem de Hiſtoricorum erroribus,in quos acerrimè inuectus eſt, ſcripſit, cetera quæ hîc deſiderantur,ex Tauromenitana deſcriptione peti poſſunt

MEDICI.

ACRON Agrigentinus Zenonis filius, medicus celebris & Hippocrate antiquior;publicè Athenis medicinam,id temporis quo & Empedocles eloquentiam profeſſus eſt, multáque Dorica lingua de arte medendi ſcripſit.

APPVLEIVS CELSVS Centoripinus a Scribonio Largo vt medicæ

artis peritiſsimus cõmendatur. memoriæ proditur in patria eius canes rabie excogitari & mortales mordicùs inuadere ſolebant ſolitos; eumque vt illi malo remedium opponeret, antidotum quotannis componere contra rabioſos canes, & ſuis ciuibus mittere conſueuiſſe.

CREON Agrigentinus medicinæ nomine etiam ab Empedocle cõmendatur. ab eodem medicorum factionem, qui ſe Empiricos, ab experiendi inconſulta audacia vocabat, originem traxiſſe Plinius teſtatur.

HERODICVS Leontinus Gorgiæ frater, etiam ob medendi artem a veteribus celebratur.

MENECRATES Syracuſanus tanta medicinæ ſcientiam ea arrogantia exercuiſſe ſcribitur, vt quũ comitiali morbo correptos liberare magna cum admiratione poſſet, Iouem ſe dici & haberi voluerit; ceterum dignum tanto faſtu reſponſum tulit, quum namque tali inſcriptione vſus eſſet Menecrates Iupiter Ageſilao regi ſalutem; rex contemtis quæ ſubiungebantur, faceté reſcripſit rex Ageſilaus Menecrati ὑγιαίνειν hoc eſt ſanitatem ille regi ſalutem, rex iſti vt furioſo meliorem mentem precatus eſt.

PHILISTION Siculus (patriæ nomen non proditur) medicinæ doctrina, & ob diſcipulum Eudoxum Cnidium inclaruit.

PHILONIDES Ennenſis, in medicorum numero recenſetur.

POLYCLETVS Meſſanenſis & medendi arte & ſapientiæ nomine celebratur, adhæc quod Phalaridem Agrigentinorum Tyrannum ab incurabili morbo, vt ex prima Phalaridis epiſtola conſtat; liberauerit.

Hæc vtriuſque Siciliæ hiſtoria, nihil continet quod Catholicas aures poſsit offendere; immo cum magno reipublicæ fructu excudi poterit. Quod adteſtor Iacobus Pamelius S. Th. L. ordinaria, Regiaq; auctoritate librorum cenſor.

AD HVBER-

AD HVBERTVM GOLTZIVM OMNIS ANTIQVITATIS ILLVSTRATOREM ET HISTORICVM NOBILEM, CIVITATE ROMANA DONATVM; QVAEQ. OLIM CAVSSA FVERIT CIVITATIS ROMANAE DONANDAE.

MELIORIS BARLAEI ANTVERPIANI CARMEN.

MAxima virtutis quondam reuerẽtia genti
Auſoniæ fuit, hæc conſtaret acumine clari
Ingenij, foret aut poſita in præſtantibus armis:
Tantus amor laudum, famæq; arrecta cupido
Mortales ſummis ſtudijs accenderat omni
Conatu Heroum meritis acquirere nomen.
Ergò continuæ procedunt ordine pugnæ,
Soláque captatur pretium dein gloria fuſi
Sanguinis, atque ſuis anima immoritura tropæis
Exultat, facinus memorent modò tale nepotes:
Atque alijs fuit, at multo felicior illa,
Cura, per ingenij vires extendere famam,
Et mundi ſpatium illuſtres arctare per artes.
Ante alios verùm populos pulcerrima ROMA
Cælo, quà licuit, Martis, ſtudijſq; Mineruæ
Affectauit iter, virtuteq; cedere cuiquam
Difficilis, ſuper hæc, aliquod ſua ſi foret extra
Mœnia ab externo facinus cum laude peractum,
Hoc proprium reri, & ſola ſe ducere dignum.
Hinc, quod & alterutra inſtituit virtute notatos
Vrbe ſua donare viros, & ciuis honeſtis
Dignari titulis, & ius concedere regni:
Scilicet hinc eſt, quod peregrinis libera iactet
Se debere nihil, cumque in ſua iura patentis
Traxerit orbis opes, dederitq; inſigne per artes
Omnigenas ſpecimen, tamen aſſeruare ſuperbæ
Virtutis ſeſe, & ſolam incunabula dicit:
Forſan id exemplo, quo Delphus clara Leonti,
Aureus vt foret, & proprius decreuit, alumnus:
Noluit illa quidem iactare mapalia, Porci,
Tuſcula te, nec Marce, tuæ ſacra fulmina linguæ,
Arpinas vel ager Marii ſibi vendicat arma,
Contendit ſed Roma ſuos hos eſſe, quod huius
Fota ſinu virtus, & diſciplina cubarent.
Atq; eadẽ ratio eſt, eadẽ quod te quoq; GOLTZI
Quamuis lene Moſæ tua te natalia flumen
Conſpexiſſe ferat, gremio tamen optima mater
Explicito excipiat, proprium contendat alumnũ

Eſſe ſuum, virtutis enim rationibus illa
Innixa, & ſolidis, tibi quod fortuna negauit,
Hoc meritis tribuit; nomen dat ferre ſuperbum
Romani ciuis, tum ius concedit honorum
Omne tibi, & pleno ſuffragia ferre Senatu.
Nec mirum tali quod te dignatur honore,
Ars cùm nulla tuæ ſimilis nunc vllius extet:
Vt non illa parens dici tua, tu potiore
Illius eſſe parens ratione videbere dici:
Nec faciem ſolam, nec enim ſimulacra, ſed vrbem
Antiquam imperijs modò, temporibuſq; reductis,
Longo damnatam iuri caliginis æuo,
Eruis, & ſolis veterum monumenta Latinis
Cognita, nunc orbi das reſtaurata videre,
Quantuſcumq; patet: populi virtutis amantes
Intentiq; oculis, attentiq; auribus adſtant:
Nec ſeſe in laudes aut lingua reſoluere tantas
Vlla audet, nec cuiuſquam comprêndere mente
Vlla valet ratio, totuſq;, atq; omnibus hærent
Senſibus attoniti tanta ad miracula, laudant
Ingenteſq; tuos animos, artemque potentem
Admirandi operis: tum plus debere fatetur
ROMA tibi, quàm Pompeio, ſoceróue Monarchæ:
Ille quidem domito vaſtam trahit orbe ruinam,
At tu productis, quæ non placabilis hoſtis
Perq; domos ferro, Lyparæq; vagatus alumno,
Et quæ multotiens Iano redeunte vetuſtas
Proruit, amiſſam reparas cum nomine formam.
Vnde quod in ciuem modò te Latialis adoptat
ROMA ſuum, nam olim claram quæ ſola colebat
Virtutem, poſtquã in cineres vaſtante redacta eſt
Barbarie, ſecum illam etiam cecidiſſe putauit.
Nunc verò, vt ſuperas venit rediuiua ſub auras,
Si qua alibi virtus mortales emicat inter,
Eſſe ſuam, generiſue ſui putat, inde, quod illa
Te ſibi tam claræ cauſſa virtutis adoptat:
Et quamquam HERBIPOLI ducis genus & tua VENLON
Applaudenda Moſæ dedit incunabula, BRVGIS
Sit ſecura domus placida compoſta quiete,
Alma tui tamen eſt æternum ROMA theatrum
Nominis, ampla in quo, ſpectandaq; gloria cunctis
Luxuriat populis, quod nec debebis auito
Aut generi, patrióue ſolo, virtutibus autem
Tam raris, HVBERTE tuis, & rebere naſci,
Quam ſit adoptari, tantò minus, inclyta quantum
Fortunæ virtus præſtat, quæ quàm tibi maior,
Tanto maior erit merces operoſa laborum.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM

propriorumque nominum quæ in hac posteriore Siciliæ historia obseruatione digna continentur.

A

Abraham Saracenorum rex, 12. B
Acis opidum captum, 38. C
Adelanda Rogerij primi coniunx, 17. B
Adranum a Gallis captum, 33. D
Aduentus Philippi principis in Italiam, 51. C
AEgiptus a Persis subacta, 10.B
AEoliæ insulæ, 33.A
AEtnæ montis incendium 35.C. 50.B
Africa a Persis subacta, 10.B
Agrigentum a Nortmannis receptum .16.D. a Conrado Caputio captum. 24.D
Aistulphus Longobardorum rex a Pipino victus, 11.B
Alaimus Leontinus Messanæ præfectus, 27.A
eius supplicium. 29.A
Alba Regalis Hungariæ urbs a Turcis capta, 46.D
Albanus Dux Pontificis Ro. conatus reprimit, 53.C
Alcami Saracenorum præfecti in captiuos Siculos crudelitas, 11.B
Alcamus præfectus a Siculis obsessus, ibid. obsidione liberatur, ibid.
Alcamus opidum conditum, ibid.
Alexander IIII. Pontif. Max. 23.D
Alphonsus Capuæ princeps, 17.D
Alphonsus Petri regis filius Aragoniæ rex, 28.D. 30.A. eius mors, ibid.B
Alphonsus Gandiæ dux, 40.A
Alphonsus Ferdinandi regis filius, 41.A. Aragoniæ & Siciliæ rex, ibid.B. eius in Corsicam expeditio, ibid. ab Ioanna 11. Neapolitanorum regina adoptatus, ibid. Abdicatus, ibid. A Genuensibus captus, ibid.C. Neapolin operibus adornauit, 42.A
Alphonsus rex Neapolis exsul moritur, 42.A
Alphonsus Lusitanorum rex, 43.B
Amalsuentha Gothorum regina Theoderici regis filia, 55.D.56.A
Ametus Muleasis filius Patrem regno exuit, 52.A
Ammiralius Franciæ captus, 53.D
Amodeus Saccę præfectus quomodo Turcas eluserit, 52.D.
Ancona a Saracenis capta, 11.D
Andreas Neapolitanorum rex, 37.B
eius mors, ibid.
Andreas Clarimontius Manfridi filius, 39.B. eius supplicium, ibid. C.
Andreas Doria classis Gallicæ præfectus, ad Carolum v. Imp. deficit, 49.B. Draguti conatus frangit, 52. D.
Andronicus Imp. Orientis, 19.D
Anicius Maximus, Imp. Occidentis, 9.C
Anna Momerancianus captus, 53.D
Anthiochenus Comes, 36.B. eius interitus, ibid.D
Antonia Hadriæ ducis filia Friderici, III. uxor, 38.D
Antoniæ reginæ mors 39.A
Antonius Luna comes, 41.C
Antonius Leua Cæsarianorum dux, 47.B
Aphocaps Apollophari regis frater, 14.A. Fratrem prœlio superat, ibid.
Aphrodisium Africæ opidum, 17.C
a Cæsarianis expugnatum, 51.D
Apollopharus Saracenorum in Sicilia rex, filium obsidem Michaeli Imp. mittit, 14.A. Regnum recuperat, ibid. B. a Græcis victus, ibid.C in prœlio occisus, 15.A.
Apulia a coniuratis vastatur, 21.D
Aqualata opidum, 41.A
Arabum cum Romanis bella, 10.B
Araricus Rogus Gothorum rex, 56.C
Ardonium a Gallis captum, 33.D
Arduinus Nortmannis, 14.C
Ariadenus Barbarossa classis Turcicæ præfectus, 50.A. 51.A.
Artabanes Iustiniani præfectus Syracusas obsidione liberat, 9.D
Artalus Alagonius Siciliam contra hostes protexit, 38. C. Mariæ reginæ tutor, ibid. D. Siciliæ Prorex, 39. A. sponte Catana cedit, ibid.C
Arx Augustæ capta, 29.B
Arx S. Seruatoris, 37.A
Ascanius Columna captus, 48.D
Ased Benforat Saracenorum præfectus, 12.C
Asia ab Persis vastata, 9.B
Astura capta & euersa, 29.A
Athalaricus Amalus Eucharici filius Gothorum rex, 55. C.
Attila Hunnorum rex, 9.C
Auellinæ comes Caietani præsidij præfectus, 29.D
Augusta opidum in Orientali Chersonesi fronte conditum, 22.C
Augusta Siciliæ urbs a Gallis capta, 19.A. ab Aragonijs recepta, ibid. B. a Turcis capta & incensa, 52.B.
Augustulus Occidentis Imp. 9.C
Aultense opidum a Saracenis direptum, 11.D

B

Babulinum Italiæ opidum, 29.C
Baianus terræmotus, 50. C
Balduinus Imp. Constantinopolitanus, 22.D
Basilius Macedo Imp. Orientis, 12.D.13.A
Basilius iunior Imp. Orientis, 13. D
Belcabutus Saracenus a Nortmannis victus, 15.D
Bellisarius Siciliam recuperat, 9.D
Beneuentum euersum, 22.C. a Carolo Andegauensi captum, 24.C.
Bernardus Sarrianus classis Aragoniæ præfectus, 29.A.
Bernardus Caprera Siciliæ Prorex, 40. C. regnum adfectat, Blancæ reginæ coniugium ambit, ibid. capitur, ibid.
Bernardus Richisenius Siciliæ Prorex, 42.D
Blanca Iacobi regis uxor, 30.B
Blanca Martini iunioris uxor, 39.D. Siciliæ gubernatrix, 40.A.
Blancæ reginæ periculum, quomodo Capreræ insidias euaserit, ibid.D.
Blanca Ioannis regis uxor, 42.B
Bonifacius Corsicæ Comes, eius contra Saracenos res gestæ, 11.C.
Borbonius Cæsariani exercitus dux, 47.B

eius interitus. 48. A.
Bucata opidum, 36.C
Bruccherium opidum, 32.C
Bulchar Saracenorum in Sicilia rex, 13.C. eius contra Græcos res geſtæ ibid.
Buthera a Nortmannis recepta, 17.A. capta, 19.B
Buxentium opidum, 32.C. a Gallis captum, 33.D

C

Cæleſtinus III. Pont. Max. Henricum Imp. contra Tarcredum concitat, 20.A.
Cæſar imperatorius Panormitanus, 46.D
Cæſariani Gallos apud Neapolin profligant, 49.C
Caieta a Iacobo rege obſeſſa, 29.D
Caietani obſidione liberati, 30.A
Caieta ab Alphonſo rege capta, 41.D
Calamandrius Caroli II. legatus, 31.A
Calcerandus Catelaunius, 28.D
Campania vaſtata, 21.B
Cantazarium ab Aragonijs captum, 31.B
Caprea inſula ab Aragonijs capta, 29.A
Capſium Africæ opidum, 17.C
Carbea præfectus claſsis, 13.C
Carolus Magnus Imperator Occidentis ſalutatus, 11.B. eius cum Irene Orientis Imperatrice fœdus. ibid.
Carolus Andegauenſis a Pontifice rex utriuſque Siciliæ creatus. 24.A. Manfridum prœlio ſuperat. ibid. B. a Neapolitanis & Siculis rex ſalutatus. ibid. C. eius in Siculos tyrannis, 25.C eius in Siciliam expeditio. 26.B. Petrum regem ad ſingulare certamen prouocat, 28.A eius mors, ibid.
Carolus Claudus Caroli Andegauenſis filius. 28.A ab Aragonijs captus, ibid. B. a Conſtantia regina ſeruatus, ibid. C. carcere liberatus, 30.A a Pontifice Ro. utriuſq. Siciliæ rex creatus, ibid.
Carolus Philippi Galliarum regis frater, 34.B.
Carolus Roberti regis filius, 35.A
eius in Siciliam expeditio, ibid.
Carolus Dyrrachij dux, 37.B
Carolus Ioānis Aragoniæ & Siciliæ regis filius, 42.C eius interitus, ibid.
Carolus Ludouici Francorum regis filius, 43.B
Carolus quintus Imp. Philippi regis filius, 44.A utriuſque Siciliæ rex. quando Imp. Cæſar Auguſtus creatus eſt, 46. C. eius in Africam expeditio, 50.A. eius in Siciliam aduentus, ibid. B. eius altera in Africam expeditio, ibid. C eius clades apud Argirium, ibid. D. Imperatoriam dignitatem deponit, 54.A. in Hiſpaniam nauigat, ibid. Moritur, ibid. B.
Caruenum Africæ urbs, 12.B.
Caſpar Spes Siciliæ Prorex, 43.B.
Caſtrum Villarium Calabriæ opidum, 28.D
Catacabonus Armenius Meſſanæ præfectus, 15.A.
Catana Saracenorum præfectura, 12.D. a Gallis capta, 33.D.
Catarina Philippi regis filia. 44.B
Catelaunorum cædes, 37.D
Celeſtinus III. pont. Max. 17.D
Centuripæ ab Friderico II. euertitur, obſidio, 15.D. 22.C
Cephallenia inſula de Turcis capta, 44.A
Chamutus Saracenus Ennæ præfectus, 16.D. Chriſtianam fidem amplectitur, 17.A.
Chius inſula ab Aragonijs vaſtata. 30.C
Chriſtophorus Columbus noui orbis inuētor, 43.D
Circeum promontorium, 28.A
Clarimontana factio, 36.B. 38.A
Clarimontiæ familiæ interitus, 39.C
Clarimontij ad Neapolitanos reges deficiunt, 38.B
Clarimontium a Gallis captum, 33.D
